INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ THEORETICÆ

SEU

DOGMATICO - POLEMICÆ

CONCINNATÆ

A REVERENDISSIMO

P. ALBERTO A BULSANO

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCINORUM DEFINITORE GENERALI

PROVINCIÆ TIROLENSIS DEFINITORE AC LECTORE ETC. EMERITO

PARS SECUNDA

DE DEO IN RELATIONE AD MUNDUM SPECTATO

VOLUMEN II.

Editio altera

TAURINI 1862

EX TYPIS PETRI, HYAC. FILII, MARIETTI

TYPOGRAPHI - BIBLIOPOLÆ

THEOLOGIAE

DOGMATICO-POLEMICAE SPECIALIS

PARS II.

DE DEO IN RELATIONE AD MUNDUM SPECTATO

§ 129. Hactenus Deum, ut in se est, consideravimus, eundemque unum in essentia et trinum in personis esse cognovimus. Plurima autem alia entia existunt, quae cum Deo confundere non licet, quoniam a natura divina penitus diversa sunt. Deus enim simplicissimus et immensus est; dantur vero entia, quae ex partibus constant, loco circumscribuntur, et spatium occupant: Deus aeternus et immutabilis est; reliqua vero entia omnia tempori subiecta, fluxa et immutabilia sunt: Deus independens, et sibi sufficientissimus est; alia entia legibus subiecta, indigentiis obnoxia, limitibus coarctata videmus. Imo quamvis animam nostram simplicem, intellectu et voluntate praeditam esse cognoscamus, aeque tamen certo nobis constat, ipsam a natura divina omnino diversam esse. Nam praeterquam quod anima nostra loco inclusa, tempori subiecta, et mutationibus obnoxia est, etiam inter scientiam divinam et scientiam nostram (§ 29), inter voluntatem, libertatem, bonitatem Dei, et voluntatem, libertatem et bonitatem nostram (§ 37, § 41, § 44, § 50) maxima, et essentialia discrimina dantur. — Ex ipsa vero animae nostrae cognitione recte colligimus, praeter materialia existere etiam entia spiritualia, quae, licet cum Deo, Ente simplicissimo, omniscio et liberrimo maiorem similitudinem babeant, a perfectione tamen Spiritus infiniti longissime absunt. — Omnia autem entia, tempori subiecta, limitibus coarctata et mutationibus obnoxia, appellari solent *contingentia*, ut a Deo, Ente absoluto et infinite perfecto, distinguantur. Cunctorum vero entium contingentium complexus *Mundus*, seu *Universum* dici consuevit. Mundus ergo est complexus omnium entium contingentium, finitorum, mutabilium et inter se connexorum, quae Deus non sunt, seu - est universitas rerum omnium praeter Deum existentium. —Maximi autem momenti est, ut relatio cognoscatur, quae inter Deum et mundum intercedit. Hanc porro facile detegemus, si recta rationis principia sequamur, et multo magis si doctrinam Revelationis audiamus. Ipsa enim sana ratio dictat, et luculentius Revelatio docet, Deum omnium entium, praeter ipsum existentium, esse Creatorem, Conservatorem et Gubernatorem: quae veritas in hac

secunda Theologiae dogmaticae specialis parte enucleanda venit. — In hoc itaque tractatu exponenda est 1° *mundi Creatio*, seu operatio divina, a qua totum Universum initium cepit, et 2° *mundi Conservatio* et *Gubernatio*, seu *Providentia divina*, per quam Universum existentiam suam continuat et ad finem suum dirigitur.

Nota 1. Nomen *mundi* in sacra Scriptura non semper in eodem sensu sumitur. Hincinde per mundum non intelligitur nisi orbis terrarum, ut: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae* (1); interdum mundus denotat solum genus humanum, ut: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (2) etc.; quandoque per mundum significantur homines perversi, ut: *Vae mundo a scandalis* (3). *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit* (4); ipsa quoque corruptio generis humani per mundum exprimitur, ut: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* (5). Ast eadem vox etiam in eodem sensu adhibetur, quo in ista tractatione sumitur, nimirum pro rerum contingentium universitate, ut: *Ipse* (Deus) *fines mundi intuetur* (6); *potest universum mundum uno nutu delere* (7); *mundus per ipsum factus est* (8). — Notandum porro est, in S. Bibliis hoc idem, quod hic per mundum intelligimus, aliis quoque terminis designari. Tota enim rerum contingentium universitas exprimitur, per *coelum, et terram* (9); quibus adiungitur et *omnis ornatus eorum* (10); et *mare, et omnia, quae in eis sunt* (11); per *visibilia, et invisibilia* (12).

Nota 2. Quoniam Deus tempori subiectus non est, ita, ut ne duo quidem momenta in ipso secerni queant, nullaque mutatio in ipso contingere possit, etiam ipsius operationes non successivae, sed simultaneae sunt, et uno, simplicissimo actu perficiuntur. Ast quia nos hunc unum simplicissimum et infinitum actum uno obtutu perspicere non valemus, varios actus, seu varias operationes divinas iuxta diversos effectus, qui producuntur, mente nostra distinguimus, et sic primo creationem, et postea conservationem et gubernationem mundi consideramus. Sollicite autem cavendum est, ne ipsi Deo operanti illa successio adscribatur, quae solum in effectibus, seu in creaturis invenitur.

SECTIO I.

DE DEO CREATORE

§ 130. Prima Dei ad Universum relatio, et reliquarum, quas nostro cogitandi modo discernimus, relationum fundamentum est relatio *Creatoris*. Primo ergo Deum ut totius mundi opificem, seu mundum ut opus Dei considerare oportet. Necesse praeterea est, ut creationis historia, a Moyse relata, recte exponatur, et contra adversariorum obiectiones defendatur. Postea convenit, ut oculos ad ipsas res creatas convertamus, inter quas praecipuum locum tenent Angeli et Homines. In hac itaque sectione 1° *de mundi creatione*, 2° *de creationis historia a Moyse relata*, 3° *de Angelis*, et 4° *de hominibus, caeterisque creaturis* tractatio suscipitur.

(1) Marc. 16, 15. (2) Io. 3, 16.
(3) Matth. 18, 7. (4) Io. 15, 18.
(5) 1 Io. 2, 16. (6) Iob 28, 24.
(7) 2 Mach. 8, 18. (8) Io. 1, 10.
(9) Gen. 1, 1. (10) Gen. 2, 1.
(11) Act. 4, 24. (12) Col. 1, 16.

CAPUT I.

DE MUNDI CREATIONE

§ 131. Doctrina revelata de mundi creatione sequenti propositione continetur: Deus iuxta aeternas suas ideas, et liberrima sua decreta per omnipotentiam suam totum mundum ex nihilo in principio temporis ad gloriam suam creavit (1). Ut haec doctrina rite explanetur, et demonstretur, 1° *de ideis, et decretis divinis, mundum respicientibus*, 2° *de mundi productione ex nihilo et in tempore*, et 3° *de fine mundo praefixo disserendum est.*

Nota. Dum de creatione sermo instituitur, solet aeterna totius Universi idea et creationis decretum *Patri*, huiusce decreti executio, seu ipsa rerum productio *Filio*, et creationis consummatio, seu perfectio *Spiritui sancto* attribui. In ipsa S. Scriptura similia occurrunt: *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia - et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia* (2). *Spiritus eius ornavit coelos* (3). Eadem appropriatio etiam in Ss. Patribus invenitur: *S. Athanasius* (4) inquit: « Pater per Filium in Spiritu creat omnia. » *S. Basilius* (5) scribit: « In rerum creatione cogito Patrem ut primam creaturarum causam, Filium ut causam creantem, Spiritum sanctum ut causam omnia perficientem. » Similia habent *S. Gregorius Naz.* (6), *S. Ambrosius* (7), *S. Augustinus* (8). Et *Concilium CPtanum V*, c. 1, ait: *Unus Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Deus, per quem omnia, et unus Spiritus sanctus, in quo omnia* (9). Ast cum Pater dicitur omnia decernens, Filius omnia producens, et Spiritus sanctus omnia perficiens, cavendum est, ne quis arbitretur, alium actum, et quidem tempore priorem poni a Patre, alium a Filio, et alium a Spiritu sancto; nam nos tantum mente nostra limitata varios actus distinguimus, in Deo autem decernere, producere et consummare est unus simplicissimus et simultaneus actus. Praeterea ante oculos habenda est Theologorum sententia, qua docent, operationes divinas externas tribus personis esse communes. Ideo etiam Ss. Patres creationem modo Patri, modo Filio, modo Spiritui sancto adscribunt (10), et si in tanto opere varios actus distinguunt, attamen actum, quem uni Personae attribuunt, alteri non denegant. Sic *Origenes*, *Hilarius*, et *S. Augustinus* etiam omnium creandarum rerum ideas Verbo adscribunt (11). Cavendum igitur est, ne id personis divinis *proprium* dicatur, quod a Patribus et Conciliis ut *appropriatum* habetur (Cf. § 119). — Egregie hac de re disserit *S. Thomas* (12): « Creare, ait, convenit Deo secundum suum esse, quod est eius essentia, quae est communis tribus personis. Unde creare non est proprium alicui personae, sed commune toti Trinitati. Sed tamen divinae personae secundum rationem suae processionis habent causalitatem respectu creationis rerum. Ut enim supra ostensum est (13), cum de Dei scientia et voluntate ageretur, Deus est causa rerum per suum intellectum et voluntatem, sicut artifex rerum artificiatarum. Artifex autem per Verbum in intellectu

(1) Cf. Staudenmayr t. 3, part. 2, § 4.
(2) 1 Cor. 8, 6.
(3) Iob 26, 13. — Cf. Ps. 32, 6; Io. 1, 3; Col. 1, 16; Iob 33, 4. (4) Serm. 3, n. 5.
(5) L. de Spir. S. c. 16. (6) Or. 38, n. 9.
(7) Hexaem. l. 2, c. 5, n. 18.
(8) L. 11 de Civ. Dei c. 32
(9) Cf. Klee p. 2, lib 1, c. 1, Staudenmayr l. c. § 5 etc.
(10) V. Klee l. c. n. 2.
(11) V. Petav. de Deo l. 4, c. 11, n. 8 etc.
(12) 1, q. 45, art. 6.
(13) Q. 14, art. 8 et q. 19, art. 4.

conceptum, et per amorem suae voluntatis ad aliquid relatum operatur. Unde et Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, et per suum amorem, qui est Spiritus sanctus. Et secundum hoc processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, in quantum includunt essentialia attributa, quae sunt scientia et voluntas. » Et alibi (1) ait: « Dicendum, quod, sicut natura divina, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit, in quantum Filius accipit naturam divinam a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque: ita etiam et virtus creandi, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit. Nam Filius habet eam a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque. Unde creatorem esse attribuitur Patri, ut ei, qui non habet virtutem creandi ab alio. De Filio autem dicitur, *per quem omnia facta sunt* (2), in quantum habet eandem virtutem, sed ab alio. Nam haec praepositio *per* solet denotare causam mediam, seu principium de principio. Sed Spiritui sancto, qui habet eandem virtutem ab utroque, attribuitur, quod dominando gubernet et vivificet, quae sunt creata a Patre per Filium. — Potest etiam huius attributionis communis ratio accipi ex appropriatione essentialium attributorum. Nam Patri attribuitur et appropriatur potentia, quae maxime manifestatur in creatione, et ideo attribuitur Patri creatorem esse. Filio autem appropriatur sapientia, per quam agens per intellectum operatur. Et ideo dicitur de Filio: *per quem omnia facta sunt*. Spiritui sancto autem appropriatur bonitas, ad quam pertinet gubernatio, deducens res in debitos fines, et vivificatio; nam vita in interiori quodam motu consistit; primum autem movens est finis et bonitas. »

(1) Ibid. ad 2. (2) Io. 1.
(3) Eccli. 23, 29.

ARTICULUS I.
De ideis, et decretis divinis mundum respicientibus.

§ 132. Omnis artifex, ratione intelligentiaque utens ad agendum, operis in mente insidentem habet speciem, quam contuens, et in eam intentus, illius in opere similitudinem conatur exprimere. Hanc impressam in animo figuram ac formam, aut exemplar, Graeci ἰδέαν, Latini *ideam* vocant. Ut autem opus perficiatur, non sufficit, ut artifex illius ideam in mente habeat, sed requiritur, ut etiam in voluntate illud construendi decretum concipiat. — Et haec, quae de artifice humano dicuntur, recte etiam Deo applicantur. Nam opera divina externa non perficiuntur, nisi iuxta nostrum concipiendi modum a Deo praecognita et decreta fuerint. Rectus itaque doctrinae ordo exposcit, ut *de ideis et decretis divinis* agamus prius, quam ad opera ipsa descendamus.

1. *De ideis divinis.*

§ 133. 1. Dari in mente divina ideas eorum, quae per creationem ad existentiam perducuntur, ipsa S. Scriptura testatur, dicens: *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita* (3). — (Cf. § 32). — Idem Ss. Patres docent. *S. Dionysius* (4) ait: « Divina mens omnia continet antecellente omnibus cognitione, ratione illa, qua causa est omnium, scientiam in se omnium ante complectens. » *Origenes* (5) inquit: « Opinor, sicut domus et navis fabricatur, vel aedificatur iuxta figuras et formas mentibus eorum, qui structurae praesi-

(4) L. de div. Nom. c. 7. (5) In Io. t. 1.

dent, conceptas, domo navique principium sumentibus ab his figuris et rationibus, quae sunt in artifice; sic universa facta fuisse iuxta rerum futurarum rationes iam antea a Deo manifestatas in sapientia: omnia enim in sapientia fecit. » *S. Augustinus* (1) docet, « In una Dei sapientia esse immensos quosdam atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium et mutabilium, quae per istam factae sunt, quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest. Porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quae noverat. » Idem (2) ait: « Non aliter novit Deus facta, quam fienda, » et (3): « Haec igitur antequam fierent utique non erant, quomodo igitur Deo nota erant, quae non erant? non enim quidquam fecit ignorans. Nota igitur fecit, non facta cognovit: proinde antequam fierent et erant, et non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua natura. » — Etiam Theologi cum *S. Thoma* (4) docent, admittendas esse in Deo ideas, ratio est, quia Deus tanquam summus rerum omnium artifex operatur sciens et volens; sed qui operatur sciens, et volens, habet ideas rerum omnium, quas producit conformes illis ideis: ergo etc. (5).

2. Theologi sicuti in homine, ita et in Deo duplicem ideam distinguunt, nimirum *obiectivam* et *formalem*. Hanc distinctionem ita explicat Cl. *Antoine* (6): « Idea obiectiva, quae est simpliciter idea, est forma, seu exemplar existens in mente artificis, ad cuius imitationem artifex operatur. Idea formalis est ipsa cognitio formae, seu exemplaris, quod artifex sibi suo opere exprimendum proponit.

« *Resp.* I. Divina idea obiectiva rerum omnium conditarum est realiter ipsa essentia divina, quatenus est omnium perfectionum cumulus, et in se modo quodam excellenti continet omnes perfectiones creaturarum. Nam sic sumpta est participabilis a creaturis, et aptissima, ut modo quodam excellenti sit exemplar rerum omnium, quae a Deo fieri possunt; estque perfectissima quaedam imago rerum omnium producibilium, illarum repraesentativa secundum naturam, essentiam, proprietates omnes et modum, quo fieri debent. Quare idea obiectiva, quam Deus habet rerum a se productarum, est unica et simplex realiter: sed virtualiter et logice multiplex: siquidem illa idea est ipsissima essentia divina quatenus est participabilis et imitabilis a creaturis, licet sit realiter unica et simplex, tamen aequivalet ideis innumeris realiter inter se distinctis; nam, seclusis imperfectionibus, per seipsam modo quodam excellenti praestat in ratione exemplaris id, quod praestarent ideae realiter inter se distinctae et propriae singulorum entium producibilium. »

« *Resp.* II. Idea formalis divina est divina cognitio omnium et singulorum entium producibilium, ut producibilium secundum propriam cuiusque essentiam, naturam, proprietates et differentiam individualem sufficiens ad Deum dirigendum in rerum productione. Quare haec idea est ipsa scientia simplicis intelligentiae spectata, quatenus dirigit Deum in rerum productione. » Circa istam distinctio-

(1) L. 12 de Civ. Dei c. 20.
(2) De Genesi ad litt. l. 5 c. 7.
(3) ibid. c. 18. (4) I, q. 15, art. 1.

(5) Cf. Petav. l. c. Staudenmayr l. c. § 7.
(6) In Theol. univ. spec. et dogm. De Deo c. 5, a. 7.

nem, quae passim in Theologis scholasticis invenitur, nonnulla observanda sunt, ut erroneis conceptibus aditus praecludatur. *a*) Sicut attributa divina essentialia non realiter, sed solum mente nostra inter se distinguuntur, ita etiam in Deo idea obiectiva ab idea formali realiter non distinguitur, sed utraque est scientia divina, seu intellectus divinus, qui est ipsa essentia Dei. *b*) Deus cognoscit omnia, ut dicunt, *producibilia*, sive haec mere possibilia maneant, sive ad existentiam a Deo perducantur: possibilia autem ut non entia a Deo non cognoscuntur, nec possunt cum divina essentia comparari; nam, ait Cl. *Billuart* (1): « apprehendere non ens quasi esset ens importat imperfectionem, ut docent logici nostri: » ergo Deus dicitur possibilia cognoscere, cum cognoscit omnipotentiam suam (Cf. § 31). Quod autem ea attinet, quae a Deo ad existentiam perducuntur, nos solum limitata nostra mente distinguimus Deum prius ideam efformantem, dein productionem decernentem, ac demum hoc decretum exequentem; sed in Deo non datur prius ac posterius, sed omnia uno et simplicissimo actu fiunt, unde *S. Augustinus* (2) ait: « Deus non aliter scivit creata quam creanda. » *c*) Essentia divina recte nominatur exemplar, seu prototypon omnium creaturarum, et hae recte dicuntur illam imitari, seu de illa participare; nam creaturae solum verae, bonae, pulcrae sunt, quatenus imitantur essentiam divinam, seu participant de veritate, bonitate et pulcritudine Dei. Cavendum autem est, ne quis putet, Deum adinstar artificis humani essentiae suae attributa quasi regulas prius aspicere, et dein ideas concipere, et creaturas illis conformes reddere; non enim scientia Dei, quae est ipsa essentia divina, a reliquis attributis, quae etiam cum eadem simplicissima Dei essentia identificantur, quasi dependens concipi potest: dicendum ergo potius est, creaturas veras, bonas, pulcras etc. fieri, quia, et quatenus a Deo producuntur, qui est ipsa veritas, summa bonitas, infinita pulcritudo etc., et ideo nonnisi vera, bona, pulcra etc. efficit. In hoc sensu a *S. Augustino* (3), et ab aliis Deus, seu essentia divina creaturarum exemplar, seu prototypon nominatur (4).

3. Cum ideae in Deo non sint nisi ipsa scientia, seu essentia Dei, manifeste sequitur, ipsas *aeternas* et *incommutabiles* esse. Satis clare id docet *S. Augustinus* (5), dicens: « Ideae sunt principales formae quaedam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quia ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo se habentes, quae in divina intelligentia continentur. Et cum ipsae neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit: » et paucis interiectis pergit: « Quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidisse? quodsi recte dici et credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo, qua equus; hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum in-

(1) T. 1, diss. 6, art. 7. Petes 4.
(2) L. 15 de Trin. c. 13.
(3) L. 9 de Trin. c. 7.
(4) Cf. Waibl. dogm. II Abh. p. 264. Philibert Phil. der Aett. 2, Th. § 323.
(5) Lib. 83 quaest. 46.

tuetur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hae rerum creandarum, creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam nisi aeternum atque incommutabile potest esse, — non solum sunt ideae, sed ipsae verae sunt, quia aeternae sunt, et eiusmodi, atque incommutabiles manent, quarum participatione fit, ut sit, quidquid est, quoquo modo est.» Idem Sentit *S. Thomas* qui (1) allata *S. Augustini* verba citat, et in lib. Sent. (2) dicit: «Idea est ratio aeterna in mente divina, secundum quam aliquid est formabile ad extra, ut secundum propriam rationem eius.» Idem sana ratio dictat. Nam si ideae divinae aeternae non essent, in tempore in mente divina orirentur, aut si Deus non ab aeterno omnia cognosceret, eius scientiae aliquid accederet, atque in utroque casu Deus mutaretur: quod, quam absurdum et impossibile sit, quilibet facile cognoscit.

Nota 1. *Plato* admisit ideas, non autem in mente divina, sed extra Deum existentes: tria ergo, uti testatur *Iustinus M.* (3), pro rebus creatis principia statuit, nimirum Deum, materiam et ideas. Idem de Platone asserunt *S. Irenaeus* (4) et *S. Cyrillus Alex.* (5). *S. Ambrosius* (6) dicit: « Tantumne opinionis sumpsisse homines praesumpserunt, ut aliqui eorum tria principia statuerent, Deum, exemplar et materiam, sicut Plato discipulique eius, et ea incorrupta et increata, et sine initio esse asseverarent: Deumque non tanquam creatorem materiae, sed tanquam artificem ad exemplar, hoc est ideam intendentem fecisse mundum de materia, quam vocant hylen.» Hanc sententiam Platonis de ideis aeternis, extra Deum existentibus iam *Aristoteles* impugnavit, eamque Ss. Patres et Theologi christiani semper ut falsam et heterodoxam reiecerunt. Sane contra hanc sententiam *S. Augustinus* (7) dicit: « Has rationes ubi arbitrandum est esse nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuetur, ut secundum id constitueret, quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est.» Et *S. Thomas* (8) ait: « Deus non intelligit res secundum ideam extra se existentem, et sic etiam Aristoteles (9) improbat opinionem Platonis de ideis secundum quod ponebat eas per se existentes, non in intellectu.»

Nota 2. Nonnulli recentiores, quamvis sententiam Platonis improbent, atque ideas in ipso Deo existere asserant, in eo tamen aberrant, quod ideas divinas a scientia, seu essentia divina realiter distinguant. Sic Cl. *Staudenmayr* distinguit (10), duplicem *Logon*, simpliciter et absolute, nimirum *Logon divinum*, qui est Filius Dei, et *Logon mundi* (Weltlogos), i. e. aeternam cogitationem (seu ideam) Patris de mundo. Haec autem distinctio falsa, et doctrinae Ss. Patrum ac Theologorum contraria est. — Iuxta istos enim idea sive formalis, sive obiectiva est ipsa essentia divina. *S. Augustinus* (11) ait: «In divinae naturae simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse, sed quod est sapere, hoc est et esse.» Et *S. Thomas* (12) inquit: «Deus secundum

(1) 1, q. 15, a. 2.
(2) Dist. 35, q. un.
(3) Cohort. ad Gent. c. 6.
(4) Adv. Haer. l. 1, c. 19.
(5) Adv. Iulian. l. 2.
(6) Hexaem. l. 1, c. 1.
(7) L. c.
(8) 1, q. 15, a. 1 ad 1.
(9) L. 3 Metaph.
(10) L. c. § 11, p. 67 et 71.
(11) L. 15 de Trin. c. 13.
(12) 1, q. 15, art. 1 ad 3.

essentiam suam est similitudo omnium rerum: unde idea in Deo nihil est aliud, quam Dei essentia. » Cum autem etiam Logos divinus, seu Filius Dei sit essentia divina, quomodo dici potest, quod ab idea, quae in Deo est, simpliciter et absolute distinctus sit? — Sicut una est Patris et Filii essentia, ita etiam unus intellectus, una cogitatio, una idea, et haec unitas non ex sola consensione intellectus Filii cum intellectu Patris, sed ex numerica unitate naturae exurgit (§ 95 etc.). S. *Athanasius* distinguit quidem duplicem Logon, sed nullibi aeternam cogitationem Patris de mundo simpliciter et absolute distinguit a Verbo, seu Filio Dei: ipse (1) distinguit Logon divinum, « qui ab omnibus creaturis diversus, *proprius et unicus* Logos boni Patris est, » et Logon creatum, qui in natura et in spiritibus invenitur. In eodem sensu Ss. Patres distinguunt Sapientiam increatam, quam per appropriationem Filium Dei esse dicunt (§ 119, n. 2), et Sapientiam creatam, de qua creaturae, et praecipue entia intelligentia participant: illa aeterna, infinita, Patri, et Filio, et Spiritui sancto communis est; haec producta, finita, vario modo in creaturis invenitur: illa causa est, haec effectus. Haec distinctio omnino catholica, et necessario admittenda est. Ab hac autem doctrina recedunt, qui ideas divinas a scientia, sapientia et essentia divina distinguunt, et tamen non solum ideis, sed et earum obiecto, i. e. mundo ideali, seu ideali creationi aeternitatem attribuunt (2), cum tamen praeter Deum nihil aeterni esse possit ut inferius ostendetur. — Probabilius ad hunc errorem evitandum et refellendum D. *Klee* (3), ideas rerum aeternas esse negat. Certe enim tam doctus Theologus aeternam rerum omnium praescientiam Deo non denegat, sed loqui videtur de ideis, quas nonnulli a scientia et essentia Dei distinguunt, et a Deo tanquam rerum omnium exemplaria procreatas autumant; si enim creatae sunt, aeternae esse non possunt. Sed iste mundus idealis, tum a scientia Dei, tum a mundo reali distinctus, vere solum in ideis eorum subsistit, qui rectos de attributis et operationibus divinis conceptus non habent (4).

Nota 3. Nonnulli putant, quod ex doctrina Theologorum, qui Deum prototypon, exemplar, seu ideam mundi nominant, necessario Pantheismus inferatur. Nam, aiunt, sicut domus aedificata non est nisi externa manifestatio ideae, quam artifex prius in mente habuit, ita, si Deus est idea mundi, etiam ipse mundus non est nisi exterior manifestatio Dei, seu est ipse Deus externe manifestatus (5). — Sed facile est ostendere, hanc pravam illationem ex praefata Theologorum doctrina nullatenus fieri posse. Nam Theologi duplicem ideam distinguunt, *formalem* et *obiectivam*. a) Idea formalis est ipsa scientia Dei, seu Deus cognoscens. Distinguere autem oportet Deum cognoscentem, et id, quod cognoscit. Deus cognoscens unus est, sed obiectum cognitionis divinae duplex secernitur; Deus enim cognoscit seipsum, et cognoscit omnia entia extra se existentia: in priori cognitione, ut optime Cl. *Staudenmayr* observat (6), inter obiectum et subiectum cognitionis identitas adest, non vero in posteriori; nam Deus cognoscit seipsum ut Ens a se, absolutum, infinitum, caetera autem omnia

(1) Adv. Gent. c. 40.
(2) V. Staudenmayr § 7 p. 87.
(3) L. c. § 2, n. 3.
(4) Cf. Dieringer. Dogm. § 32, n. 3, p. 191.
(5) Cf. Staudenmayr § 8.
(6) P. 49.

cognoscit ut contingentia, producta, finita, a se essentialiter distincta. Tantum ergo abest, ut idea formalis, seu scientia Dei, ita declarata, Pantheismo faveat, ut huic potius e diametro opponatur. Inepte etiam exemplum de artifice humano applicatur. Quamvis enim recte dicatur, domum aedificatam esse ideam artificis externe manifestatam; risu tamen exciperetur, qui inde inferret, domum ipsum artificem esse. *b)* Neque ex iis, quae de idea obiectiva dicuntur, Pantheismus inferri potest. Dicitur equidem Deus, seu essentia divina prototypon, exemplar, seu idea omnium rerum; ast ideo non sequitur, creaturas Deo aequales esse, aut cum Deo identificari, sed id solum asseritur, ipsas similitudinem quandam cum Deo habere. In creaturis enim perfectiones inveniuntur, e. g. esse, vivere, intelligere, velle, etc., sed, ut Theologi dicunt, omnes istae perfectiones in Deo sunt eminenter et infinite, ac in hoc sensu essentia divina, tanquam cumulus omnium perfectionum, dicitur exemplar omnium perfectionum, quae sunt in creaturis, quamvis istae a suo exemplari infinite distent. Ideo *S. Thomas* (1) dicit: « Essentia divina est idea rerum, non quidem ut est essentia, sed ut est intellecta; res autem creatae non perfecte imitantur divinam essentiam: unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum, sed cum proportione creaturae fiendae ad ipsam divinam essentiam, secundum quod deficit ab ea, vel imitatur eam: diversae autem res diversimode ipsam imitantur. » Et (2) ait: « Quamvis aliquid Dei derivetur ad creaturam, nullo tamen modo potest concedi, quod creatura habeat aliquid per modum illum, quo habet illud Deus, et quamvis aliquo modo concedamus, esse similitudinem inter creaturam et Deum, nullo tamen modo concedimus, ibi esse aequalitatem. » Quis iam dicet, talem doctrinam viam sternere Pantheismo? Equidem Cl. *Staudenmayr* putat, non oportere dici, Deum esse ideam mundi, sed: in Deo esse ideam mundi: ipseque plures Theologos citat, qui hac ultima phrasi utuntur. Sed notandum est, quod Theologi, qui dicunt ideam mundi esse in Deo, seu in mente divina, non negent, quod idea sit ipsa scientia, seu essentia divina, uti patet ex S. Thoma, qui utraque loquendi formula utitur. Sicut enim, si dicitur: in Deo est omnipotentia, non negatur, hanc esse essentiam divinam, ita dicendo: in Deo est idea mundi, non negatur, hanc esse essentiam divinam. Ast praelaudatus auctor non audet dicere: idea mundi est Deus, quia ideam ab essentia divina distinguit: sed - si ab essentia divina distincta est, quomodo in Deo esse potest? - quaerimus an haec idea - ab essentia divina distincta infinita sit, nec ne? si infinita est, ergo duae infinitae distinctae essentiae dantur, aut in Deo non Trinitas, sed quaternitas erit statuenda: si autem dicitur finita, ergo in Deo aliquid finiti, creati et accidentalis datur: sic incidit in scyllam, qui vult vitare charybdin.

II. *De decretis divinis.*

§ 134. 1. Nomine divini decreti intelligitur ipsa Dei voluntas, aut potius actus, seu determinatio divinae voluntatis, quae statuit de rerum contingentium existentia, ordine, modo, nexu, finibus aliisque adiunctis, quae ipsas attinent. In S. Scriptura variis nominibus divinae voluntatis decretum exprimitur. Aliquando vocatur *consilium* (3), aliquando *proposi-*

(1) Quaest. de verit. q. 3, a. 2.

(2) Ibid. art. 1. (3) Is. 46, 10. Luc. 7, 30.

ium (1). Interdum *praedestinatio* (2), interdum *praescientia*, aut *praecognitio* (3), nec non *beneplacitum* (4). Neque desunt in sacris Litteris nomina alia, quibus Dei decreta nonnunquam designantur, velut *viae* (5), *iudicia* (6), *voluntas* (7) et similia.

2. Existere decreta divina claris verbis docet Apostolus: *Praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae* (8). Idem eruitur ex Is. XLVI, 10, ubi Deus ipse dicit: *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet:* consilium ergo Dei, seu voluntas divina tanquam causa eorum, quae a Deo efficiuntur, assignatur. Ideo Ps. CXXXIV, 6 dicitur: *Omnia, quaecunque voluit, fecit in coelo et in terra*, et Apoc. IV, 11: *Tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* — Ipsa sana ratio opera divina sine decretis voluntatis divinae concipere non potest (§ 132). Homines equidem prius ideam operis in mente concipiunt, et postea istud actu perficere in voluntate sua decernunt. In Deo autem omnia uno simplicissimo actu perficiuntur. Sicut enim intellectus divinus est ipsa essentia divina, ita etiam voluntas Dei est ipsa essentia divina. Intime ergo ideae divinae et decreta divina uniuntur, atque ideo a Patribus et Theologis ipsae ideae divinae etiam *praedefinitiones*, *praedestinationes*, *praedeterminationes* vocantur. In eodem sensu *S. Augustinus* (9) ad Deum dicit: « Scientia tua est, et vult incommutabiliter: et voluntas tua scit, et vult incommutabiliter. » *S. Io. Damascenus* (10) inquit: « Secundus imaginis modus est eorum, quae a Deo facienda sunt, notio, quae inest ipsi, hoc est saeculis anterior omnibus eius voluntas, quae eodem modo semper habet. Est enim divinum immutabile numen, eiusque voluntas initium non habet, qua perinde atque ante saecula voluit, in definito ab ipso tempore fiunt, quae definita sunt. Imagines enim, et exempla faciendorum ab illo, singulorum est ipsorum notio, quae et praedestinationes apud S. Dionysium vocantur. Nam in eius consilio expressae continebantur formae atque imagines rerum, antequam fierent, quae quidem ab ipso praefinitae, et sine dubitatione erant futurae. » Praeclare hanc in rem S. Petrus Damiani (11) scribit: « Voluntas Dei omnium rerum sive visibilium, sive invisibilium causa est, ut existant; adeo ut condita quaeque antequam ad formarum suarum visibiles procederent species, iam veraciter atque essentialiter viverent in sui opificis voluntate. » Et (12) in locum Apoc. IV, 11, *tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt*, ait: « Prius dicitur, quia erant, et postmodum fuisse creata, quia quae foris expressa sunt per conditionem operis, iam intra erant in providentia et consilio Creatoris. »

3. Quia decreta divina sunt ipsa voluntas Dei, omnia attributa, quae voluntati et essentiae divinae competunt, etiam de illis recte praedicantur. Ideo in S. Scriptura decretis divinis tribuitur: - a) *Sapientia: Sapientiam Dei praecedentem omnia quis investigavit?... ipse creavit illam,... et effudit illam super omnia opera sua* (13). — b) *Profunditas: O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles*

(1) Rom. 8, 28. 2 Tim. 1, 9.
(2) Rom. 8, 29 etc.
(3) Act. 2, 23.
(4) Eph. 1, 9.
(5) Prov. 8, 22.
(6) Rom. 11, 33.
(7) Ps. 52, 7.
(8) Eph. 1, 11.
(9) L. 13 de Civ. Dei c. 13.
(10) Or. 3 de imag.
(11) Opusc. 36, c. 2.
(12) C. 4.
(13) Eccli. 1, 3 etc.—Cf. Prov. 16, 4. Sap. 11, 21.

viae eius (1)!—*c*) *Libertas:* Christus ad Patrem ait: *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te* (2). Deus sub imagine patrisfamilias quaerit: *Non licet mihi, quod volo, facere* (3)?— *d*) *Aeternitas: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (4). *Notum a saeculo est Domino opus suum* (5). — *e*) *Immutabilitas: Consilium Domini in aeternum manet* (6). *Voluntas Domini permanebit* (7). —*f*) *Efficacia: Dominus exercituum decrevit: et quis poterit infirmare* (8)? *Omnis voluntas mea fiet* (9). — *g*) *Amplitudo:* decreta enim divina ad omnia, quae fiunt, extenduntur ita, ut Christus dicat de passeribus: *unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro* (10). —*h*) *Simplicitas:* omnia quippe, quae fiunt, simplicissimo voluntatis actui adscribuntur: *Quaecunque voluit, fecit* (11). *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (12).

4. Quamquam vero unum tantummodo proprie ac reapse detur in Deo decretum, idque aeternum et immutabile; nostro tamen cogitandi modo plures habet partes. Cum enim sit limitata hominum intelligendi vis, ut obtutu uno perspicere decretum infinitum minime possimus; innumerabilia in Deo decreta admittimus; tot videlicet, quot dantur res rerumque affectiones, etc., ut modo aliquo percipiamus quid decreverit Deus. Ex eadem ratione decreta divina varie dividuntur, praecipue in *absoluta* et *hypothetica*. Absoluta dicimus, quorum ratio a solis attributis Dei internis petitur, v. gr. creatio mundi, etc. Hypothetica appellantur ea, ad quae formanda concurrunt etiam res extra Deum positae; huc praecipue referuntur decreta ea, quae hominum felicitatem aeternam, aut infelicitatem attinent. Decretum *universale* dicitur, quo Deus vult nexum rerum omnium simul. *Particulare* versatur circa hoc duntaxat, aut illud obiectum. Denique Theologi in Deo quantum ad actiones malas nonnisi *decretum permittendi* admittere, quantum ad actiones bonas vero *decretum efficiendi* statuere solent (13).

Nota 1. Ex tradita de ideis et decretis divinis theoria sequitur, nihil in mundo ex casu fortuito contingere, aut ex ineluctabili fato fieri, sed omnia a Deo sapientissime ac liberrime produci et ordinari. Ideo *S. Irenaeus* (14) ait: Deus « neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libertate fecit omnia. » *S. Augustinus* (15) scribit: « In eo vero, quod dicitur: *vidit Deus, quia bonum est*, satis significatur, Deum nulla necessitate, nulla sua cuiusque utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse, quod factum est, id est quia bonum: » idem (16) inquit: « Manifestum est etiam, non factum esse hominem contra quam erat in illa prima conditione causarum; quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamvis non ibi erat ita fieri necesse esse: hoc enim non erat in conditione creaturae, sed in placito Creatoris, cuius voluntas rerum necessitas est. » *S. Thomas* (17) ait: « Necesse est dicere, voluntatem Dei esse causam rerum, et Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturae. »

Nota 2. Dei decreta negant omnes, quicunque bruto ac stoico fato, atque indeclinabili necessitate omnia peragi

(1) Rom. 11, 33 etc. (2) Matth. 11, 26.
(3) Matth. 20, 15. — Cf. Rom. 9, 18.
(4) Ephes. 1, 4 (5) Act. 15, 18.
(6) Ps. 32, 11. (7) Prov. 19, 21.
(8) Is. 14, 27. (9) Is. 46, 10.
(10) Cf. Act. 2, 33 et 4, 28.

(11) Ps. 113, 3. (12) Ps. 148, 5.
(13) Cf. Klüpfel l. 1, § 42, § 48.
(14) L. 2 adv. haer. c. 1, n. 1.
(15) L. 11 de Civ. Dei c. 24
(16) De Genesi ad litt. l. 6, c. 15.
(17) 1, q. 19, art. 4.

affirmant cum *Fatalistis* et *Atheis*. *Spinoza* (1) pronuntiat: « Liberum Dei decretum fictitium esse demonstramus. » Decretis divinis non minus adversantur *Epicuraei*, qui casui fortuito omnia tribuunt. *Sociniani* et *Arminiani* negant decretorum divinorum aeternitatem et immutabilitatem. Ex illis lo. *Crellius*, quanquam decreta absoluta immutabilia esse fateatur, secus tamen sensit de decretis conditionatis: addit, decreta aeterna repugnare rectae rationi. Ex Arminianis negat *Limborchius*, unico simplicissimo voluntatis actu Deum omnia decrevisse ab aeterno: eandem sententiam tradunt *Episcopius*, *Vorstius* et alii. — Tum ideas divinas, tum decreta divina penitus reiiciunt recentiores *Pantheistae*, qui omnia naturae tribuunt, et Creatorem cum creaturis turpissime confundunt. Istorum absono et impio systemati e diametro omnia opponuntur, quae de ideis et decretis divinis dicta sunt.

Nota 3. Quaecunque extra Deum existunt, non a se, sed eatenus vera et bona sunt, quatenus cognoscuntur et decernuntur a Deo, qui est prima rerum omnium causa. In hoc sensu ideae divinae rerum veritas recte dicuntur, et quia ideae divinae sunt ipsa essentia Dei, sequitur, Deum ipsum sicut omnium rerum causam, sic omnium rerum veritatem esse. Id docet *S. Thomas* (2), dicens: « Si loquamur de veritate, secundum quod est in rebus, sic omnes sunt verae una prima veritate, cui unumquodque assimilatur secundum suam entitatem. Et sic licet plures sint essentiae, vel formae rerum, tamen una est veritas divini intellectus, secundum quam omnes res denominantur verae. » Et quia Deus, summa et infinita veritas, lucet menti nostrae (§ 4, n. 3, Cf. Th. gen. § 35), in hac ipsa luce rerum veritatem cognoscimus et diiudicamus; quod asserit *S. Thomas* (3) dicens: « Anima non secundum quamcunque veritatem iudicat de rebus omnibus, sed secundum veritatem primam; in quantum resultat in ea, sicut in speculo, secundum prima intelligibilia. » Similiter *S. Augustinus* (4) ait: « In illa aeterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundum quam sumus, et secundum quam vel in nobis, vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus: nec a nobis gignendo discedit. » In eadem veritatis luce cognoscimus etiam decreta divina, statum nostrum moralem respicientia, seu cognoscimus ipsam voluntatem divinam ceu legem aeternam, quam ad recte agendum sequi oportet (Cf. Th. gen., § 36). Praeclare hac de re disserit *S. Augustinus* (5) scribens: « Etiam impii cogitant aeternitatem, et multa recte reprehendunt, recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis iudicant, nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? — ubi eas vident? neque enim in sua natura, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat, quisquis in eis et hoc videre potuerit: nec in habitu suae mentis, cum illae regulae sunt iustitiae, mentes vero eorum constet esse iniustas. Ubinam sunt istae regulae scriptae, ubi quod sit iustum et iniustus agno-

(1) In sua Ethica p. 2, prop. 48.
(2) 1, q. 16, art. 6.
(3) Ibid. ad 1.
(4) L. 9 de Trin. c. 7.
(5) L. 14 de Trin. c. 15.

scit, ubi cernit habendum esse, quod ipse non habet? ubi ergo scriptae sunt, nisi in libro lucis illius, quae veritas dicitur? unde omnis lex iusta describitur, et in cor hominis, qui operatur iustitiam non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo et in ceram transit, et annulum non relinquit. Qui vero non operatur, et tamen videt quid operandum sit, ipse est, qui ab illa luce avertitur, a qua tamen tangitur. » Sicut ergo Deus omnia sciens et volens operatur, ita etiam in intellectum nostrum et in voluntatem nostram agit: illi nimirum ut prima veritas lucet, et huic ut supremus legislator imperat (Th. gen. § 36): quapropter Verbum dicitur *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (1). In hac veritatis luce cognoscimus summa Dei decreta, quae praescribunt, quid faciendum, quidque vitandum sit, seu cognoscimus ipsam voluntatem divinam, cui obtemperare debemus, ut recte agamus. In hoc sensu idea divina de mundo, prout etiam decreta divina complectitur, sicut veritas rerum, ita etiam earundem regula et lex moralis recte dicitur (2).

ARTICULUS II.
De productione mundi ex nihilo, et in tempore.

§ 135. Duplex distinguenda est processio divina, interna et externa (§ 98). Processio interna fit in ipsa essentia divina, ita ut persona, quae procedit, sit unius, eiusdemque essentiae cum persona, a qua procedit (§ 95, etc.) Sed admittenda est etiam processio divina externa, per quam a Deo oriuntur creaturae, ita ut ab essentia divina penitus distinguantur; et in hoc sensu extra Deum, seu praeter Deum existere dicantur. — Etiam duplicem processionem humanam secernere licet; ab homine enim procedunt interne cogitationes et volitiones, et externe verba et opera. Quis iam negabit, Deum quoque externe operari, et talia producere posse, quae ab ipsius essentia distincta, finita et mutabilia sint? — Certe Deus, sicut per infinitum intellectum talium entium ideam concipere, et per liberrimam voluntatem eorundem existentiam decernere, ita etiam per omnipotentiam ipsa producere potest. Qui haec inficiatur, omnipotentiae divinae limites ponit, Deumque ipsum e medio tollit. — Praeterea certum est, entia contingentia, a divina essentia prorsus distincta, vere existere (§ 129): quapropter, si certis argumentis ostenditur, entia praedicta originem suam a Deo habere, certum pariter est, vere dari processionem divinam externam, a processione interna omnimode distinctam. Sed tum ex Revelatione, tum ex ratione probari potest, Deum esse mundi, seu omnium entium contingentium auctorem. — Dogma catholicum, mundi, seu omnium entium contingentium originem respiciens, sequenti propositione enuntiatur: Deus 1° *omnia*, 2° *ex nihilo*, 3° *in tempore*, seu *cum tempore creavit*.

Nota. Per processionem divinam externam intelligitur ipsa creatio, quae est opus Dei externum, quo mundus esse coepit. *Creatio* recte definitur: productio rerum omnium ex nihilo, facta a Deo, qui mundo, quem ab aeterno in mente habuit, in tempore existentiam dedit. - Solent Theologi distinguere creationem *primam*, seu *immediatam*, per quam intelligunt productionem materiae rudis et informis; et creationem *secundam*, seu *mediatam*, per quam designari

(1) Io. 1, 9.

(2) Cf. Staudenmayr l. c. § 12-§ 15, p. 78-93.

volunt rerum omnium visibilium ex rudi illa materia eductionem, sive formationem corporum omnis generis, quibus mundus iste spectabilis constat. De hac distinctione in capite sequenti disserendum erit.

I. *Deus omnia creavit.*

§ 136. Deus omnia entia contingentia, visibilia et invisibilia, materialia et spiritualia produxit, eorumque omnium Auctor et Creator dicendus est. Dogma hoc catholicum ex S. Scriptura, ex Traditione et ex ratione probatur.

1. In V. T. Deum esse omnium Creatorem, clare asseritur, et tanquam dogma fundamentale statuitur. Moyses Genesin, seu librum de origine mundi ita orditur: *In principio creavit Deus coelum et terram* (1), i. e. quando praeter Deum nihil existebat, ipsumque tempus incipiebat, Deus creavit *coelum et terram*, sub quibus terminis Hebraei totum Universum intellexerunt. Magnificam hanc sententiam scriptores hagiographi subsequentes repetunt atque copiosius exornant. Ps. CXXXIV, 6 dicitur: *Omnia, quaecunque voluit, Dominus fecit in coelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis*. Ps. CXLV, 5-6. *Spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt*. Ps. CXLVIII. Propheta regius cum Angelos, astra et reliqua entia ad Deum laudandum excitasset, pro motivo adiicit: *quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (v. 5). — Isaias XLII, 5 inquit: *Sic dicit Dominus Deus creans coelos, et extendens eos, formans terram, et quae germinant ex ea, dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam:* et XLV, 18: *Haec dicit Dominus creans coelos, ipse Deus formans terram, et faciens eam, ipse plastes eius*. Ieremias laudat Deum viventem c. X, v. 12: *Qui facit terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit coelos*. Sap. I, 14 dicitur: *Creavit* (Deus) *ut essent omnia*.

2. In N. T. cum eadem emphasi idem dogma adseveratur. De Verbo, quod est Deus, dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est*. v. 10: *mundus per ipsum factus est* (2). Exclamant discipuli Christi: *Domine, tu es, qui fecisti coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt* (3). Similiter Lystris Paulus et Barnabas dixerunt: *Annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt* (4). Paulus in Areopago annuntiat *Deum, qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt* (5). Idem Deum rerum omnium, etiam Angelorum, Creatorem praedicat, dicens: *In ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum, et in ipso creata sunt* (6). Breviter idem dogma enuntiatur: *Qui autem omnia creavit, Deus est* (7); et: *Domine, Deus noster..... tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt* (8).

3. Deum omnia creasse, Ecclesia perpetuo credidit. In Symbolo Apostolico primus fidei articulus est: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae;* et Symbolum Nicaeno-CPtanum Deum *factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium* profitetur. *S. Clemens*

(1) Gen. 1, 1 (2) Io. 1, 3.
(3) Act. 4, 24 (4) Act. 14, 14
(5) Act. 17, 24. (6) Col. 1, 16.
(7) Hebr. 3, 4 (8) Apoc. 4, 11

Rom. (1) Deum « Patrem et Creatorem totius mundi » nominat: eadem nomina Deo tribuit *S. Iustinus M.* (2). *S. Irenaeus* (3) ait: « Ipse a semetipso fecit libere et ex sua potestate, et disposuit et perfecit omnia, et est substantia omnium voluntas eius. » *S. Ambrosius* (4) scribit: « Ex ipso principium et origo substantiae universorum, id est, ex voluntate eius et potestate. Omnia enim ex eius voluntate coeperunt, quia unus Deus Pater, ex quo omnia. » *S. Basilius* (5) docet, « primam omnium rerum causam esse Patrem, qui per Filium omnia producit, et per Spiritum sanctum perficit: » similia habent *S. Gregorius Naz.* (6), *Gregorius Nyss.* (7), *S. Cyrillus Alex.* (8). — Ita loquuntur Patres, ut contra sui temporis haereticos divinitatem Filii et Spiritus sancti tueantur, et totam Trinitatem creatricem omnium esse ostendant, pro captu humano varios actus distinguentes, et distinctis personis adpropriantes (Cf. § 131 not.). — *S. Chrysostomus* (9) inquit: « Deus est, qui omnia facit et praeparat, et iuxta voluntatem suam omnia apte componit. » *S. Augustinus* (10) ait: « Principium sine principio solus Pater est; ideo ex uno principio esse omnia credimus. » *Concilium CPtanum* generale V (11) dicit: *Unus Deus, et Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Iesus, per quem omnia, et unus Spiritus sanctus, in quo omnia. Concilium Lateranense IV* (12) docet: *Pater generans, Filius nascens, et Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, coaequales, coomnipotentes, et coaeterni, unum universorum principium, creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium.* Idem definierunt Graeci in Concilio Hierosolymitano, anno 1672 habito, dicentes: *Credimus, Deum - visibilium et invisibilium esse conditorem.*

4. Deum omnia creasse, etiam argumentis philosophicis probari potest. *a*) Nam omnia, quae praeter Deum existunt, entia sunt contingentia, tempori et mutationi obnoxia, atque ideo aeterna esse non possunt, quia series infinita momentorum, cui tamen nova momenta perpetuo accedant, apertam contradictionem involvit. Si vero aeterna non sunt, ergo inceperunt; et cum neque in se, neque in aliis entibus contingentibus sufficientem suae existentiae rationem habeant, omnino necesse est, ut ab ente a se, aeterno et absoluto, producta fuerint. Sed ens a se, aeternum, et absolutum unum est (§ 58), nempe Deus: ergo Deus est prima rerum omnium contingentium causa (Cf. Th. gen. § 28). — *b*) Si quid existeret non a Deo productum, vel Deus hoc cognosceret, vel non cognosceret: si non cognosceret, omniscius esse cessaret; ut autem cognosceret, illud aspiciendo cognitionem sibi comparare deberet, et sic dependens fieret. Utrumque autem impossibile est, et ideo nulla res existere potest, quae a Deo producta non sit. Et sane Deus non cognoscit res, quia sunt, sed res sunt, quia eas Deus cognoscit (§ 29, n. 2). Sicut ergo Deus omnia cognoscit (§ 30), sic etiam omnia efficit.

Nota 1. Deum mundi esse creatorem negarunt veteres Philosophi, qui mundum, qualis hodie est, aeternum esse autumabant. Sic, teste Clemente Alex. (13), *Heraclitus* docuit: «Mun-

(1) 1 Cor. n. 19. (2) Apol. 1, n. 63.
(3) L. 2 adv. haer. c. 30, n. 9.
(4) In Hexaem. l. 1, c. 5, n. 19.
(5) De Spir. S. c. 16, n. 38.
(6) Or. 38, n. 9. (7) De bapt. Chri.
(8) De fide ad Reg. serm. 2, n. 51.
(9) In Gen. 1, 1. Hom. 2.
(10) De Gen. ad litt. c. 3.
(11) Cap. 1. (12) Cap. 1. (13) L. 5 Strom.

dum neque Deorum ullus fecit, nec hominum, sed fuit semper, et est, et erit, ignis semper vivens. » *Xenophanes*, teste Plutarcho (1), tradidit, « mundum, qualis est, sempiternum et nunquam interiturum esse. » Eandem opinionem propugnavit, teste eodem Plutarcho, *Anaximander*, imo, testibus Cicerone (2), et Lactantio (3), etiam *Aristoteles*, quem tamen S. Thomas (4) ab hoc errore absolvere conatur. — Huc etiam referendi sunt *Leucippus*, *Democritus* et *Epicurus*, qui mundum sine Dei operatione ex fortuito atomorum concursu compactum fuisse docuerunt. Aevo christiano quoque nonnulli a dogmate catholico aberrarunt. Teste Tertulliano, *Simon Magus* docuit, mundum non a Deo, sed ab Angelis conditum fuisse: eandem sententiam amplexi sunt *Menander* et *Saturninus*. *Cerinthus* mundum a virtute quadam inferiore, inscio Deo summo, conditum esse docuit: communiter *Gnostici* Demiiurgum mundi opificem nominabant. *Marcion*, quem secuti sunt *Manichaei*, docuit, formatum esse mundum non a Deo bono, sed a principio malo.

Nota 2. Creare solius Dei esse, Ss. Patres passim docent. *S. Augustinus* (5) inquit: « Neque enim fas est, ullius naturae quamlibet minimae mortalisque creatorem nisi Deum credere et dicere... Etiamsi adhibent vel iussi, vel permissi operationem suam rebus, quae gignuntur in mundo, tamen tam non eos dicimus creatores animalium, quam nec agricolas frugum atque arborum. » Idem (6) ait: « Creare naturam tam nullus Angelus potest, quam nec seipsum. » Idem docent *S. Irenaeus* (7), *S. Ambrosius* (8), *Io. Damascenus* (9). — *S. Cyrillus Alex.* (10) dicit: « Praecipua Dei veri proprietas est, ut a nihilo possit substantias producere, » et (11): « Potestas creandi divinae solummodo inest naturae; et haec est inter alias Deo convenientes dignitates praecipua. » Idem ratio probat; nam creare, seu rem, quae non est, ad existentiam producere supponit actum intellectus infiniti et voluntatis omnipotentis. Sicut autem solus Deus est ens a se, sic etiam solus intellectus divinus non cognoscit res, quia sunt, sed has cognoscendo efficit, et sola voluntas divina non vult res, quia bonae sunt, sed volendo eas bonas reddit. Ergo solius Dei est creare. Extiterunt quidem nonnulli inter scholasticos, qui cum *Avicenna*, *P. Lombardo*, *Durando* etc. dicerent, creaturam posse esse causam instrumentalem physicam creationis. Id autem prorsus negat *S. Thomas* (12). Nam infinita virtus, quae ad creandum requiritur, non potest creaturae ita communicari, ut huic propria fieret. Quantacunque autem virtus finita non sufficeret ad creandum; atque ideo cum haec in creatione semper nihil ageret, sed otiosa maneret, nunquam habere posset rationem causae instrumentalis (13).

II. *Deus omnia ex nihilo creavit.*

§ 137. Deus mundum ex nihilo creavit, idest, Deus mundum, cum antea non esset, ad existentiam perduxit; et si Deus entia quaedam materialia ex subiecta materia formavit,

(1) De placit. Philos. l. 2, c. 4.
(2) Quaest. Acad. l. 4, c. 38.
(3) Inst. div. l. 2, c. 2. (4) 1, q. 46, a. 1
(5) De Civ. Dei l. 12 c. 24.
(6) De Gen. ad litl. c. 9, n. 15
(7) L. 2, c. 2, n. 5. (8) Hexaem. l. 3, c. 7.
(9) Orth. fid. l. 2, c. 3.
(10) L. 6 Thesaur. v. fin. (11) L. 14, c. 6.
(12) 1, q. 45, art. 5.
(13) Cf. Billuart de opere 6 dier. Diss. 1, art. 4. Tournely de op. 6 dier. q. 1, art. 3. Klee dogm. de creat. § 3.

haec ipsa tamen subiecta materia non semper extitit, sed cum antea non esset, a Deo creata fuit, atque ideo recte omnia ex nihilo creata dicuntur. Dogma hoc catholicum ex S. Scriptura, ex Traditione, et ex ipsa ratione probatur.

1. Deum non ex praeexistente materia, sed ex nihilo mundum produxisse, satis colligitur ex S. Scripturae testimoniis, in quibus Deus dicitur omnia creasse; haec enim effata falsa essent, si materia non a Deo creata fuisset, sed ab aeterno extitisset, quo posito, Apostolus dicere haud potuisset: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in saecula saeculorum* (1). Sed S. Scriptura Deum omnium conditorem esse testatur (§ praec.), ergo creationem ex nihilo propugnat. — Praeterea in S. Bibliis de materia aeterna et increata, de qua mundus virtute divina formatus sit, nec syllaba occurrit; sed ipsam materiam, ex qua visibilis mundus constat, a Deo productam fuisse, clare ex ipsa Genesi eruitur. Postquam enim dictum est: *In principio Deus creavit coelum et terram* (2), additur: *Terra autem erat inanis et vacua* (3); quibus verbis designatur prima illa materia informis, ex qua postea formatus est mundus; ast haec ipsa materia informis (4) a Deo creata dicitur. Quidquid ergo sit de voce hebraica *bara*, creare, quae nonnunquam minus proprie pro quacunque productione etiam ex materia praeexistente sumitur; ex allatis tamen argumentis liquido constat, hanc vocem in citatis locis a S. Scriptoribus adhibitam fuisse ad designandam rerum productionem ex nihilo. Ita etiam hanc vocem intellexerunt eruditissimi Rabbini, ut R. *Maimonides* (5), R. *Aben-Esra* (6), R. *David Kimchi* (7), et alii, quos citat D. *Perrone* (8). Ideo apud Hebraeos constans erat fides de omnium rerum productione ex nihilo, a Deo creante peracta. Insignis ad hoc probandum locus legitur II Mach. VII, 28, ubi mater filium suum natu minimum ad martyrium vehementer hortabatur, dicens: *Peto, nate, ut aspicias ad coelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Quem locum tanquam prorsus decretorium ad creationem ex nihilo probandam, *Origenes* adlegavit (9). — Paulus quoque creationem ex nihilo Deo adscribit, dum ait: *Deus vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt* (10). Et scribit: *Fide intelligimus, aptata esse saecula,* i. e. entia tempori subiecta *verbo Dei; ut ex invisibilibus*, i. e. non extantibus, *visibilia* i. e. existentia *fierent* (11).

2. Deum omnia ex nihilo creasse, constans fuit Ss. Patrum doctrina et Ecclesiae fides. *Hermas* (12) sequentem professionem fidei sibi ab Angelo iniunctam refert: « Credo in Deum, qui omnia creavit, perfecit, et ex nihilo produxit. » *Iustinus M.* iniuste a Rousseau et aliis accusatur, quod cum Platone materiam aeternam admiserit; contrarium profitetur (13), dicens: « Creator enim nulla re alia indigens, sua virtute et potestate id, quod fit, efficit. Opifex vero accepta ex materia condendi facultate opus suum construit. » Hinc Platonem arguit, quod Deum non creatorem, sed opificem fecerit. Idem (14) ait: « Solus

(1) Rom. 11, 36. (2) Gen. 1, 1.
(3) Ibid. v. 2. (4) Ibid. v. 1.
(5) In More Nevochim.
(6) Comment. in Gen. 1.
(7) In suis radicibus hebraicis.
(8) De Deo creat. in nota ad n. 142.

(9) L. 2 Periarch. c. 1. (10) Rom. 4, 17.
(11) Hebr. 11, 3. — Cf. Klee l. c. § 2, n. 1.
(12) Past. l. 2, mand. 1.
(13) In Exhort. ad Graecos n. 23.
(14) In Dial. c. Tryph., n. 6

Deus est, qui nec genitus sit, nec corruptioni obnoxius, ac propterea Deus est: reliqua vero omnia, quae praeter eum sunt, producta et corruptioni obnoxia.» *Athenagoras* (1) fidem Christianorum contestatur, dicens: «Nos dicimus, Deum increatum et aeternum esse, et solum per intellectum et per rationem cognosci; materiam vero creatam esse et corruptioni obnoxiam.» *S. Irenaeus* (2) lamentatur, quod haeretici credere recusent, «quoniam Deus ex his, quae non erant, quemadmodum voluit, ea quae facta sunt, ut essent, omnia fecit, sua voluntate, virtute et substantia usus,» et (3) ait: «Homines quidem ex nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subiacente; Deus autem, quam homines melior, materiam fabricationis suae, cum ante non esset, ipse adinvenit.» *Tertullianus* (4) illam dicit veram esse fidem, «qua creditur, unum omnino Deum esse, nec alium praeter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit per verbum suum:» idem (5) totus in eo est, ut impium figmentum de aeternitate materiae confutet, et creationem ex nihilo factam a Deo evincat. Eundem Hermogenis errorem *Theophilus Ant.* (6) dicit: «Quod insigne et praeclarum opus foret, si Deus ex materia mundum creasset? —Dei potentia in hoc ostenditur, dum absque materia supposita, quae vult, operatur.» *Origenes* (7) inquit: «Species eorum, quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur, sunt istae: primo, quod unus Deus est, qui omnia creavit et composuit, quique cum nihil esset, esse fecit omnia;» et (8) miratur, ethnicos Philosophos in eam amentiam fuisse delapsos, ut ingenitam, i. e. non ab ipso Deo procreatam materiam putaverint. Idem (9) affirmat, in hoc Gentiles a Christianis differre, quod illi materiam aeternam, hi factam dicerent. — *S. Athanasius* (10) docet, «Patrem per Verbum in Spiritu sancto omnia ex nihilo fecisse.» *S. Ambrosius*, exponens verba Pauli Rom. XI, 36 (11), ait: «*Unus Deus Pater, ex quo omnia.* Etenim tanquam ex suo fecit, quia unde voluit fecit. Ex ipso ergo materia. Per ipsum operatio, quae ligavit atque constrinxit universa. In ipsum quia, quamdiu vult, omnia eius virtute manent atque consistunt, et finis eorum in Dei voluntatem recurrit.» *S. Basilius* (12) solide illos refellit, qui materiam aeternam statuebant, et ideo ad statum divinitatis eam extollebant, Deum vero ad statum meri artificis deprimebant, et cum dixisset, homines ad opera sua perficienda materia indigere, addit: «Sed Deus, concepto decreto ea quae non erant ad existentiam vocandi, simul etiam materiam formae mundi convenientem produxit.» *S. Chrysostomus* (13) egregie refutat materiae aeternae assertores, et inter alia dicit: «Quod si veritatis hostes adhuc dicunt, esse impossibile, ex nihilo aliquid fieri, interrogabimus eos... quomodo ex terra facta sit natura carnis?.... quomodo panis transmutatur in sanguinem, et phlegma, et varios humores etc. *S. Augustinus* (14) ait: «Deus rectissime creditur, omnia ex nihilo fecisse, quia etsi omnia formata de ista materia facta sint, haec ipsa materia ta-

(1) Legat. n. 4.
(2) L. 2 adv. haer. c. 10, n. 2.
(3) Ibid. n. 4. (4) De Praescript. c. 13.
(5) In lib. adv. Hermogenem.
(6) L. 2 ad Autol.
(7) L. Periarch. seu de princip. in praef. n. 4.
(8) Ibid. l. 2, c. 1. (9) Hom. 24 in Gen.
(10) Ep. ad Serapi.
(11) In Hexaem. l. 1, c. 5, n. 19.
(12) Hom. 2 in Hexaem.
(13) Hom. 2 in Gen.
(14) Lib. imp. in Gen. c. 1.

men de nihilo facta est » (1). *S. Petrus Chrysologus*, (2) in verba Ps. XCIV: *Ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam manus eius formaverunt*, inquit: « Ubi sunt, qui Deum de materia et maxime de aqua mundum figurasse confingunt? — Deus noster in coelo et in terra, non ut inventor, sed ut conditor materiae ex nihilo cuncta perfecit. » Ex citatis Ss. Patrum locis patet, quantum ab omni veritate aberrent *Burnetus* et alii, qui arguunt scholasticos, quasi illi omnium primi creationem ex nihilo ex male accepta significatione vocis *bara* (3) confinxerint, antiquioribus Christianis prorsus incognitam. Ecclesia semper credidit, mundum ex nihilo creatum esse. Cui Traditioni insistens, Concilium *Lateranense IV* definivit: « *Deum esse-Creatorem omnium-qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam* (4).

3. Etiam ex ratione ostendi potest, quam absurda sit illorum sententia, qui mundum ex materia aeterna formatum autumant. Nam in hac sententia materia esset ens a se necessarium et a Deo independens (§ 6 et § 7); quomodo ergo Deus illam mutare et pro libitu varias illi formas imprimere potuisset? — Aliud absurdum ex eo sequitur, quia materia simul aeterna, et simul mutationi et tempori obnoxia dicitur, cum tamen aeternitas successiva manifestam contradictionem involvat. Denique negari nequit, Deum materiam, ex qua mundum formavit, cognovisse. Ast Deus non cognoscit res, quia sunt, sed hae sunt, quia Deus illas cognoscit: ergo etiam materiam Deus cognoscendo produxit.

(1) Cf. lib. 2, Confess. c. 5 etc.
(2) Serm. 46 (3) Gen. 1, 1.

Nota 1. Si quando infirmitas humanae rationis sibi relictae ex hominum commentis desumi potest, id certe vel maxime in praesenti tractatione obtinet. Maximi enim Philosophi in maximos circa mundi originem errores prolapsi sunt. Et quamvis nonnulli, ut *Pythagoras*, *Zeno* et *Plato*, probe cognoverint, pulcherrimam mundi constructionem nonnisi a Deo, Ente sapientissimo, repeti posse, attamen mentem suam ad ideam creationis ex nihilo extollere non valuerunt, sed materiam aeternam statuerunt, qua Deus ad mundum construendum usus sit. — Aevo christiano *Hermogenes*, magister Valentini, placitum Philosophorum de materia aeterna retinuit. *Sociniani* vel creationem ex nihilo penitus negant, vel saltem quaestionem, num ex nihilo conditus sit mundus, in medio relinquendam esse putant, libertate credendi concessa, quid quisque velit. — Doctrinam creationis ex nihilo directe impugnarunt *Voltaire*, *Rousseau* et alii increduli. Eandem etiam non admittunt *Schelling* et *Hegel*, sed totius Universi originem ita explicare tentant, ut ipsemet Deus ex incerto tenebrarum puncto, vel ex puro nihilo prodire videatur (5).

Nota 2. Doctrinae creationis ex nihilo variae opponi solent difficultates, quas autem enodare haud difficile est.

Obi. I. Sap. XI, 18 de Deo dicitur: *Fecit mundum ex materia invisa*, seu ut habet textus graecus: *Ex materia informi;* ergo, teste ipsa S. Scriptura, non ex nihilo, sed ex materia praexistente Deus mundum fecit.

Resp. Citatus S. Scripturae locus dogmati catholico adversaretur, si sacer auctor diceret, Deum fecisse mundum ex materia aeterna et in-

(4) Cap. Firmiter
(5) Cf. Wiest § 414-§ 452.

creata; sed id nullatenus dicit, verum solam materiam *informem* nominat. Sensus ergo istius loci est: Deus *fecit*, seu sapientissime formavit *mundum* ex materia, quam in *principio creavit* (1); quae autem *erat inanis et vacua*, seu *informis*, i. e. sine luce, sine herbis, sine arboribus, sine animalibus etc., quae omnia Deus ex materia in principio creata sapientissime produxit. Hunc esse genuinum sensum, patet ex contextu et scopo auctoris commendandi Dei sapientiam. Ita etiam Ss. Patres citatum locum interpretati sunt, ut *S. Augustinus* (2), *S. Io. Damascenus* (3).

Obi. II. Tritum est axioma: *Ex nihilo nihil fit;* ergo mundus non potuit creari ex nihilo, sed necessario debuit ab aeterno existere materia, ut mundus inde formaretur: hac in re summi Philosophi consenserunt.

Resp. Dummodo adductum axioma recte intelligatur, facile patet, nihil ex ipso contra doctrinam catholicam erui posse. Verum est decantatum axioma, si nihilum consideretur ut causa efficiens, nam ubi nihilum, i. e. nulla causa efficiens adest, etiam nullus effectus prodire potest. Verum pariter est axioma, si nihilum concipiatur ut causa materialis; sicut enim ex ligno nonnisi lignea artefacta conficiuntur, ita nihilum esset id, cuius materia nihilum esse deberet. Ast cum creatio ex nihilo adseveratur, nihilum neque ut causa efficiens, neque ut causa materialis consideratur. Non enim nihilum, sed omnipotentia divina ut causa efficiens statuitur; neque crasso sensu dicitur, Deum nihilum tanquam materiam adhibuisse, ex qua res conficeret, sed simpliciter asseritur Deum ea, quae non erant, per omnipotentiam suam ad existentiam vocasse. Nonnulli Theologi putant, ut cavillationibus adversariorum obvietur, melius esse, dum de creatione agitur, terminum *ex nihilo* omittere, et simpliciter dicere: creare est efficere, ut existat aliquid, quod antea non extitit: et creatio est actus voluntatis per quem Deus effecit, ut haec rerum universitas, quae antea non existebat, existere inciperet (4). — Sed quamvis usitatus in Theologia terminus creationis ex nihilo retineatur, non est, de quo adversarii glorientur. Sicut enim, si post altum silentium de repente plures vocem extollant, et ex silentio rumor factus dicatur, nemo tam hebetis mentis est, ut silentium tanquam efficientem, aut materialem rumoris causam habeat; ita etiam creatio ex nihilo a quolibet recte intelligi potest, qui a veritatis amore alienus non est. — Si in statuenda materia aeterna maximi Philosophi consenserunt, id solum infirmitatem rationis humanae ostendit, revelationis luce orbatae. Iidem Philosophi etiam alios errores docuerunt, quos hodierni Philosophi unanimi consensu reiiciunt: male ergo increduli in veritatibus Religionis ad eorum consensum provocant, quem in rebus naturalibus flocci faciunt.

Obi. III. Nulla mentis contentione concipi potest, quomodo res aliqua ex nihilo emergat; talem ergo ideam Philosophia admittere nequit, et recte *Rousseau* (5) scripsit: « Idea creationis captum meum superat, et in tantum credo, in quantum intelligo. »

Resp. a) Vehementer errant, qui ita ratiocinantur: non intelligo, quomodo res aliqua possit ex nihilo emergere, ergo nulla potest esse crea-

(1) Gen. 1, 1.
(2) L. 1 contra advers. leg. et Proph.
(3) L. 2 de fid. orthod. c. 5.
(4) V. Mosheim Th. dogm. P. I, sect. 2, cap. 1, § 1.
(5) In suo Aemilio.

tio ex nihilo. Multa enim etiam in rebus naturalibus et sensibus subiectis quoad internum existendi modum non intelligimus, quomodo ratio nostra finita operandi modum potentiae divinae infinitae intelligere, aut explicare valebit? Et si ratio nostra in natura visibili multa, quae non intelligit, admittere tenetur, quomodo operationes divinas ex eo solum, quia eas non intelligit, negare audebit?— Certe Deus sicut in esseudo, ita etiam in operando infinitus, ideoque rationi finitae incomprehensibilis necessario dicendus est. *b*) Philosophiae est, causas rerum indagare et assignare: sed totius Uuiversi causa sufficiens non invenitur nisi in Ente a se, aeterno et absoluto, quod per omnipotentem voluntatem suam omnia entia contingentia produxit: ergo recta Philosophia creationem ex nihilo admittere tenetur. Omnia alia systemata, ad originem mundi explicandam excogitata, absona sunt, et difficultatibus ac contradictionibus scatent; qualia sunt systemata de materia aeterna, de fortuito atomorum concursu, de emanatione materiae ex ipsa essentia divina, quae tamen, ut infinita sit, necessario ut simplicissima, et mere spiritualis est concipienda (§ 20). Neque feliciori successu recentiores Philosophi systemata sua compilarunt. Quis, e. g., intelliget, aut rationi consonum declarabit, quae *Schelling* de materia foecundata per ideas, de absoluto in nihilo resplendente, de idearum delapsu ab absoluto etc. proposuerat? — Recte Cl. *Dobmayr* (1) ait: « Novissima Schellingii declaratio tamdiu plausum expectare nequit, quamdiu hominum ratio haud caeco modo credit, et solis verbis contenta non est. » *Hegel* ex puro nihilo ideas rerum existentium logice cum magna subtilitate deducit, sed cum in puro nihilo nulla quoque vis cogitari queat, realis rerum existentia ex illo derivari nequit, atque ideo nulla sufficiens rerum contingentium causa ab ipso assignatur (2).

III. *Deus mundum in tempore creavit.*

§ 138. De fide credendum est mundum aeternum non esse, sed initium habere. Deus ergo mundum in tempore creavit: quamvis enim actio divina tempori subiecta non sit, haec ipsa tamen actio effecit, ut mundus, cum antea non esset, cum tempore inciperet. Tempus enim non est nisi ipsa successio rerum, quae constituunt mundum: ideae ergo temporis et mundi ita inter se connexae sunt, ut ab invicem separari non possint: quapropter Deus mundum creans etiam tempus produxit. Idcirco multi cum *S. Augustino* docent, exactius dici, Deum mundum *cum tempore*, quam *in tempore* creasse. Dogma hoc catholicum sequentibus argumentis probatur.

1. Mundum aeternum non esse, sed initium habere, colligitur ex Gen. I, 1: *In principio creavit Deus coelum et terram:* ergo dum tempus incoepit, creatus est mundus, qui proinde non ab aeterno extitit, sed in tempore, seu rectius cum tempore factus est: ideo *S. Thomas* (3) ait: « Quidam posuerunt, mundum semper fuisse, et tempus non habere principium: et ad hoc excludendum exponitur: *In principio* scilicet temporis. » — S. Scriptura etiam multis in locis testatur, Deum solum aeternum, mundum vero Deo posteriorem esse, dicitur: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et or-*

(1) Tom. 5, § 107, pag. 319.

(2) Cf. Frint P. 2, t. 2, § 104.

(3) 1, q. 47, art. 3.

bis; a saeculo, et usque ad saeculum tu es Deus (1). Ita loquitur aeterna Sapientia: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio... Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram... Ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, et flumina et cardines orbis terrae* (2). Eadem Sapientia dicit: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam,* (3). Christus, ad Patrem orans, inquit: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te* (4); *Dilexisti me ante constitutionem mundi* (5). Paulus ait: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (6). De Filio Dei scribit: *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (7). Ex locis istis clare apparet, soli Deo aeternitatem, mundo autem initium tribui: ideo Deus, quamvis tempori non sit subiectus, tamen pro captu humano dicitur existere *priusquam formaretur terra et orbis, — ante mundi constitutionem — ante omnes creaturas.*

2. Ss. Patres essentiale discrimen inter Deum et creaturas in hoc reposuerunt quod Deus solus aeternus sit, creaturae autem initium sumant. Ideo contra Arianos Divinitatem Christi ex eo frequenter probarunt, quia ipsi aeternitas tribuitur, et in *Concilio Nicaeno* haec fuit sententia prolata: *Quicumque dicit Filium creaturam, dicit eum coepisse.* Eadem argumentatione *S. Athanasius* (8) probat divinitatem Spiritus sancti, dicens: « Quemadmodum Filius quia semper est, non est creatura: ita quoniam semper est Trinitas, nulla est in ea creatura, quapropter non est creatura Spiritus. » *S. Basilius* (9) inquit: « Quoniam multi opinabantur, mundum Deo esse coaeternum... ad istorum hominum errorem tollendum consulto haec verba elegit, et dixit: *In principio* temporis (10) *creavit Deus.*» Idem (11) scribit: « Nos id quod aeternum est, creaturam attestari, et Creatorem hac professione privare, eiusdem amentiae dicimus.» *S. Ambrosius* (12) ait: « Quid tam inconveniens, ut aeternitatem operis cum Dei omnipotentis aeternitate coniungerent? » et (13): « In principio temporis Deus coelum et terram fecit. Tempus enim ab hoc mundo, non ante mundum. » *S. Chrysostomus* (14) ideam temporum aeternorum pro figmento Ethnicorum declarat, quod rectae Philosophiae contradicit. *S. Augustinus* (15) recenset errorem illorum, « qui mundum a Deo quidem factum fatentur, non tamen eum volunt temporis habere, sed suae creationis initium, ut modo quodam vix intelligibili semper sit factus, » eundemque refellit: et cum (16) ostenderet, tempus ante mundum non fuisse, sed cum mundo incepisse, concludit: « Procul dubio non est factus mundus in tempore, sed cum tempore. » Idem (17) ait: « Omnino incommutabilis est illa natura Trinitatis, et ob hoc ita aeterna, ut ei coaeternum aliquid esse non possit. » — *S. Fulgentius* (18) inquit: « Deus, qui sine initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis, ut

(1) Ps. 89, 2. (2) Prov. 8, 22.
(3) Eccli. 24, 5. (4) Io. 17, 5.
(5) Ibid. v. 24. (6) Eph. 1, 4.
(7) Col. 1, 16 etc. (8) Ep. ad Serap.
(9) In Hexaem. Hom. 1, n. 6.
(10) Ib. n. 5. (11) L. 2, c. Eunom.
(12) In Hexaem praefat. contra Peripateticos. (13) Ib. l. 1, c. 6. (14) Hom. 1 in Ioan.
(15) L. 11 de Civ. Dei c. 4.
(16) Cap. 5 et 6.
(17) L. 8 de Gen. ad litt. c. 23.
(18) De fide ad Petr. c. 3.

sint; non tamen sine initio, quia nulla creatura eiusdem naturae est, cuius est Trinitas. » *S. Io. Damascenus* (1) dicit: « Rei natura non patitur, ut quod ex non esse ad esse deducitur, coaeternum ei sit, quod sine principio, et semper est. » Huic Traditioni insistens, Concilium Lateranense IV (2) definivit, *Deum esse Creatorem omnium qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam* etc. (3).

3. Mundum non esse aeternum etiam ex ratione probari potest. Certum est enim, mundum tempori esse subiectum. Tempus autem consistit in continua momentorum successione; quaeritur iam, an haec series momentorum infinita sit, vel non? infinita autem esse nequit, quia infinitum augeri non potest, mundo autem côntinuo nova momenta accedunt. Praeterea momenta iam praeterlapsa numerum constituunt; numerus vero infinitus repugnat: etenim quilibet numerus dividi potest, et si, e. g., in duas aequales partes dividatur, quaeritur an dimidium infinitum sit, an non? si dicatur, dimidium infinitum esse, sequitur duo infinita invicem coniungi; si autem dicatur, dimidium non esse infinitum, etiam ex coniunctione duarum partium finitarum non exurgit infinitum, quia totum sequitur suas partes. Absolute ergo impossibile est, dari tempus infinitum, seu dari infinitam seriem momentorum. Si autem series haec finita est, initium habet: et sic etiam mundum, cum quo, seu in quo tempus ortum est, initium habuisse constat (4).

Nota. 1. Quamvis Theolôgi catholici unanimi consensu doceant, mundum non esse aeternum, sed habere initium; quaesierunt tamen, an mundus potuerit ab aeterno creari? id possibile dixerunt nonnulli quoad integrum mundum, alii quoad res permanentes, alii quoad creaturas incorruptibiles quales sunt Angeli et animae rationales (5). Sed vix intelligi potest, quomodo tales adsertiones proferre et probare potuerint. Certe, si Deus spectetur, ipse omnia ab aeterno cognoscit, decernit et agit, quia ipse tempori subiectus non est, sed in continua praesentia versatur: ideo etiam nullum tempus cogitari potest, priusquam mundus creatus fuerat, quia ipsum tempus cum creaturis coepit. Sed si mundus spectetur, absolute impossibile est, illum ab aeterno creari; nam id, quod creatur, causam habet, quae necessario prior est suo effectu, qui ideo causae coaeternus esse non potest. Dicunt quidem, quod Deus pro sua omnipotentia potuerit, creaturis communicare aeternitatem, ita ut hanc non quidem per essentiam, sed per participationem habeant. Ast duplex secerni solet aeternitas, simultanea, quae est perpetuum Nunc, et successiva, quae in serie momentorum concipitur. Omnes autem fatentur, aeternitatem simultaneam esse attributum divinum (§ 25); quodlibet autem attributum divinum est ipsa essentia divina (§ 16): Deus ergo communicando creaturae suam aeternitatem communicaret eidem suam essentiam: quapropter quaestio, an Deus potuerit mundum aeternum constituere vix differt a quaestione, an Deus extra se alium Deum creare queat. Etiam aeternitas successiva non potuit creaturae communicari: illa e-

(1) L. 1 de fide orth. c. 8.
(2) Cap. Firmiter.
(3) Cf. Staudenmayr § 27.
(4) Cf. Staudenmayr l. c.
(5) Cf. Billuart de op. 6 dier. Diss. 1, a. 6.

nim, ut probatum fuit, absolute impossibilis et contradictoria est. Omnes autem Theologi admittunt, Deum absolute impossibilia, et contradictoria efficere non posse, quin ideo omnipotentiae ipsius aliquid subtrahatur (§ 42, n. 4). Recte ergo dicitur, mundum non potuisse esse ab aeterno: hoc ipsum Ss. Patres docuisse, patet ex pluribus locis supra allatis (1). *Berti* (2) dicit: « Aeternitas illa participata commentum scholasticum est, pugnans cum rerum creatarum natura, quarum proprium est, fieri ex non extantibus, et consequenter non fuisse aliquando: » ad hanc propositionem probandam citat *S. Athanasium*, in secunda contra haereticos disputatione, dicentem : « Tametsi Deus possit semper facere, at res creatas aeternas esse, non potest, quippe ex non extantibus sunt, et non erant antequam fierent; » et *Methodium*, L. cont. Originem qui aeternitatem a Deo mundo communicatam putavit, ita disserentem: « Impossibile est, id quod initio productionis est circumscriptum, ortus sui termino carere. » *Richardus a S. Victore* (3) recte dicit: « De nihilo fieri non potuit, qui nunquam nihil fuit. »

Nota 2. Qui mundum ab aeterno creatum affirmabant, ex eo praecipue sententiam suam probare studuerunt, quia si mundus in tempore ortus esset, Deus ab otio ad actionem transiisset, Creator et Dominus factus fuisset, qualis antea non erat, et sic mutatio in ipso contigisset. Sed istae obiectiones, quae ex falso aeternitatis divinae conceptu originem ducunt, iam solutae sunt § 26. — Restant nonnullae aliae difficultates solvendae.

(1) Cf. Tournely de op. 6 dier. q. 2, a. 1.
(2) De disc. theol. l. 11, c. 5, Prop. 2.

Obi. I. Si mundus aeternus non est, vel Deus voluit mundum ab aeterno creare, sed non potuit; vel potuit, sed noluit; vel nec potuit, nec voluit. Si primum dicatur, Deus non est omnipotens; si secundum, est invidus; si tertium, neque omnipotentia neque infinita bonitate gaudet. Cum autem istae consequentiae admitti nequeant, dicendum est, Deum et potuisse et voluisse mundum ab aeterno creare, atque ideo mundum existere ab aeterno.

Resp. Captiosum hoc trilemma facile diluitur. Nam, *a*) si dicitur, Deum non potuisse mundum ab aeterno creare, nihil divinae omnipotentiae derogatur; mundus enim aeternus absolute impossibilis et contradictorius est: sed omnipotentia divina nullo modo obscuratur, si dicitur, Deum impossibilia et contradictoria efficere non posse (§ 42, n. 4 etc.). *b*) Sed etiamsi concederetur, Deum potuisse ab aeterno mundum creare, certum tamen est, ipsum hoc noluisse, ut fert catholicum dogma. Nullo autem modo propterea invidiae accusandus est, quia noluit; neque enim principaliter propter nos, sed propter se ipsum creavit, et tunc creavit, quando infinita ipsius sapientia creationem maxime convenientem iudicavit. Recte etiam Theologi, qui admittunt, Deum potuisse mundum ab aeterno creare, observant, ad divinam sapientiam pertinere, ut mundum in tempore conderet, ut maneret in creaturis omnimodae dependentiae character, et infinito intervallo distarent omnia, quae facta sunt, ab Ente perfectissimo et absoluto, quod solum a seipso habet, ut existat. *c*) Qui dicunt, Deum, si potuit, sed noluit mundum ab aeterno creare, a bonitate infinita deficere,

(3) L. 2 de Trin. c. 1.

deberent ostendere, bonum fuisse, ut Deus antea mundum crearet; sed id ostendere non possunt. Cum enim Deus uudequaque Ens primum sit, etiam nil boni esse potest, nisi Deus id velit; voluntas quippe divina omnis bonitatis regula est, atque fons et origo. Ergo creatio quoque tunc solum bona facta est, quia et quando eam voluit Deus (§ 50). Itaque neque omnipotentia, neque bonitas divina obscuratur, cum iuxta dogma catholicum dicitur, mundum non esse aeternum.

Obi. II. Posita causa sufficienti, ponitur effectus; causa enim, ad quam non sequitur effectus, est causa imperfecta indigens alio ad hoc, quod effectus sequatur. Sed Deus est sufficiens causa mundi, et finalis ratione suae bonitatis, et exemplaris ratione suae sapientiae, et effectiva ratione suae potentiae, ut ex iam demonstratis patet. Cum ergo Deus sit ab aeterno, et mundus fuit ab aeterno.

Resp. Hanc obiectionem egregie solvit S. *Thomas* (1), dicendo, « quod, sicut effectus sequitur a causa agente naturaliter secundum modum suae formae, ita sequitur ab agente per voluntatem secundum formam ab eo praeconceptam et definitam, ut ex superioribus patet (2). Licet igitur Deus ab aeterno fuerit sufficiens causa mundi, non tamen oportet, quod ponatur mundus ab eo productus, nisi secundum quod est in praedefinitione suae voluntatis, ut scilicet habeat esse post non esse, ut manifestius declaret suum auctorem. » Idem (3) inquit: « Deus voluit ab aeterno, ut mundus esset, sed non ab aeterno, sed quando ipse ab aeterno disposuit. » Et certe voluntas Dei tanquam causa sufficiens et efficacissima ex hoc ipso cognoscitur, quod mundus ortus sit, et quia voluit, et quando voluit, et quomodo voluit. — Peccat etiam allata obiectio in eo quod tempus statuat, quo voluntas Dei efficax non fuerit, cum Deus tempori non sit subiectus, sed tempus inceperit cum mundo, qui ob hoc ipsum aeternus esse nequit.

Obi. III. Iuxta non paucos Philosophos, essentiae, seu possibilitates rerum sunt aeternae, necessariae et improductae: ergo Deus non omnia in tempore creavit.

Resp. Quid de istis possibilitatibus, seu essentiis aeternis sentiendum sit, iam alibi (§ 31, n. 1), dictum est. Certum est praeter Deum nihil aeterni existere: Deus autem omnia ab aeterno cognoscit et decernit, et cognoscendo ac decernendo vera et bona reddit: et quia Deus ut aeterna, et immutabilis Veritas lucet menti nostrae, ea, quae in hac luce cognoscimus, atque ideis decretisque divinis consona percipimus, necessario et immutabiliter vera iudicamus (Cf. § 134, Not. 3).

Obi. IV. Philosophi critici in mundi initio talem antinomiam rationis purae, et pugnam idearum transcendentalium deprehendunt, ut si in thesi a priori deduci posse videatur, mundum habuisse initium existendi, iterum in antithesi contrarium sit concludendum. Ponamus, ait *Kant*, mundum habere initium: cum initium sit aliquid existens, ergo tempus praecessisse debuit, in quo mundus non erat: tale autem est tempus vacuum. Sed in tempore vacuo origo alicuius entis possibilis non est, quia nulla pars talis temporis prae altera rationem existentiae, vel non existentiae alterius rei in se continet: ideo creatio in tempore facta concipi nequit.

(1) I, q. 46, a. 1 ad 9. (2) Q. 14, a. 8, et q. 41, a. 2. (3) L. 2 c. Gent. c. 30.

Resp. Negamus, debuisse praecedere tempus vacuum si mundus habet initium existendi: non enim praecessit tempus vacuum, sed nullum. Tempus equidem iuxta Philosophos criticos non est nisi conditio nostra subiectiva, sine qua entia existentia nobis repraesentare non possumus: verum nullis existentibus phaenomenis non est tempus vacuum, sed nullum: quamprimum autem vel phaenomena, vel noumena contingentia existere incipiunt, — stricte loquendo existere incipiunt non in tempore, sed cum tempore. Deus enim ceu Ens necessarium, infinitum, et immutabile, in quo nulla successio datur, tempori subiectus non est, ideo etiam ipsius actio, per quam mundum produxit, non potest dici in tempore facta, licet ipsa tempus fecisset. Quamobrem omnino absurdum est rationem existentiae, vel non existentiae in tempore vacuo quaerere, quod concipi nullo modo potest, et apertam contradictionem involvit: sed ratio sufficiens pro existentia totius mundi, et pro origine ipsius temporis habetur in omnipotente voluntate Dei, quae *dixit, et facta sunt, mandavit, et creata sunt.*

Nota 3. Quaestio mota est inter Theologos, quo anni tempore mundus fuerit creatus? Celeberrimi Theologi, ut *Liranus, Tostatus, Petavius, Natalis Alexander*, et alii putant, tempore autumnali mundum coepisse; tum quia initio mundi fructus arborum erant maturi, quod non in vere, sed in autumno verificatur; tum quia antiquissimi populi orientales ab autumno initium anni ducebant. Sed tamen alii Theologi, ut *Tournely* (1), *Billuart* (2), *Berti* (3) et alii censent, mundum a Deo tempore verno fuisse creatum. Haec sententia sequentibus innititur argumentis. — *a*) Ex antiqua traditione unice repeti potest huius quaestionis definitio, cum de ea Scripturae sileant. Porro Patres ad vernum tempus referunt creationem mundi. *S. Ambrosius* (4) ait: « In hoc principio, quo Pascha celebrant Iudaei, coelum et terram fecit Deus, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies. » Similia habent *S. Basilius* (5) et *S. Gregorius Naz.* (6). *S. Cyrillus Hier.* (7), loquens de tempore verno, ait: « Hoc tempus est creationis mundi; tunc enim dixit Deus: *Producat terra herbam virentem.* » *Theodoretus* (8) scribit: « Eodem tempore Deus creaturas condidit, cui rei fidem facit arborum germinatio. Incipiente enim vere prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt. » *Io. Damascenus* (9) dicit: « Per solem quatuor temporum versiones constituuntur, et prima quidem verna est, in ipsa enim Deus fecit universa. » — *b*) Congruum erat, ut primus, et secundus Adam, scilicet Christus eodem tempore formarentur, eodemque tempore mundus repararetur, quo fuit conditus: Christus autem tempore verno conceptus fuit, et passione sua mundum redemit. Ideo iam *S. Augustinus* (10) inquit: « Ut omnia se voluntate Patris recte condidisse doceret, tunc voluit passione sua mundum redimere et reformare, quando eum et creaverat, i. e. in aequinoctio etc. » *c*). In locis calidioribus, qualis est Palaestina tempore verno, multos terrae fructus esse maturos constat.

(1) L. c. art. 2 (2) L. c. art. 7.
(3) L. II cap. 6. (4) L. I in Hexaem.
(5) In Hexaem.
(6) Or. de Nativ. Domini. (7) Cat. 14.
(8) In Exod. q. 72.
(9) L. 2, de fide orth. c. 7.
(10) Quaest. ex novo Testam. q. 54.

ex Exod. XIII, et ex Lev. IV.— Tempore verno ergo conspexerunt protoparentes in aliis plantis florum venustatem, in aliis ubertatem fructuum, in singulis fertam opimamque foecunditatem. E contra tempore autumnali plantae germinare et florescere haud solent, et fructus — die praesertim vigesima tertia octobris, quem pro natalibus mundi Cronologi assignant, collecti sunt. Hoc igitur tempore multae plantae et arbores, illae nempe quae maturescunt vere, aut aestate, aspectui primorum parentum se tanquam infructuosas et steriles obtulissent; cumque post autumnum singulae flores deperdant et moriantur, plurium Adam prius vidisset superveniente hieme ariditatem, quam germen floremque. Denique fuisset principium anni, dum incipit dominari illuvies soli, coeli squalor, nox longior et atra, rerumque omnium interitus. Probabilius ergo est, tempore verno mundum fuisse creatum.

ARTICULUS III.
De fine toti mundo praefixo.

§ 139. Cognita iam mundi creatione, recte etiam quaestio movetur, quem in finem mundus conditus sit?... Ut autem haec quaestio rite intelligatur et solvatur, nonnulla praenotanda sunt.

1. Duplex quaestio est secernenda; quaeri enim potest, quo motivo Deus ad mundum condendum adductus fuerit, et quaeri potest, quem in finem mundum ordinaverit. Ad priorem quaestionem respondendum est, nullum prorsus motivum assignari posse, quo Deus ad condendum mundum impulsus fuerit. Cum enim nihil sit Deo prius, nihil etiam cogitari potest, quod Deum ad agendum moveat, sed voluntas Dei, quae est ipsa bonitas, et essentia divina, est prima liberrima et independens causa omnium rerum (§ 37). Idcirco *S. Augustinus* (1) quaerenti, cur fecerit Deus coelum et terram, ait respondendum: « quia voluit; ulterius quaerenti, quare voluerit, reponit, stultam esse eam quaestionem, cum nulla sit causa voluntatis divinae. » Idem docet *S. Thomas*, qui (2) S. Augustinum citat, et ait: « Omnis causa efficiens maior est eo, quod efficitur: nihil autem maius est voluntate Dei: non ergo causa eius quaerenda est. — Respondeo dicendum, quod nullo modo voluntas Dei causam habet. » Deus ergo nullatenus adinstar hominum finem sibi praefigit, et per hunc ad agendum movetur, sed ipse creaturis suis finem praefigit. Praeclare id docet *S. Thomas* (3), dicens: « Deus, sicut uno actu omnia in essentia sua intelligit, ita uno actu vult omnia in sua bonitate. Unde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa; ita velle finem, non est ci causa volendi ea, quae sunt ad finem: sed tamen vult ea, quae sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc. » Ad hoc ergo tota quaestio in isto articulo reducitur, ut determinetur, qualem finem Deus toti mundo a se condito praefixerit.

2. Distinguere oportet finem mundi totalem, et fines creaturarum partiales. Deus enim unicuique creaturae specialem quemdam finem sapientissime praefixit: sic, e. g., solem condidit, ut lucem et calorem diffundat, terram, ut alimenta producat, oculos, ut videant, aures, ut audiant etc. Ast de istis finibus partialibus hic

(1) L. 83, qq. qu. 28.

(2) 1, q. 19, a. 5.

(3) L. c. in o.

sermo non est, sed solum de fine totali, ad quem omnes creaturae ordinantur. — Circa istum finem mundi totalem duplex praecipue sententia viget: dantur enim, qui contendunt, felicitatem hominis esse finem illum totalem, ad quem omnia creata referuntur: Sed communis Theologorum catholicorum sententia est, finem mundi totalem esse gloriam Dei externam, quae ex manifestatione attributorum divinorum exurgit. Huic sententiae inhaerendum est; nam finis mundi totalis 1° *non est felicitas hominis*, 2° sed *gloria Dei externa*.

I. *Finis mundi totalis non est felicitas hominis.*

§ 140. Recentioribus temporibus non pauci extiterunt, qui contenderent, solius hominis causa, ac ob solam illius felicitatem conditum esse mundum. Hanc sententiam plures ex Lutheranis et Reformatis amplexi sunt, ut *Moshemius* (1), *Ammon* (2), *Wegscheider* (3) et alii. Eandem propugnavit et propagavit *Kant* (4). Quinimo etiam inter Catholicos non defuerunt, qui idem traderent, ut *Ben. Stattler*, et *Ge. Hermes*, qui (5), repudiata ut absurda communi Theologorum sententia, qui affirmant, Deum gloriam suam in creatione rerum: velut finem ultimum habuisse, post plura satis obscure disputata concludit: « Deus itaque creavit hominem propter hominem, et quidem ad eius felicitatem; nam Deus, ut ens moraliter perfectum et bonum, non potuit ei male, sed unice bene velle. Dixi: et quidem ad eius felicitatem, non ad sensibilem felicitatem; nam fruitio sensibilis non habet pretium adaequatum pro ente rationali sensibili, et nunquam erit eo digna, sed ad felicitatem, quae oritur ex convenienti moralitate libere acquisita. Caetera omnia super terram non possumus admittere, nisi dicendo, ea propter hominem facta esse. Homo igitur erit inter omnes creaturas unicum ens, propter quod Deus hunc mundum condidit. » Ast haud difficile est ostendere, quantum haec sententia a veritate aberret.

1. Finis mundi totalis non alius esse potest, nisi ille ad quem omnia ultimo tendunt, et quem omnes creaturae actu promovent; talem enim finem Deus non vult hypothetice, sed absolute, id est ita, ut nulli alii fini subordinatus sit, atque ideo ob summam divinae voluntatis efficaciam ad istum finem omnes creaturae pertingere debent. — Ast felicitatem non omnes homines consequuntur. Multos enim homines in hac vita felicitate tum corporali, tum spirituali carere, experientia testatur, et multos homines etiam in altera vita non ad aeternam felicitatem perventuros, sed aeternis poenis afficiendos esse, Revelatio docet. Ergo felicitas hominis nullatenus finis mundi totalis dici potest.

2. Ex eadem sententia varia absurda sequuntur: *a*) Qui enim illam defendunt, et cum illa gloriam Dei coniungere tentant, sequenti ordine rem proponunt: « Est communicatio felicitatis finis ultimus creationis: Gloria Dei est finis intermedius, seu medium ad finem ultimum promovendum, » ut ait *Moshemius* (6). In hoc ergo systemate Deus creans, et gloriam suam manifestans detruditur ad conditionem *medii*, et fit quasi servus hominis, cuius felicitatem per omnes actiones suas ex-

(1) Elem. Th. dogm. p. I, sect. 2, c. 1, § 5.
(2) Summa theol. chr. p. 231.
(3) Inst. theol. § 96.
(4) In critica rationis practicae.
(5) In Introduct. philos. q. 2, § 71.
(6) L. c. in fine.

ternas promovere tenetur. *b*) Si felicitas hominis pro fine totali statuitur, dicendum est, quemlibet hominem esse finem totalem, ad quem omnia referenda sunt: ex quo sequitur, tot esse fines totales quot sunt homines existentes. Omnis ergo totius Universi unitas e medio tollitur, quoniam in praedicto systemate nullatenus dici potest, quod omnia sicut ex uno principio proveniunt, sic ad unum finem tendant. Accedit, quod de Angelis, quos hominibus praestantiores esse Revelatio docet (1), vel omnino ratio non habeatur, vel asserere oporteat, ipsos quoque primario ad felicitatem hominis promovendam creatos fuisse. *c*) Si Deus felicitatem supremum hominis finem esse voluit, homo omnes actiones suas ad hunc finem dirigere tenetur, ita ut a fine suo aberraret, si propter solum beneplacitum divinum, aut propter gloriam Dei actiones bonas susciperet. Quis autem Christianus, primi et maximi mandati conscius, doctrinam talem adprobabit? etiam philosophia critica illi contraria est (Th. gen. §41). *d*) Paradoxum est, hominem, ens contingens, ad talem dignitatem extollere, ut sit finis supremus, ad quem omnia referantur; et eandem dignitatem Deo, enti absoluto et infinito denegare. *e*) Admissa hominis felicitate pro fine mundi totali, multae inextricabiles difficultates oriuntur, cum plurima, quae partim ab experientia, partim ex revelatione constant, cum supposito fine coniungi nullatenus possint; e. g. peccatum originale, tot inter homines inordinationes et miseriae, aeternitas poenarum, et similia (2).

Nota. Qui praefatae sententiae inhaerent, eandem sequenti argumentatione probare conantur: « Qui infinite bonus est, solus felix esse nequit, sed desiderio trahitur, alios quoque felices reddendi. Deus ergo, cum infinite bonus sit, homines et spiritus, et hunc mundum condidit, ut cum illis felicitatem suam communicare possit: » ita ait *Mosheim* (3). Sed in hac argumentatione Deus turpiter confunditur cum homine. Hominis enim voluntas per bonum, quod iam adest, et quod illi proponitur, movetur et trahitur, sed divina voluntas motiva et leges ante se non habet: non ergo Deus quidquam vult, quia bonum est, sed omnia bona fiunt, quia Deus vult. Falsa est ergo, dum de divina voluntate sermo est, omnis argumentatio, quae a priori deducitur, et ex qua sequeretur, Deum necessitate naturae, et non liberrima voluntate mundum condidisse. — Certum autem est, omnia bona fieri, quae Deus vult. Cum enim voluntas divina sit ipsa bonitas, i. e. cumulus omnium perfectionum, sequitur, omnia quae ab ipsa decernuntur et efficiuntur, bona esse. In hoc sens recte dicitur, Deum condendo mun dum voluisse bonitatem suam com municare. Ita iam *Origenes* (4) ait « Deus nullam aliam habuit creand causam, nisi propter seipsum, id est bonitatem suam. » *S. Augustinus* (5) dicit: « Sola bonitate et liberrima voluntate fecit Deus quidquid fecit. » Sic etiam intelligendus est *S. Thomas*, dum (6) inquit: « Divina bonitas est finis rerum; » quod idem melius explicat (7), scribens: « Finis divinae voluntatis non potest esse nisi eius bonitas, non autem agit propter hunc finem in esse... cum eius bonitas sit

(1) Ps. 8, 6. (2) Cf. Klee l. c. § 4. Perrone n. 227 in nota. (3) L. c.
(4) De Princip. l. 2, c. 19, n. 6.
(5) L. 11 de Civ. Dei c. 24.
(6) 1. q. 44, art. 4.
(7) L. 2 c. Gentes c. 25.

aeterna et immutabilis, ita quod nihil ei accrescere potest; nec etiam potest dici, quod propter eius meliorationem Deus agat; nec etiam agit propter hunc finem acquirendum sibi; ipse enim est sua bonitas. Restat igitur quod agat propter finem, in quantum effectum producit ad participationem finis. » — Deus ergo, dum creaturas bonas producit, efficit, ut de ipsius bonitate participent, et in hoc sensu non solis hominibus, sed omnibus creaturis communicat suam bonitatem (1). Haec vero de actione divina dicuntur, per quam omnia producta sunt: ulterius autem quaerendum est, cur Deus creaturis communicet suam bonitatem, seu qualem finem Deus non sibi, sed creaturis praefigat? — Hanc quaestionem cum priore illi confundunt, qui felicitatem hominis pro fine mundi totali statuunt, ut observat Cl. *Perrone*, qui idcirco etiam diversos fines, qui in scholis distingui solent, exponit, ac dein sequentes theses refert: « 1. Finis creationis mundi per modum causae, a Deo vel realiter, vel per nostrum cogitandi modum distinctae, nullus esse potest. 2. Finis creationis mundi per modum rationis, qua Deus ex nostro intelligendi modo illam voluit, est divina bonitas. 3. Deus in creatione mundi habuit pro *fine cui* omnium ultimo gloriam suam etc. » — Et haec thesis iam modo probanda est.

II. *Finis mundi totalis est gloria Dei externa.*

§ 141. Deus omnia creavit, et omnibus suam bonitatem communicavit, ut omnia infinitas ipsius perfectiones manifestent, quibus cognitis creaturae rationales ad colendum et glorificandum Deum assurgant: in hoc consistit gloria Dei externa, quae est finis mundi primarius et totalis. Secundarius recte dicitur felicitas creaturarum rationalium, quoniam istae colendo et glorificando Deum ad suam felicitatem perveniunt. Pro hac doctrina argumenta ex S. Scriptura, ex Traditione et ex ratione afferri possunt.

1. Prov. XVI, v. 4 expresse dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum:* cum autem nullatenus dici possit, Deum quidpiam operari, ut internam suam perfectionem et beatitudinem augeret, cum haec infinita et immutabilis sit; dicendum restat, Deum universa propter gloriam suam externam creasse, eundemque finem, quamvis invite, etiam impium promovere, dum in diem malum perductus, seu poenae subiectus iustitiam Dei praedicat. — Frequenter creaturae tum irrationales, tum rationales gloriam Dei praedicare dicuntur: *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum* (2). *Plena est omnis terra gloria eius* (3). *Deus illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* (4). Ergo Deus voluit per ea, quae creavit, ita perfectiones suas manifestare, ut ab hominibus cognoscatur et glorificetur. — Et sane homo praecipuo modo ad gloriam Dei creatus dicitur: *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum* (5). Deut. XXVI, 19 sermo est de *cunctis gentibus, quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam*

(1) Cf. Tournely l. c. q. 3.
(2) Ps. 18, 1.
(3) Is. 6, 3.
(4) Rom. 1, 19 etc.
(5) Is. 43, 7.

suam: et quamvis haec verba ad populum israëliticum referantur *excelsiorem cunctis gentibus factum*, ostendunt tamen, Deum etiam spiritualia dona in laudem, et nomen et gloriam suam distribuere. Eccli. XVII 7 etc. legitur: *Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum: ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum eius.*—Deus ipse dicit: *Ego sum* A *et* Ω (*Alpha, et Omega*) *principium et finis* (1); sicut ergo Deus est primum omnium principium, sic est et ultimus omnium finis, et sicut omnia a Deo oriuntur, ita ultimato omnia ad eum referuntur. His adiungi possunt, quae de gloria Dei promovenda § 55 dicta sunt. Denique sicut in S. Scriptura ubique Deum glorificare, amare eique servire iubemur, ita etiam summam hanc obligationem adimplentibus felicitas promittitur; sic Deus ipse dicit: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (2).

2. *Athenagoras* (3) ait: « Manifestum est, Deum, si prima et maxime universalis ratio spectetur, propter seipsum et propter suam bonitatem et sapientiam ex omnibus operibus suis resplendentem, impulsum fuisse, ut hominem crearet... si autem propius in creaturis ratio investigetur... Deus illos, qui imaginem Creatoris in se gerunt et ratione praediti sunt, — immortalitate donavit, ut suum Creatorem eiusque potentiam et sapientiam cognoscant, eiusque legi et iustitiae subiecti vitam aeternam acquirant. » *Tertullianus* (4) inquit: « De nihilo (mundum) expressit in ornamentum maiestatis suae. » *Theophilus Ant.* (5) ait: « Deus omnia fecit, quae antea non extiterunt, ut ex operibus magnitudo ipsius cognosceretur et intelligeretur. » *Lactantius* (6) scribit: « Idcirco mundus factus est, ut nascamur; ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi, ac nostri, Deum; ideo agnoscimus, ut colamus; ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat; ideo praemio immortalitatis afficimur, ut similes Angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus, et simus aeternum Dei regnum. Haec summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi: a quo sunt alieni, qui sequentes praesentem voluptatem terrestribus et fragilibus bonis se addixerunt, et animas ad coelestia genitas suavitatibus mortiferis tanquam luto, coenove demerserunt. » — *S. Chrysostomus* (7) egregie ostendit, quomodo omnes creaturae gloriam Dei praedicant, et (8) contra Manichaeos propugnat, quod Deus mundum pulcrum et corruptibilem fecerit, « per pulcritudinem in conditoris admirationem nos inducens, per infirmitatem vero a colenda nos abducens creatura. » *S. Hieronymus* (9) scribit: « Non quod Deus laude alicuius indigeat, sed quod laus Dei laudatoribus prosit, et dum per singula opera maiestatem ipsius magnitudinemque cognoscunt, ad laudandum eum miraculo stuporis erumpant. » *S. Augustinus* (10) ait: « Naturas igitur omnes Deus fecit non solum in virtute et iustitia mansuras, sed etiam peccaturas, non ut peccarent, sed ut essent ornaturae universum, sive peccare, sive non peccare

(1) Apoc. 1, 8. (2) 1 Reg. 2, 30.
(3) De resur. mort. n. 12.
(4) Apol. c. 17.
(5) L. 1 ad Autol. n. 4
(6) L. 7 instit. c. 6.
(7) Hom. 9 ad Antioch. (8) Hom. 11, n. 2
(9) In Eph. 1, 14.
(10) L. 3 de lib. arbitr. c. 11, n. 32

voluissent. » Ex his Patrum locis patet, quantum a vero aberret *Moshemius*, dum (1) contendit, usque ad saeculum duodecimum omnibus placuisse sententiam Platonis, qui cuncta ad felicitatem hominis creata esse docuit, et solum scholasticos infensos Platoni, Aristotelisque cultores hanc sententiam abiecisse, dicentes, Deum propter gloriam suam mundum condidisse.

3. *a*) Ens perfectissimum certe etiam finem perfectissimum, et nobilissimum creaturis a se productis praefigit. Sed finis perfectior et nobilior cogitari nequit, quam ipse Deus, cuius non quidem interna perfectio et beatitudo, sed tamen gloria externa augeri potest: ad hanc ergo promovendam omnia creata sunt. - *b*) Etiam in opere, a sapiente artifice humano constructo, ille recte dicitur finis principalis, ad quem promovendum omnes operis partes concurrunt. Sed omnes creaturae divinam omnipotentiam, sapientiam, bonitatem caeterasque Dei perfectiones manifestant, et sic gloriam Dei promovent. Quamvis enim impii Deum glorificare recusent, tamen etiam ipsi manifestant vel divinam longanimitatem, dum patienter tolerantur, vel misericordiam, dum conversionis gratiam et peccatorum veniam consequuntur, vel iustitiam, dum debitis poenis afficiuntur. - *c*) Etiam iuxta saniores Philosophos finis hominis est harmonia moralitatis et felicitatis innixa veritati (Th. gen. § 41): principalis ergo hominis finis est moralitas, et huius effectus est felicitas, ad quam multi ob defectum conditionis positae non perveniunt. Neque moralitas, ad quam per voluntatem Dei obligatur homo, ut solum medium considerari potest ad felicitatem acquirendam, sed potius ipsa felicitas promissa ut medium considerandum est ad moralitatem promovendam. Et sane si imperator militibus in bello fortiter pugnantibus praemia promittit, pro fine principali non sibi militum prosperitatem proponit, sed promissione praemiorum ut medio utitur ad victoriam reportandam. Et sic etiam Deus tum praemiis, quae promittit, tum poenis, quas minatur, moralitatem promovere vult, quae in colendo, amando et glorificando Deo consistit. Exinde clarius apparet, quomodo omnia ad unum, eundemque finem totalem, scilicet ad gloriam Dei externam dirigantur (2).

Nota. 1. Quamvis omnia ad gloriam Dei creata sint, non tamen omnes creaturae eodem modo ad finem istum diriguntur. Recte ideo dici potest, creaturas irrationales *mediate*, rationales vero *immediate* ad gloriam Dei ordinari; illae enim Deum agnoscere et adorare non valent, sed creaturis rationalibus, quibus se considerandas exhibent, divinam omnipotentiam, sapientiam et bonitatem manifestant. — Creaturae autem rationales Deum agnoscentes, adorantes et laudantes immediate finem suum attinguunt. Hac distinctione posita non inepte dicitur, omnia propter hominem creata esse, et hominem propter Deum. Omnia autem propter hominem creata sunt, non ut solum eius felicitatem, sed ut principaliter eius moralitatem promoveant. Propterea S. Scriptura saepe commemorat plurima opera in hominum utilitatem producta, ut isti ad tam liberalem benefactorem amandum, et glorificandum excitentur (3). — Homo autem ita propter Deum creatus est, ut Deum in hac vita timens et amans, ac vires suas in ipsius honorem im-

(1) L. c. (2) Cf. Waibl 11 Abh. 4 Absch.

(3) Gen. 1, 26 et v. 28 Ps. 8, 7 etc. Ps. 113, 16

pendens, etiam in altera vita Deo frui mereatur. Idcirco dicitur: *Deum time, et mandata eius observa, hoc est enim omnis homo* (1).

Nota 2. *Cartesius*(2) deridet eorum doctrinam, qui statuunt, Deum condidisse mundum ad nominis sui gloriam, impugnatus *a Dan. Huetio* Ep. Abricensi. Assenserunt Cartesio *Baelius* et *With*, *Kingius* Anglus, refutati a *Leibnitio* et *Placetto*. Ex Germanis divinam gloriam creationis finem esse inficiati sunt *Dippellius*, *Daries* et multi ex Protestantibus, qui etiam ex Scripturis probare conati sunt, ob solam hominis felicitatem omnia creata fuisse. — E contra *Hegel* ipsam S. Scripturam sugillat, eo quod Deum amore proprio plenum, et omnia ad gloriam suam trahentem proponat, neque hunc divinum egoismum blasphemis vocibus persequi veretur. — Contra istos adversarios doctrinam nostram defendere, eorumque captiosa argumenta confutare debemus.

Obi. I. Quicunque gloriae suae causa aliquid facit, seu agit, vitiosus est: atqui Deus est perfectissimus, et nullum vitium in eum cadere potest: ergo non potuit propter gloriam suam hunc mundum construere.

Resp. In hac argumentatione contra omnem Philosophiam Deus cum homine miserrime confunditur. Admittimus, hominem, qui gloriae suae causa aliquid facit, vitiosum esse, quare? — Quia a se nihil est, et omnes facultates ac vires suas a Deo habet, quapropter sibi adscribens, quod Dei est, a vitio immunis haud manet. Deus autem est ens a se, et absoluta rerum omnium causa, et ideo rectissime omnem gloriam postulat. Imo vitio non careret, si non vellet ab hominibus ut ens a se, ut summum bonum, et omnium bonorum causa agnosci, et honorari, quia tunc vellet, ut homines a veritate aberrent. Adversarii in sua argumentatione seipsos profligant, dum fatentur, hominem propter gloriam suam agentem vitiosum esse, quod affirmari non posset, si homo non omnia ad gloriam Dei referre teneretur (§ 55). Caeterum etiam is ambitionis recte postulatur, qui plus honoris expetit, quam sibi iure debeatur: quis autem sanae mentis dicet, tale vitium in Deum cadere posse, qui infinita perfectione praeditus infinita gloria dignus est?

Obi. II. Quicunque gloriam tanquam bonum adpetit, is non est perfecte felix, nec sibi sufficiens ac independens dici potest. Sed omnes fatentur, Deum sibi sufficientissimum, independentem et ita perfecte felicem esse, ut eius summa felicitas nec minui, nec augeri possit: ergo propter gloriam suam hanc mundi machinam construere non potuit.

Resp. Haec obiectio simplici distinctione confutatur. Defectus felicitatis supponi debet in illo, qui gloriam tanquam bonum adpetit, quo interna eius felicitas augeatur, non vero in illo, cuius interna perfectio et beatitudo per gloriam externam nullo modo augetur. Hoc autem in Deo obtinet, qui infinite et immutabiliter perfectus ac beatus, sibi sufficientissimus, et omnino independens est. Ideo dicimus, Deum nec interna indigentia, nec externa causa motum fuisse ad mundum condendum, sed omnia liberrima voluntate creasse. Sed sicut Deus omnia liberrime creavit, sic etiam liberrime omnibus nobilissimum finem praefixit, nimirum gloriam suam aeternam, quam creaturae rationales libere promoventes, ipsae quoque per magnam felicitatem consequuntur. In hac doctrina certe nil invenitur, quod defectum, aut dependentiam in

(1) Eccl. 12, 13. (2) Medit. 4.

Deo supponat. Retorqueri potius argumentatio posset in adversarios, qui dicunt, Deum pro infinita sua bonitate solum felicem esse non posse, sed naturali desiderio tractum aliis felicitatem suam communicasse (1).

Nota 3. Ex tradita doctrina pro usu practico varia corollaria deduci possunt. - *a*) Si Deus omnia ex nihilo creavit, ipse est supremus rerum omnium Dominus: caveamus ergo, ne nosmetipsos tanquam absolutos rerum nobis concessarum dominos consideremus, neque arbitremur, fas esse, pro lubitu uti, vel abuti rebus creatis, quas mundus exhibet; necesse enim est, ut ad fines ab auctore naturae praefixos usum rerum creatarum diligenter convertamus. - *b*) Si Deus omnia ad gloriam suam creavit, convenientissimum est, ut frequenter in creaturis omnipotentiam, sapientiam et bonitatem Conditoris consideremus eiusque perfectiones laudemus, quae sicut ex splendidis astris, itaetiam ex minimis animalculis elucent. Nunquam pulcritudini creaturarum inordinato affectu inhaereamus, sed altius mentem elevantes dicamus cum *S. Augustino;* « Omnia ista pulcra, quae videmus, quae amamus, ipse fecit. Si haec pulcra sunt, quid est ipse? Si haec magna sunt, quantus est ipse? Ergo de istis, quae hic amamus illum magis desideremus, et contemnentes ista illum diligamus » (2). — *c*) Mundus sicut primario ad gloriam Dei, ita secundario recte ad hominis felicitatem promovendam productus dicitur. Coelum, terra, aër, ignis, aqua, plantae, arbores, animalia, etc. famulantur homini, eius subduntur dominio, varia ipsi servitia praestant. Quanta ex hoc tibi nascitur, o homo! erga benignissimum Numen gratitudinis et amoris materies! Eleganter *Hugo Victorinus* (3) ait: « Vide, homo, dicit mundus, quomodo amaverit te, qui propter te fecit me: servio tibi quia factus sum propter te, ut servias illi, qui fecit et te, et me: me propter te, et te propter se. Si sentis beneficium, redde debitum; si accipis benignitatem, redde charitatem. »

(1) Cf. Huol. cens. phil. Cartes. c. ult.

(2) In Ps. 49, n. 9. (3) In Didascal. l. 1.

CAPUT II.

DE CREATIONIS HISTORIA, A MOYSE RELATA

§ 142. Narratio mosaica, quae Gen. I et II modum creationis divinitus factae exhibet, *exordium*, *descriptionem*, et *epilogum* complectitur, quas partes seorsim contemplari convenit.

1. *Exordium* duo commata continet, quorum primum est: *In principio Deus creavit coelum et terram*, i. e. in principio temporis, cum antea praeter Deum nihil existeret, *Deus creavit*, seu ex nihilo produxit *coelum et terram*, sub quo nomine in S. Scriptura passim totum Universum intelligitur. — Alterum comma ita habet: *Terra autem erat inanis, et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas:* sacer textus a descriptione generali ad partes, vel a productione materiae ad formam eius progreditur, et nostram potissimum, cuius historia nobis incolis facilior et utilior est, tellurem considerat, eiusque statum primitivum adhuc turbidum, ornatu et incolis vacuum, atque caligine circumfusum exhibet: unde addit, demissam esse vim divinam, ut illum statum in ordinem redigeret.

2. In *descriptione* tum *ordo rerum*, tum *modus loquendi* attendi meretur. — *Ordinem rerum* quod attinet, Deus, ut absolveret totum opificium, ac omnem ornatum coeli et terrae, usus est spatio sex dierum; nam die I° luci

dedit originem; IIa firmamentum constituit, divisitque aquas, quae erant sub firmamento ab his, quae erant super firmamentum; IIIa distinxit aquas reliquas ab arida, et in mare collegit, terramque iussit producere herbas et arbores omnis generis; IVa constituit solem et lunam una cum sideribus reliquis; Va procreavit pisces et volucres; et VIa animalia terrestria, ac denique hominem, maximum operis divini decus. — Circa *modum loquendi* triplex occurrit brevis non minus, quam sublimis, Deo dignissima et scopo convenientissima *formula*; - nempe formula decreti: *Dixit Deus: fiat*, tum formula executionis: *et factum est*; demum formula adprobationis: *vidit Deus quod esset bonum*; quae triplex formula triumphum omnipotentiae, sapientiae, et bonitatis divinae exprimit. *S. Augustinus*, eundem loquendi modum considerans, ait (1): « In creatione ut Deus iubet; ut omnipotens efficit; ut summe bonus adprobat. » - Dum autem Deus dixisse dicitur: *fiat*, talis locutio, ut Patres dicunt, non fuit oris, sed mentis et accipitur pro nutu et iussu divinae voluntatis.

3. *Epilogus* tria memoratu digna continet: *primo* quidem dicitur, perfectos esse coelos et terram, et omnem ornatum eorum, et opus divinum creationis die septimo completum fuisse; *tum* vero additur, Deum die septimo requievisse ab omni opere, quod perfecerat, i. e. ipsum cessasse, seu destitisse a novis creaturarum speciebus condendis, non autem a rerum creatarum cura, conservatione et gubernatione. *Denique* asseritur, Deum benedixisse diei septimo, et sanctificasse illum, quo moneremur temporis quod est impendendum studio vacandi Creatori, cognoscendique beneplacitum Dei, ac in memoriam revocandi eius beneficia, admirandique omnipotentiam, sapientiam, bonitatem ac providentiam singularem summi illius Opificis (2).

(1) De Gen. ad litt. l. 1 c. 15

Nota. Haec narratio mosaica varie a variis exponitur, aliis allegorias in illa quaerentibus, aliis litterali sensui insistentibus. Neutra tamen expositio ab Ecclesia damnata fuit, cum ex utraque parte tum Ss. Patres, tum graves Theologi catholici inveniantur. Ecclesia ergo non decidit, quomodo narratio mosaica de creatione exponenda sit; atque ideo 1° tum *allegoricae*, 2° tum *litteralis* expositionis rationes modumque examinare oportet, 3° neque taceri potest *de alia expositione*, quae nonnullis recentioribus Theologis et interpretibus praeplacet.

ARTICULUS I.
De expositione allegorica.

§ 143. Moysen divinitus inspiratum fuisse, dum creationis historiam conscripsit, omnes Ss. Patres et Theologi catholici adseverant. Quaestio ergo inter istos circa hoc solum movetur, an Deus omnia successive in spatio sex dierum naturalium creaverit, prout sacer textus litteraliter acceptus innuit, vel an non potius per omnipotentiam suam omnia simul, seu in uno eodemque momento produxerit ita, ut sex dies, a Moyse commemorati, non litteraliter accipi, sed allegorice exponi debeant. Hanc sententiam nonnulli defendunt, et operae pretium est, ut eorundem *argumenta*, et *interpretandi modum* audiamus.

1. *Expositionis allegoricae argumenta.*

§ 144. Qui Gen. I a sensu litterali recedendum, et historiam creationis

(2) Dobmayr § 108.

ibi propositam *allegorice* intelligendam esse putant, sententiam suam sequentibus potissimum argumentis defendunt.

1. *S. Scriptura* haud obscure innuit, a Deo omnia in uno eodemque temporis momento creata fuisse, ac propterea sex dies, a Moyse enumerati allegorice exponendi sunt. Nam postquam Moyses rerum adspectabilium creationem sex diebus peractam esse narravit, mox inquit: *Istae sunt generationes coeli et terrae, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus Deus coelum, et terram; et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret* (1). Ergo omnes generationes a Moyse enarratae spectant ad unum eundemque diem, neque temporis spatium interfuit inter diem primam, qua creavit Deus coelum et terram, et diem tertiam, in qua fuerunt producta germina et ligna. Praeterea legitur: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul* (2). Si simul omnia producta sunt, non ergo plurium dierum intervallo. Neque dici potest, τὸ *simul* referri ad universitatem creaturarum; haec enim iam satis exprimitur per *omnia*, quapropter τὸ *simul* non de rebus accipiendum est, sed de tempore. Id confirmatur ex sacri auctoris scopo, qui, ut omnipotentiam et aeternitatem divinam exaltet, Deum, qui in creando nec materia, nec tempore indiget, opponit homini, cuius opera magnum laborem multumque temporis requirunt.

2. Etiam inter *Ss. Patres* non desunt, qui omnia uno eodemque momento creata esse contendunt, atque dies sex in Genesi relatos allegorice exponunt. Hanc sententiam tradit *ClemensAlex.* (3). *Origenes* (4) reprehendit eos, qui prompto ac simplici sensu Moysen interpretantes, vera sex dierum spatia ab illo descripta censent; ut autem rem suam confirmet, provocat ad Gen. II, 4. - *S. Athanasius* (5), Verbum Dei neutiquam creaturam esse, probat ex Proverbiorum loco, ubi c. 8, v. 25 dicitur: *Ante colles ego parturiebar*, in quae verba ita disserit: « Cum dicit, ante omnia generat me, ostendit, se ab omnibus esse diversum, quum superius probatum sit, nullam ex rebus creatis ante alteram extitisse, verum confertim simul omnia genera uno eodemque momento esse producta. » *S. Augustinum* expositionem allegoricam amplexum esse, constat ex eius opere de Gen. ad litt. praesertim l. 4, c. 22, et seq., et ex l. 11 de Civ. Dei cap. 29, et 30. Huic adsenserunt *S. Isidorus Hisp.* (6), *Cassiodorus* (7), *Iunilius Africanus* in aureo super Genesin libello. Eidem sententiae favere videtur *Concilium Lateranense* IV, a quo Deus dicitur *simul ab initio temporis* utramque de nihilo condidisse creaturam spiritualem et corporalem, angelicam et mundanam.

3. Ex narratione mosaica, litteraliter accepta, multae difficultates oriuntur, quae vix solvi possunt. Sic intelligi nequit, quomodo tres priores dies et noctes distingui potuerint, cum quarta tantum die sol cum reliquis astris creatus fuerit, et *duo luminaria* ideo constituta dicantur, ut *praeessent diei et nocti; et dividerent lucem et tenebras* (8). Lucis pariter et firmamenti creatio, necnon aquarum divisio difficillime apto modo declarari potest. Absonum etiam videtur

(1) Gen. 2, 4 (2) Eccli 18, 1.
(3) L. 6 Strom. (4) L. 6 c. Celsum.
(5) O. 3 c. Arianos
(6) L. 1 de summo bono.
(7) L. 1 div. inst. c. 22.
(8) Gen. 1, 18

admittere, Deum iu corporibus coelestibus fabricaudis uuum tantummodo diem impendisse, in formanda autem instruendaque terra quinque dies consumpsisse. Propter has et alias difficultates regulae hermeneuticae suadent, ut sensus litteralis deseratur, et ad allegoricum interpretandi modum confugiatur (1).

II. *Expositionis allegoricae modus.*

§ 145. Inter expositiones allegoricas narrationis mosaicae de creatione illa tantum commemorari meretur, quam proposuit *S. Augustinus*(2).— Iuxta mentem S. Doctoris, Deus creavit omnia simul, i. e. in uno et eodem momento, ad quod probandum (3) provocat ad Eccli. XVIII, 1. Docet autem, sex dies, et in quolibet die *vespere et mane* distingui, ut indigitetur, qua ratione Angeli in creaturarum cognitionem venerint. Id autem duplici modo factum est; Angeli enim creaturas cognoverunt tum intuendo Verbum Dei, in quo sunt aeternae rerum omnium creandarum rationes, tum considerando creaturas, ita tamen, ut harum pulcritudini non inhaerentes istam iterum referant in laudem et charitatem Dei. His positis, S. Doctor declarare conatur, cur in narratione mosaica sex dies, et in quolibet die *vespere et mane* distinguantur. Ait enim (4): « Lux, quae primitus facta est, non corporalis, sed spiritualis est, » et (5): « Deus dixit: *fiat lux*, et secuta est ipsa lux, qua angelica mens formata est, atque in sua natura facta est, non autem alibi sequebatur ut fieret, et ideo non prius dictum est, *et sic est factum*, et postea dictum, *fecit Deus lucem*, sed continuo post verbum Dei facta est, adhaesitque creanti luci lux creata, videns illam, et se in illa, idest, rationem, qua facta est. Vidit etiam se in se, idest, distante quod factum est, ab eo, qui fecit. Et ideo cum placuisset Deo factum videnti, quia bonum est, et divisa esset lux a tenebris, et vocata lux dies et tenebrae nox, facta est et vespera, quia necessaria erat et ista cognitio, qua distingueretur a Creatore creatura, aliter in seipsa cognita, quam in illo. Itaque (6) dies ille, quem fecit Deus per opera eius, ipse repetitur non circuitu corporali, sed cognitione spirituali, cum beata illa societas Angelorum et primitus contemplatur in verbo Dei, quod dixit Deus: *fiat*, atque ideo prius in eius cognitione fit, cum dicitur: *et sic factum est:* et postea rem ipsam factam in eaipsa cognoscit, quod significatur *facta vespera ;* et eam deinde cognitionem rei factae ad illius veritatis laudem refert, ubi rationem viderat faciendae, quod significatur: *facto mane*. Ac sic per omnes illos dies unus est dies, non istorum dierum consuetudine intelligendus, quos videmus solis circuitu determinari, atque numerari, sed alioquodam modo, a quo et illi tres dies, qui ante conditionem istorum luminarium commemorati sunt, alieni esse non possunt. » Ex his patet, quomodo duplex Angelorum cognitio sit intelligenda *vespertina*, et *matutina:* illa est cognitio rerum existentium in propria natura, et per ipsam rerum creatarum considerationem ab Angelis acquisita: cognitio vero matutina est, quando scientia Angelorum non remanens in creatura, refertur in laudem et charitatem Dei, in cuius luce incommutabili sunt aeternae rerum faciendarum rationes: hoc enim ordine mens Angelorum ad veritatem

(1) Cf. Berti L. 11 disc. th. c. 2.
(2) L. c (3) L. de Gen. ad litt. imp. c. 7.
(4) L. 4 de Gen. ad litt. c. 22. (5) C. 32.
(6) C. 26.

et ipsam sapientiam Dei convertitur, et eorum cognitio *illucescit* et recurrit in *mane*. Et quia in Angelorum mente vespertinae cognitioni sine ignorantiae et errorum tenebris statim cognitio matutina succedit, ideo, ut S. Pater observat, in narratione mosaica solummodo dies, non autem nox commemoratur, « quia, ait (1), non ibi abscessu lucis superioris, sed inferioris cognitionis distinctione fit vespera: nec mane tanquam nocti ignorantiae scientia matutina succedat, sed quod vespertinam etiam cognitionem in gloriam conditoris attollat. Denique et David, nocte non nominata, *vespere*, inquit, *et mane, et meridie narrabo, et annunciabo, et exaudiet vocem meam:* hic fortasse per temporum vices, sed tamen, quantum puto, significans quid sine temporum vicibus perageretur in patria, cui eius peregrinatio suspirabat. » Denique S. Doctor declarans quomodo Deus die septimo requievisse dicatur, inquit (2): « Cum in die septimo requiescit Deus ab omnibus operibus suis, et sanctificat eum, nequaquam est accipiendum pueriliter tanquam Deus laboraverit operando, qui *dixit, et facta sunt* verbo intelligibili, et sempiterno, non sonabili et temporali. Sed requies Dei requiem significat eorum, qui requiescunt in Deo, sicut laetitia domus laetitiam significat eorum qui laetantur in domo, etiamsi eos non domus ipsa, sed alia res aliqua laetos faciat: quanto magis si eadem domus pulcritudine sua faciat laetos habitatores? — Convenientissime itaque, cum Deum requievisse prophetica narrat auctoritas, significatur requies eorum, qui in illo requiescunt, et quos facit ipse requiescere. » S. Doctor (3) interpretationem suam confirmat ex eo, quia, hac non admissa, sequeretur, in historia creationis de productione Angelorum, qui sunt creaturae praestantissimae, ne verbum quidem occurrere.

Nota. Allegoricam *S. Augustini* expositionem nonnulli quasi erroneam, et cum scriptis a Moyse aperte pugnantem damnarunt, ut *Molina, Cornelius a Lapide, Arriaga* etc. Alii digna Augustino reverentia tanquam minus probabilem suo reliquerunt auctori, ut *Estius, Natalis Alexander* et alii iuniores *Thomistae*. Sed extiterunt etiam non pauci, qui S. Augustini sententiam adprobarent atque defenderent. *Xistus Senensis* (4) eam tam sublimem et eruditam esse iudicat, ut neque ante, neque post Augustini tempora talis unquam prodierit. *Albertus M.* (5) ait: « Videtur Augustino consentiendum. » *S. Thomas* (6) expositionem Augustini appellat « subtiliorem, asserit, eam magis ab irrisione infidelium Scripturas defendere, » et addit haec plane verba: « Opinio Augustini plus mihi placet. » Et (7) admittit in Angelis cognitionem vespertinam, et matutinam, per quam S. Pater sex dies Geneseos exposuit; quamquam (8), « ut neutri sententiae praeiudicetur, utriusque rationibus respondendum existimavit. » Augustini expositionem defendendam susceperunt *Card. Norisius, Hiac. Serry*, et *Laur. Berti* (9).

ARTICULUS II.
De expositione litterali.

§ 146. *S. Augustinus* suam de sex creationis diebus expositionem non tanquam infallibiliter certam, et unice veram proposuit, sed modeste

(1) C. 30. (2) L. 11 de Civ. Dei c. 8.
(3) Ib. c. 9. (4) L. 4, Bibl.
(5) I. P., q. 12, art. 6.
(6) 2 sent. dist. 12, q. 1, art. 2.
(7) Summ. 1. q. 58, art. 6. (8) Q. 74, a. 2.
(9) L. 11, disc. theol. c. 2.

de seipso sentiens (1), scribit: « Quisquis ergo non eam, quam pro meo modulo vel indagare, vel putare potui, sed aliam requirit in illorum dierum sententiam, quae non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi, quaerat et divinitus adiutus inveniat. » S. Doctor ergo ipsemet caute regulam observavit, quam praeclare proposuit, dicens: « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas. » Et sane — quamvis *S. Augustinus* in Theologia maxima auctoritate polleat, attamen permulti existimarunt, circa narrationem mosaicam de creatione ab allegorica ipsius expositione recedendum, et sensui litterali insistendum esse: istorum iam 1° *argumenta*, et 2° *interpretandi modum* examinare oportet.

I. *Expositionis litteralis argumenta.*

§ 147. Ea, quae Moyses narrat de mundi origine, litterali sensu accipienda esse, sequentia probant argumenta:

1. Iuxta regulas hermeneuticas in S. Scripturae interpretatione haud licet a sensu litterali recedere nisi tunc, cum vel ex textu litteraliter accepto manifesta absurditas sequitur, vel sensus allegoricus, seu mysticus alibi in S. Scriptura, aut in Traditione divina indigitatur. Ast ex narratione mosaica litteraliter accepta nil absurdi sequitur; difficultates enim, quas aliter sentientes movent, tales non sunt, ut apertam contradictionem involvant, uti ex inferius (§ seq.) dicendis patebit. Neque S. Scriptura alium sensum indigitat; loca enim biblica, quae a nonnullis citantur, ut ostendant, sex dies non in sensu litterali esse accipiendos, rem nullatenus probant. Nam si Gen. II, 4 Deus dicitur fecisse coelum, et terram, et virgultum agri *in die*, dies hic pro tempore simpliciter sumitur, sive pro diebus, ut plerisque placet; nam singularis pro plurali saepe in Scriptura sumitur, ut observat *Petavius* (2). Quod si de una eademque die naturali verba haec intelligantur, iure dicitur, sermonem esse de creatione prima, qua Deus fecit coelum et terram, seu produxit materiam, cum qua omnia simul facta sunt, in semine scilicet et substantia: ita hunc locum intellexit *S. Gregorius M.*, qui (3) dicit: « Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est, et quod simul extitit per substantiam materiae, non simul apparuit per speciem formae. » Eodem modo respondendum est ad alterum locum Eccli. XVIII, 1, in quo solum indigitatur, Deum *omnia simul*, i. e. nulla re excepta creasse: et quamvis universitas rerum iam per *τὸ omnia* exprimatur, non insuetum est S. Scripturae, ut per aequivalentes terminos eadem res confirmetur, sicut, v. gr., Ps XIII, 3, dicitur: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Convenit ergo locus Ecclesiastici cum dicto S. Ioannis: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Potest etiam dici, omnia a Deo facta fuisse simul, quia sex dierum spatium habita rationе rerum peractarum pro uno ferme temporis puncto accipiendum est: ac denique occurrit S. Gregorii responsio mox allata. — Divinam Traditionem nos non compellere ad sensum litteralem deserendum, patet ex ipso S. Augustino, qui candide fatetur, se allegoricam suam expositionem non ex Traditione hausisse, sed « ex mo-

(1) L. 4 de Gen. ad litt c. 28.

(2) De 6 dier. op. l. 1, c. 5.
(3) L. 32, Mor. c. 10.

dulo suo » indagasse. Quae cum ita sint, iuxta regulas hermeneuticas a sensu litterali narrationis mosaicae recedere non licet.

2. Alia regula hermeneutica exposcit, ut ad recte exponendam Scripturam *finis* et *indoles auctoris*, atque *sermonis contextus* adtendantur. His autem rite attentis facile cognoscitur, narrationem mosaicam in sensu litterali esse intelligendam. Nam, *a*) narratio mosaica tota dirigitur ad Religionem, nempe ut Israëlitae doctrinam de Deo creatore, primum verae Religionis et Monotheismi fundamentum clarius agnoscerent, et ad obedientiam erga Deum legislatorem isto etiam motivo impellerentur; tum ut iidem ab erroribus polytheismi, qui Deum vel in astris, vel in apotheosi hominum, vel in regno animalium et plantarum quaerit, avulsi unum Deum colerent, qui uterque finis ex tota narrationis serie colligitur: denique ut sabbati, cuius celebratio ad vigorem totius constitutionis requirebatur, sanctio veluti Dei ipsius exemplo firmaretur. Ad hunc triplicem finem obtinendum conveniens non fuisset, ut Moyses populo rudi et indocto allegorias proponeret et neutiquam explicaret. *b*) Omnes fatentur, Moysen scriptorem historicum esse, ipsumque in decursu Geneseos simplici calamo facta enarrare in sensu litterali accipienda: ex quo iure infertur, ipsum etiam in initio sui operis non allegorice, sed historice seu litteraliter loqui. Praeterea quicunque divinam S. Scripturae auctoritatem non inficiantur, admittant quoque necesse est, Moysen scriptorem hagiographum fuisse, ipsumque etiam prima Geneseos capita non sine divina inspiratione conscripsisse. Hac consideratione confutantur illi recentiores Interpretes, quorum non pauci inter Protestantes inveniuntur, qui quidquid eorum ingenio non arridet, inter fabulas, aut si parcius loqui placet, inter mythos relegant, atque ideo etiam asserere non verentur, Moysen, dum historiam creationis conscriberet, antiquos mythos collegisse, seu, ut alii malunt, vetera poëtica, aut philosophica fragmenta operi suo assuisse, quae proinde litteraliter intelligi non possunt. — Ast qui talia effutiunt, existentiam talium mythorum, seu fragmentorum poëticorum, aut philosophicorum ne verbo quidem probant, sed nec pro Moysis aevo probare possunt: ipsi ergo fabulas proferunt omni iure spernendas. Dein si Moysen divinitus inspiratum fuisse admittunt, concedere quoque tenentur, vera esse illa, quae narrat, undecunque notitiam quamdam hauserit, nec propterea a sensu litterali esse recedendum. Si autem divinam inspirationem negant, a fide deficiunt, et inter christianos interpretes recenseri nequeunt (1). — *c*) Sensum litteralem allegorico esse praeferendum, patet etiam ex simplici contextu narrationis, quae Gen. 1 habetur. Hic enim sacer auctor singula Dei opera singulis assignat diebus: porro sicut nomina coeli, terrae, solis, plantarum, animalium, hominis etc., ab omnibus litteraliter intelliguntur, ita etiam nomine diei dies verus intelligi debet, praesertim cum nihil expostulet sensum allegoricum naturali derelicto (2).

3. Tantum abest, ut S. Scriptura pro historia creationis sensum allegoricum indigitet, aut omnia simul creata fuisse contestetur, ut contrarium potius ex illa ostendi queat. Et sane—omnia successive creata fuisse, patet, ut recte *Estius* observat, ex eo,

(1) Cf. Dobmayr § 109.

(2) Cf. Tournely de op. 6 dier. q. 5, a. 1.

quia v. 2 dicitur: *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi:* manifeste hic tempus assignatur, quo terra extitit, sed lux non adfuit, neque plantae, arbores, animalia etc. adfuerunt: ast tempus tale assignari nequit ab illis, qui omnia simul creata esse autumant. — Ex. XX, 9 etc., legitur: *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo:* haec autem lex, die septimo ab operibus cessandi, repetitur ab exemplo Dei, qui sex diebus opus creationis perfecit, et septimo die requievit: additur enim v. 11: *Sex enim diebus fecit Dominus coelum, et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.* Cuius autem momenti talis esset ratio, si mundus eodem temporis puncto creatus ornatusque fuisset? — Praeterea ad historiam creationis recte etiam refertur productio Evae, quae narratur Gen. II, 21; hanc autem narrationem omnino litteraliter intellexit Apostolus, scribens: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro* (1). Itaque ipsa S. Scriptura haud obscure indigitat, in exponenda historia creationis sensum litteralem esse retinendum.

4. Quamvis nonnulli Patres mosaicam de creatione narrationem allegorice exposuerint, maior tamen eorundem pars stat pro interpretatione litterali. Sic *Theophilus Antioch.* (2) sex dies naturales agnoscit, in quibus Deus opus creationis perfecit, quod, iuxta narrationem mosaicam, litteraliter exponit. Eandem in litterali sensu exponunt *S. Ambrosius* (3), *S. Basilius* (4), *S. Gregorius Nyss.* (5) *S. Chrysostomus* (6), *Theodoretus* (7), *S. Gregorius M.*, cuius verba iam citata fuerunt. Etiam *S. Hieronymum* litteraliter historiam creationis intellexisse, et sex dies naturales distinxisse, patet ex l. 1 adv. Iovin., item ex Ep. 50, Apol. ad Pamach. et quaest. in Genes. — Maior ergo Ss. Patrum et Theologorum pars stat pro expositione litterali. Ideo, iuxta communem Patrum et Ecclesiae sensum, mundus incoepit die Dominica, unde Ecclesia in hymno ad Matutinum diei Dominicae cantat: « Primo die, quo Trinitas beata mundum condidit, vel quo resurgens conditor nos morte victa liberat. »

5. Sententiam eandem non parum confirmant vetustissimarum gentium testimonia, quae omnia cum Moysis narratione consentiunt, et quorum plurima refert *Grotius* (8). Inter alia ostendit vir doctissimus, memoriam creationis infra septem dies peractae servatam fuisse non apud Graecos tantum et Italos, sed et apud Celtas et Indos, quibus omnibus per hebdomadas digesta sunt tempora (9).

II. *Expositionis litteralis modus.*

§ 148. Negari non potest, narrationem mosaicam de creatione obscuram esse, et non paucis quaestionibus ac dubiis ansam praebere, in quibus solvendis etiam illi, qui sensum litteralem amplectuntur, haud semper conveniunt. Sed tamen difficultates, quae moveri solent, tales non sunt, ut nos ad sensum litteralem deserendum cogant. Opus enim creationis, sex dierum naturali ordine sibi succedentium spatio per-

(1) 1 Cor. 11, 8 (2) L. 2 ad Autol. n. 11 etc.
(3) In Hexaem. (4) In Hexaem.
(5) In Hexaem. (6) Hom. in Genes.
(7) In quaest. in Genes.

(8) De Veril. Rel. chr. l. 1, c. 16.
(9) Cf. Liebermann p. 482, et Perrone de Deo creat. p. 2, c. 1, a 151 in nota.

actum, ita declarari potest, ut nulla ex parte manifesta contradictio sequatur. Id apparebit ex modo, quo historia creationis litteraliter exponitur.

1. Prima die sequentia contigisse dicuntur: *a*) *In principio*, dum tempus, atque ideo etiam prima dies inciperet, *creavit Deus coelum et terram*. Per *coelum*, *S. Clemens Rom.*, *Origenes*, *Basilius*, *Theodoretus*, et alii intelligunt solum coelum supremum, seu empyreum cum omnibus suis ornamentis, ut esset sedes Angelorum eodem die creatorum, et caeterorum Beatorum. Iuxta alios cum coelo empyreo intelliguntur omnes orbes coelestes, ad quos sol, luna et astra pertinent, informes tamen et imperfecti; imo et ipse aër, qui pluries in S. Scripturis sub nomine coeli est intelligendus; e. g. dum Ps. VIII, 9 commemorantur *volucres coeli*. Haec sententia ideo probabilior esse videtur, quia in S. Scripturis passim per *coelum, et terram* (§ 136) tota rerum universitas intelligitur. Prima ergo die coelum empyreum cum Angelis creatum fuit, et etiam corpora mundi tot alia, i. e. sol, luna, astra, terra etc. producta, et ab invicem separata fuerunt, et, ut ait *Wiest* (1), motum circa axim proprium simul acceperunt, licet ad suam perfectionem nondum fuerint perducta. - *b*) Ideo statim additur: *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi;* sacer Auctor, statum imperfectum reliquarum mundi partium non commemorans, de sola terra, quam inhabitamus, loquitur, eamque primitus vacuam plantis, arboribus, animalibus, hominibus etc. fuisse testatur, imo etiam luce destitutam, ita ut tenebris omnia fuerint involuta, quoniam tenebrae non sunt nisi orbitas lucis. - *c*) *Spiritus Dei ferebatur super aquas:* nomine *Spiritus Dei* nonnulli cum *Tertulliano* et *Theodoreto* intelligunt ventum validum, aquas exagitantem; alii cum *S. Chrysostomo* et *S. Augustino* vim quamdam vitalem, qua omnia producerentur sensibilia; plerique vero Patres ipsum Spiritum sanctum omnia vivificantem, seu virtute sua in debitum ordinem redigentem. «Haud sane spernenda est, ait *Tournely*, haecce postrema sententia, tanta auctoritate fundata; verum nec praecedentibus opponitur: ferebatur nempe Spiritus sanctus super alas ventorum, sicque incubans aquis eas exagitabat, talique motu eas dividens, calefaciens, immiscens partibus terrae foecundabat; unde nil obstat, quominus hae tres sententiae coniunctim admittantur.» - *d*) *Dixitque Deus: fiat lux, et facta est lux*, i. e. Deus in mente concepit, voluit, decrevit, imperavit efficaciter - atque imperando reipsa effecit et produxit lucem. Neque contradictio aliqua ex eo sequitur, quod Deus lucem prima, et solem quarta die fecisse dicatur. Prima enim die Deus materiam lucis produxit, quam quarta die cum sole et astris coniunxit. Lucem quippe esse materiam quandam maxime subtilem iam *Dionysius* (2), *Gregorius Nyss.* (3), *Ephram* (4) et alii docuerunt, neque recentiores physici id negare possunt, praecipue qui cum *Newtono* systema emissionis adoptant. Haec porro materia lucis tribus primis diebus vel, ut vult *Dereser*, per totam orbis terrarum superficiem diffusa, vel potius in una tantum parte consistens fuit, ita ut cum terra circa axim suam volveretur, successive unum hemispherium lucis beneficio frueretur, qua alterum privabatur. Sic iam tribus primis diebus divisa est *lux a tenebris*, *factumque est ve-*

(1) § 483. (2) De div. nom p. 1, c. 4. (3) Apol. in Hexaem. (4) T. 1, p 8 etc.

spere et mane. Sapientissime autem tribus primis diebus materia lucis, quam etiam calor comitatur, terrae inani et vacuae magis propinqua fuit, tum ut nimiae aquae in vapores abirent, tum ut terra exsiccaretur, tum ut semina et germina explicarentur. Productis vero iam herbis et lignis pomiferis, opus fuit, ut materia lucis longius a terra amoveretur. Sic etiam in isto opere Deus non solum potenter, sed et sapienter omnia perfecit (1).

2. Secundae diei opus his verbis refertur: *Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis, et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quae erant sub firmamento ab his quae erant super firmamentum. Et factum est ita, vocavitque Deus firmamentum coelum.* Vox latina: *firmamentum* corpus solidum indicare videtur, sed vox hebraica solum significat corpus longe lateque expansum. Circa istud firmamentum et aquarum divisionem duae vigent sententiae, quarum tamen neutra absurditatem continet, seu contradictionem involvit.- *a*) Multi putant, per firmamentum non solum aërem intelligi, qui terrae superficiei incumbit, sed et totum illud spatium quod a terra usque ad coelum empyreum extenditur, et in quo sidera versantur. Hanc sententiam probant praecipue ex eo, quod Deus die quarta *in firmamento* fecit solem, lunam et astra, quae non sunt in aëre, sed in coelo sidereo, eandemque confirmant auctoritate Ss. Patrum *Hilarii, Basilii, Ambrosii, Chrysostomi, Theodoreti, Bedae*, et aliorum. Iuxta hanc sententiam supra coelum sidereum proxime sub coelo empyreo sunt verae et naturales aquae, quamvis, ut plerique autumant, subtiliores et nobiliores, quam reliquae crassiores, quae in maria et flumina abierunt. — Hanc sententiam nonnulli cum *Calvino* derident, sed insulse; nullatenus enim probari potest, in illa absurdi quid, seu contradictorii contineri. An forte dicent, aquam in tanta altitudine positam defluere debere? sed si sidera, specifice graviora, non decidunt, cur aquae in loco a Creatore sibi destinato firmae permanere non poterunt? — Si quaeritur, quem in finem aquae ibi repositae fuerint, nonnulli respondent cum V. *Beda*, ad temperandum calorem ex vi et motu siderum ortum; alii cum *Procopio*, ad solis et lunae radios reverberandos, et deorsum ad terram repellendos, alii cum *Cornelio a Lapide*, ad ornatum Universi, et forte etiam ad voluptatem Sanctorum in coelo empyreo existentium, ut aquis his crystallinis et variegatis oculos suos pascant, aquae enim omnis formae, decoris, coloris, et ornatus sunt capacissimae, ut patet in iride; quasi huc alludat Ioannes. *Deducet eos ad vitae fontes aquarum* (2); et: *Ostendit mihi fluvium aquae vivae, splendidum tanquam crystallum* (3). Neque opus est, ut a nobis finis cognoscatur, ob quem aquae supra firmamentum positae sunt, nam multa mirari nos voluit Deus, non scrutari; et « maior est huius Scripturae auctoritas, ait S. *Augustinus*, quam omnis humani ingenii capacitas. » Frustra etiam nonnulli clamitant, contra naturam esse, aquas esse supra coelos. Cum enim physici vix pro nostra tellure omnes leges naturales satis determinare valent, et si astronomi praeter situm et motum siderum vix aliquid certi affirmare queunt, quomodo de regionibus illis sublimibus nobisque incognitis determinari poterit, quid naturae consentaneum, quidve contrarium sit? —

(1) Cf. Staudenmayr § 34.

(2) Apoc. 7, 17. (3) Ib. 22, 1.

Certe inter terram et sidera, et inter sidera ac coelum empyreum perfectum vacuum non datur, ergo materia aliqua admittenda est; quidni etiam aquae in quadam parte existere poterunt? Leges naturales nonnisi per voluntatem Dei constituuntur; praeclare idcirco *S. Augustinus* (1) ait: « Id cuilibet rei est naturale, quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus et ordo naturae. » Ex dictis manifeste patet, etiam in hac operis secundae diei expositione nullam absurditatem, aut contradictionem evinci posse. - *b*) Alii tamen, ut *Petavius*, *Tournely*, *Billuart*, et plerique recentiores interpretes nomine firmamenti intelligunt totum illud spatium, quod a terra extenditur, usquequo acies oculorum pertingere potest; hoc enim vulgaris usui sermonis aptissimum est, qui totum hoc omne, quod oculo consequi possumus, et densis opacisque corporibus vacuum est, coelum nominat, et in eodem significatu nomen coeli etiam in S. Scriptura frequenter occurrit (2). Iuxta hanc sententiam, per superiores aquas intelliguntur vapores et nubes, e quibus pluvia gignitur, per inferiores vero maria, lacus, flumina et fontes. Inter ambas has aër interpositus est, qui tanquam firmamentum nubes sustinere videtur. Hunc ergo pulcherrimum et pro terrae fertilitate utilissimum ordinem Deus secunda die stabilivit. Neque huic sententiae obstat, quod *in firmamento* sidera dicantur creata, quae non sunt in aëre: haec enim vel iuxta opinionem hominum dicta sunt, qui sidera in firmamento micare vident, vel potius cum *S. Thoma* distinguere oportet firmamentum inferius, secunda die constitutum, et superius, quarta die in ordinem redactum. Ait enim angelicus Doctor (3): « Firmamentum factum est secunda die quantum ad inferiorem partem. In firmamento autem posita sunt sidera quarta die quantum ad superiorem partem, ut totum pro uno accipiatur secundum quod sensui apparet. » — Ista expositio captui humano magis accommodata, et cognitis legibus naturalibus magis conformis est: neque haec S. Scripturae aut Traditioni contraria dici potest, cum illi favere videatur sacer textus, eandem non improbabilem iudicent *S. Augustinus* (4) et *Epiphanius*, eamque defendant plurimi, inter quos, iudice *Estio*, etiam *S. Thomas* et *S. Bonaventura*.

3. Tertio diei duo a Moyse assignantur opera, nimirum *congregatio aquarum*, et *productio plantarum et arborum*. *a*) De primo legitur: ***Dixit vero Deus: congregentur aquae, quae sub coelo sunt in locum unum; et appareat arida; et factum est ita.*** Quaesitum est, in quem terrae locum poterint congregari aquae, cum terra prius undique aquis erat cooperta? — id duplici modo explicari solet. Nonnulli putant, aquas, cum multo aëre et calore unitas, prius leviores et rariores fuisse, postea vero cum iam secunda die magna earum copia in altum se extulerit, reliqua congregatione densata minorem occupasse locum, ita ut terra arida, i. e. exsiccata appareret: ideo *S. Augustinus* (5) inquit: « Quid mirum, si aqua rara terram texit, spissata nudavit? » — Alii vero melius rem declarant dicendo, terram primo quidem plane rotundam, seu sphaericam fuisse creatam; tertia vero die, iubente Deo, hiatibus scissam, ita ut ex una parte

(1) L. 26, c. Faust. c. 3.
(2) Matth. 16, 2 etc. Ps 8. Ierem 8. et alibi.
(3) 1, q. 70, a. 1 ad 5.

(4) L. 2 de Gen. ad lit. c. 4.
(5) L. 2, c advers. leg. et Proph. c. 13.

montes et colles, et ex altera valles, imo et magnae cavitates orirentur, in quas aquae defluxerunt. Etiam hunc explicandi modum indigitat *S. Augustinus* (1), dicens: « Quid si etiam divino nutu in magnos sinus terra subsedit, et aqua in partes concavas confluens altiora deseruit, qua orbis eminueret? » — Difficultas etiam mota est ex eo, quod aquae congregatae dicantur in unum locum cum constet, easdem esse in multis locis? — Sed id intelligendum est, vel quatenus aquae omnes habent unum terminum, scilicet mare, in quem confluunt manifestis, aut occultis meatibus iuxta illud Eccl. I: *Omnia flumina intrant in mare;* vel quatenus unus locus non accipitur simpliciter et stricte, sed unus dicitur per comparationem ad locum terrae siccae, ut sit sensus: congregentur aquae in aliquem locum diversum ab eo, quem hactenus cum terra occupant; vel denique quatenus unus locus non sumitur determinate, sed confuse, ac si diceretur: singulae congregationes aquarum congregentur in aliquem locum a terra diversum, unaquaeque in suum: non est ergo sensus, quod omnium aquarum sit unus locus, sed quod singulae congregationes habeant unum suum locum. Dantur, ut notat *Sacy*, qui putant, hanc congregationem aquarum operi secundae dici iungendam esse, quia hac die non dicitur: *Vidit Deus, quod esset bonum*, sed tertia die haec divinae adprobationis formula bis occurrit. *b*) Cum post factam congregationem aquarum terra arida, seu sicca apparuisset, Deus ait: *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit supra terram, et factum est ita* etc.

(1) L. cit. (2) L. 1 de Gen. ad litt. c. 4.

Nonnulli cum *S. Augustino* (2) putant, hac die plantas et arbores solum causaliter, et in semine productas fuisse, quod Gen. II, 5 innui videtur. Sed communis Ss. Patrum et interpretum sententia est, herbas et arbores fuisse tertia die actu adultas, et quasdam saltem cum fructibus maturis productas. Aperte favet huic sententiae textus S. Scripturae, ubi postquam Deus iussit germinare herbam virentem, et lignum pomiferum faciens fructum, protinus additur: *Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem... lignumque faciens fructum* etc. Inepte sane diceretur producta herba virens, faciens semen, si de solius seminis productiones sermo esset, et multo minus hoc in casu dici posset procreatum *lignum faciens fructum*, *et habens sementem*. Locus Gen. II, 5 intelligendus est de seminibus, iam prima die creatis, sicuti multi opinantur.

4. Quarta die *dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento coeli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos... fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas, et posuit eas in firmamento coeli.* Quidam dicunt, solem, lunam et reliqua sidera hac demum die tum quoad substantiam, tum quoad accidentia creata fuisse, sed communior Ss. Patrum et interpretum sententia est, nominata corpora coelestia quoad substantiam iam prima die producta fuisse, quarta autem die Deum materiam lucis, iam prima die creatam ita cum sole coniunxisse, ut ab hoc undique diffunderetur, et a luna in terram reverberetur; ideo dicitur: *Fecit Deus duo luminaria magna*, per quac sol et luna intelliguntur, quia haec duo corpora coelestia ho-

minum oculis maiora et magis lucida apparent. His iunguntur stellae, quae etiam iam prius quoad substantiam productae hac die lumen sive proprium, sive aliunde mutuatum Deo efficiente acceperunt. Haec expositio confirmatur IV Esdr. VI, 45, ubi dicitur: *Quarta die imperasti fieri solis splendorem, lunae lumen, stellarum dispositionem, et imperasti eis, ut deservirent futuro plasmato homini.* Hic liber equidem canonicus non est, sed tamen hac in re traditionem Iudaeorum contestatur. Dicitur autem: *sint in signa*, — non prognostica astrologiae iudiciariae; haec enim damnat Scriptura (1), sed *in signa* navigantibus et itinerantibus, vel etiam *in signa* vicissitudinum tempestatis, quas hincinde suae lucis varietate indicant iuxta Matth. XVI, 2, et praecipue *in signa* quibus *tempora*, i. e. ver, aestas, autumnus et hiems, *dies* et *anni* distinguantur. Neque his repugnat systema Copernicanum, iuxta quod non sol circa terram, sed terra circa solem movetur; cum enim nihilominus sol oriri et occidere, terrae magis adpropinquare, vel ab ista recedere, seu per Zodiacum gyrare videatur, omni iure hoc luminare maius pro conspectu hominum in signum temporum dierum, et annorum positum dicitur.

5. Quinta die *dixit Deus: Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento coeli: creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquae in species suas, et omne volatile secundum genus suum.* Hac die ex aquis producti fuere pisces, nemine diffitente; illos enim intelligi nomine reptilium animae viventis, certum est, cum apud Hebraeos, quidquid aut pedibus caret, aut adeo breves habet, ut reptandi potius, quam gradiendi facultatem praebeant, reptile dicatur: porro cuiuscunque magnitudinis pisces hoc die creati fuerunt; nam nomen *cete* commune est omnibus magnis piscibus, ut cum *Gesnero* observat *Cornelius a Lapide*. Quaestio mota est, an etiam aves ex aquis productae fuerint? hoc innuere videtur citatus textus, sed Gen. II, 19 legitur: *Formatis igitur... de humo cunctis animantibus terrae, et universis volatilibus coeli, adduxit ea (Deus) ad Adam.* Sed nihilominus *S. Basilius*, *S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus*, et alii Patres ac Interpretes dicunt, Deum per omnipotentiam suam non solum pisces, sed etiam aves ex aquis produxisse, et Gen. II, 19, τὸ *de humo* referri solum ad animantia terrae, his autem ideo solum volatilia coeli adiungi, quia haec quoque ad Adam adducta fuerunt.

6. Sexta die duo operatus est Dominus, nempe animalia terrestria, et hominem. — *a*) *Dixit Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, iumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas; factumque est ita* etc. Recensentur hic tria genera animalium praeter hominem, nempe *iumenta, bestiae*, et *reptilia:* per iumenta intelliguntur animalia domestica, ut equi, boves, canes, oves etc.: per bestias intelliguntur animalia sylvestria, ut leones, ursi, lupi, cervi etc.: per reptilia intelliguntur, quae carent pedibus, aut tam breves habent, ut vix eleventur a terra, ut serpentes, vermes, lacertae etc. Hac die etiam illas animalium species creatas fuisse, quae nunc sunt homini vel veneno, vel voracitate nociva, dubitari non potest; constat enim ex Gen. III, serpentem tunc fuisse productum. — *b*) *Eadem die* Deus

(1) Is. 47, 25, Ierem. 10, 2.

fecit etiam hominem, de quo plura capite quarto disserenda erunt.

Nota. Gen. II, 2 legitur: *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.* Haec verba iuxta omnes non crasso modo intelligenda sunt, quasi Deus sex dierum opere defatigatus requievisset. Deus enim immutabilis, et tempori nullo modo subiectus est, quapropter in ipso transitus a labore ad quietem, vel a quiete ad laborem cogitari non potest. Sensus ergo relatorum verborum est, Deum per omnipotentiam suam effecisse, ut sex dierum spatio omnia, quae creare voluit, ad existentiam perducerentur; hoc autem opere completo nulla amplius nova creaturarum genera orta esse. Alii aliter eadem verba explicant, affirmantes, ideo Deum dici requievisse, quia rebus a se conditis dedit quietem, i. e. stabilitatem, permanentiam, perpetuitatem, ordinemque fixum, ratum et immutabilem. Citatus ergo locus nullomodo pugnat cum verbis Christi: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (1); haec enim verba pro nostro captu continuam curam exprimunt, qua Deus mundum semper conservat et gubernat (2).

ARTICULUS III.

De expositione recentioribus temporibus propalata.

§ 149. 1. Saeculo praeterlapso increduli ipsa fidei fundamenta concutere tentarunt. Ideo, duce potissimum *Voltaire*, ostendere conati sunt, narrationem mosaicam de creatione a veritate longe aberrare, quia aetas mundi iuxta physicas et astronomicas observationes multo maior est illa, quae iuxta chronologiam mosaicam ipsi tribuitur. Ut sententiam suam probent, sequentia protulerunt. Montes, inquiunt, qui non aliunde nisi a mari repetendi sunt, in tempore a Genesi assignato ad tantam altitudinem se extollere non potuissent. Extant praeterea in montibus conchae marinae et cadavera animalium, herbae et arbores in saxum conversae, cuiusmodi terrae illae, ubi inveniuntur, numquam tulere: sic, e. g., ex arena prope *Traiectum ad Mosam* effossi fuerunt crocodili, et in *Siberia* et aliis regionibus ad septentrionem sitis inventa sunt cadavera elephantum, rhinocerotum etc. quae quidem animalia solum in regionibus calidis habitare consueverunt: haec porro phoenomena, iuxta chronologiam mosaicam, nemo explicabit, cui ignotum non est, quanto tempore opus sit, ut animalia, vel plantae intra terrae viscera in saxa convertantur. — Constat quoque in regionibus, quae olim per montium ignivomorum eruptiones devastatae fuerant, modo iam pervetustas silvas adesse, quarum existentia maiorem, quam Moyses admittit, mundi antiquitatem exposcit, quia longissimo tempore opus est, ut materia, quae a montibus ignivomis eiicitur, foecunda reddatur. Hoc argumentum confirmant conchae margaritiferae, grandes, et variae mutationes situs maris; nam in tempore a Moyse assignato neque illae ad talem magnitudinem excrescere, neque istae per vim aquarum perfici potuissent. Accedit, quod tempore *Arati* et *Hipparchi* angulus eclipticae cum aequatore erat viginti quatuor circiter graduum, et nunc est graduum viginti trium cum viginti octo fere minutis: si vero a tempore *Arati* usque ad nos tam exigua differentia orta est, certe ingentibus annorum myriadibus opus erat, ut ecliptica; quae olim aut verticalis, aut parallela ae-

(1) Io. 5, 17. (2) Cf. Staudenmayr § 41.

quatori fuit, ad eam inclinationem pervenisset, quam iam aetate *Arati* aut *Hipparchi* obtinebat. Ex his omnibus elucet, mundum longe anteteriorem mosaica chronologia esse.

2. Ad difficultates ab incredulis motas recte responderunt Theologi, per allatas, seu afferendas physicas, vel astronomicas observationes nullatenus chronologiam mosaicam de errore, seu falsitate convinci. Moyses enim annos tantum enumerat Adami, caeterorumque Patriarcharum: unde ab ipso aetas humani generis, non autem aetas terrae, et totius universi determinatur. Constat autem, hominem sexta die creatum fuisse, quam quinque dies praecesserant. Nihil autem impedit, quominus per istos dies longiores temporis periodi intelligantur. Ipse S. *Augustinus* (1) ait: « Qui dies cuiusmodi sint, perdifficile nobis, aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere? » Non desunt idcirco, qui cum *Cartesio* sex creationis dies ad sex annorum millia extendunt. Huic sententiae suffragantur antiquissimae tum *Persarum*, tum *Hetruscorum* cosmogoniae, in Persica enim, prout legitur in Zendavesta, perhibetur Oromazdes, summi Numinis primogenitus, hunc mundum *sex temporibus* creavisse, initio facto a lumine, et postquam omnia absolvisset, festa celebravisse. — In Hetrusca autem, ut habet anonymus quidam auctor apud *Suidam*, traditur Deus sex mille annos rebus universis condendis impendisse. Ab his etiam non valde abhorrent *Aegyptiorum* et *Phoenicum* cosmogoniae (2). In S. Scriptura tempus, quo Deus a novis creaturarum speciebus creandis cessavit, seu requievit, *dies septima* vocatur, quae iam per plura annorum millia perdurat: cur non licebit, etiam praecedentibus diebus simile temporis spatium assignare? His autem suppositis omnia phoenomena, quae ab incredulis obiiciuntur, facile explicantur, nihilque ex illis contra veritatem narrationis mosaicae desumi potest.

3. Nonnulli, quibus expositio sex dierum ceu totidem indefinitarum, aut longissimarum periodorum haud placuit, aliam viam ingressi sunt ad observationes geologicas cum historia creationis mosaica conciliandas. Isti dicunt, versum primum duntaxat Geneseos cap. 1 respicere originem totius universi, in secundo versu indigitari terrae nostrae ruinam, et in sequentibus narrari eiusdem restaurationem. Hi ergo *primam*, et *secundam creationem* ita distinguunt, ut per primam intelligant totius universi productionem, multis annorum millibus antiquiorem, ac Moses memorat; per secundam vero intelligant tantummodo terrae, quam inhabitamus, reparationem, quoniam diuturnitate temporum variis casibus collapsa, et inhabitabilis facta fuerat. De hac secunda creatione, seu de terrae restauratione ea, quae Gen. 1, 2 etc. sex dierum spatio facta narrantur, sequenti modo explicant:

I. Terra nostra prius spatio temporis nobis penitus ignoto fuit aquis circumfusa, ex his evolvebantur copiosi vapores, per quos terra tam densis obducta fuit nubibus, ut radii lucis eam nequaquam potuerint pervadere. Deus iussit ventum vehementem flare, qui has densas nebulas temperavit, ut nonnulli radii transmicare per iam tenuiorem aetherem possent, et sic facta est nova lux. Hoc phoenomenon Moyses sic expressit: *Terra autem erat inanis, et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi; et*

(1) L. 1 de Civ. Dei c. 4.

(2) V. Perrone n. 180.

Spiritus Dei ferebatur super aquas: dixitque Deus: fiat lux, et facta est lux. Sic observatum est discrimen primum inter lucem, et tenebras, atque ideo additur: *Factum est vespere et mane dies unus.*

II. Vapores per ventum in nubes condensati attollebantur, et formabant atmospheram, quae instar fornicis terram nostram ambit, et etiam firmamentum vocatur. Igitur una aquarum parte in superficie terrae remanente, alia in densas nubes elevata fuit, per quas nonnulli lucis radii transmittebantur, non tamen adeo, ut etiam sidera discerni potuerint, tali ferme ratione sicut tunc evenit, cum coelum copiosis nubibus obductum est, quo in casu sidera quidem non conspiciuntur, sed tamen nubes superiores ab aquis inferioribus probe distinguuntur; ideo dicitur: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis; et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quae erant sub firmamento ab his, quae erant super firmamentum, et factum est ita.*

III. Postea Deo iubente in ipsa tellure immutationes tales contigerunt, ut quaedam terrae partes extollerentur, aliae vero deprimerentur, vel etiam magnis hiatibus scinderentur: hinc factum est, ut aquae in inferiora loca decurrerent, et apertos terrae hiatus implerent. Ita enata sunt maria, lacus et flumina, atque recedentibus aquis apparuit terra arida, seu continens. Haec a Moyse ita narrantur: *Deus dixit: Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationes autem aquarum appellavit maria.* His tellus nostra sui quoque ornamenti ac vegetationis capax reddita, benedictione nonnisi divina egebat. Vim proin productivam Deus ipse contulit, dicens: *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in seipsa sit super terram, et factum est ita.*

IV. Ut herbae et plantae in alimentum crescere possint, opus erat calore et solis luce, quae hucusque per densas nebulas haud satis penetrare potuerat. Sed, Deo sapientissime disponente, ventus et lux solis continuo cooperabantur ad nebulas attenuandas et nubes imminuendas, et sic mox post concessam terrae fertilitatem factum est, ut meatus radiis solaribus ad tellurem nostram libere pateret: hoc eveniente non secus apparuit, ac si sol, luna et sidera tunc primum fuissent producta, cum nunc primum evaserint in terra adspectabilia; quapropter etiam nunc tantum in signa temporum constituta dici potuerunt: ideo in sacro textu legitur: *Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento coeli, et dividant diem et noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos.*

V. Sic iam terra comparata et exornata fuit, ut etiam animalia enutrire posset, quae tum ob defectum alimenti, tum ob alias causas penitus extincta fuerant. Deus ergo primo quidem pisces, et dein volucres produxit; ac demum VI animalia terrestria, et in primis hominem, maximum terrae decus, procreavit. Sic ergo Dei omnipotentis beneficio collapsus olim orbis terrarum restauratus est. Admissa hac expositione, omnes difficultates, quae ab incredulis moventur, facillime solvuntur; nam fossilia et corpora, in saxum conversa, quae nunc in diversis globi stratibus reperiuntur, ad anterioris telluris rudera spectant, et omnes sive physicae, sive astronomicae observa-

tiones, quibus chronologia mosaica impugnatur, per anterioris mundi durationem indeterminatam satis explicantur (1).

Observanda circa hanc expositionem.

§ 150. 1. Quia Ecclesia circa modum narrationem mosaicam de creatione exponendi nihil decidit; expositiones eorum, qui vel sub nomine sex dierum longissimas temporis periodos intelligunt, vel inter primam coeli et terrae creationem (2), et posteriorem terrae inanis et vacuae redditae restaurationem (3) maximum, sed indeterminatum temporis spatium interponunt, fidei contrariae dici non possunt. Cl. *Perr.*, qui (4) eas refert, et optime addit: « Hanc vero expositionem, quam non pauci ex recentioribus theologis, atque interpretibus catholicis tuentur, nos neque amplectimur, neque respuimus, hoc unum nobis in praesentia satis est animadvertere, eiusmodi sententiam non esse ab Ecclesia proscriptam, ac non solum salva fide, sed etiam absque temeritatis nota defendi posse, si graves ipsi rationes suffragentur. Quare si *evidentes* observationes nos cogant a communi interpretatione recedere, nullum detrimentum patitur mosaica cosmogonia, quae in hac hypothesi optime cum iisdem cohaerere potest; sin vero eiusmodi observationes non habeantur, perperam adversarii eas mosaicae cosmogoniae opponunt, quae, etiam admissa communiori interpretatione, nulla ratione convellitur. »

2. Difficultates, quibus ab incredulis chronologia mosaica impugnatur, satis solide solvi possunt, quin ad praefatas hypotheses confugiatur. Tales enim illae non sunt, ut evincant, mundo longe maiorem sex mille circiter annis antiquitatem necessario attribuendam esse. Id sane non probat existentia montium; horum enim origo per diluvium explicari potest, praecipue si adoptetur systema, quod proposuit Cel. *De-Luc*, et iuxta quod tempore diluvii talis omnimoda mutatio in tellure contigit, ut ubi antea mare fuerat, nunc terra continens sit et vicissim; unde mirum non est, etiam in montium visceribus talia inveniri, quae caeteroquin solum in mari reperiuntur. Sed neque hoc systemate opus est ad praedicta phoenomena explicanda; nam per vim aquarum tum irrumpentium, tum recedentium profundae valles excavari, et proinde etiam alti montes exsurgere debuerunt, et eadem vis aquarum animalia aliaque obiecta etiam in loca dissita rapere potuit. De caetero dubitare non licet, iam ante diluvium montes extitisse. Deus enim iam ante Adamum omnia genera plantarum et animalium creaverat: constat autem, existere plantas, quae solum in summitate montium crescunt, et dari animalia, quae tantum in altissimis montibus degunt; absque dubio ergo Deus providentissimus tum his, tum illis iam ab initio convenientem locum assignavit, altos quoque montes in terra constituendo. Ideo iam tempore diluvii montes commemorantur; nam dicitur: *Aquae praevaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo coelo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat* (5). Si autem montes excelsi ab ipso Deo creante constituti sunt, patet, quam absone increduli eorundem originem iuxta leges physicas indagare, et ex

(1) Cf. Frint 2.dae P. 2.dum t. § 102. Feier t. 3, § 20. Panciani Comment. in Hist. Creat. edit. Neap. 1851.

(2) Gen. 1, 1. (3) Gen. 1, 2 etc.

(4) Tract. de Deo Creat. cap. 2 eas refert, n. 181. (5) Gen. 7, 19 etc.

hac inquisitione maiorem mundi aetatem inferre nitantur. — Quod corpora in saxum conversa attinet, negari non potest, ad talem conversionem magno temporis spatio opus esse. Quis autem physicorum probare poterit, tria annorum millia ad ipsam non sufficere? - certum est, vires et leges organismi interni naturalis ita nobis perspectas non esse, ut solidum ex iis argumentum peti queat. Plurimum sane a materiae, in qua corpora iacent, qualitate, ex calore et aliis circumstantiis dependet, ut illa aut serius, aut citius in petrae naturam abeant. Idem dicendum est de materia, a montibus ignivomis eiecta, quae si saltem per decursum cum copiosa terra, quam secum abripit, commisceatur, certe pluribus saeculis non indiget, ut iterum foecunda reddatur: sic, teste *Com. de Stolberg*, circa montem Aetnam nonnullae regiones, quae non ab admodum longo tempore devastatae fuerant, iam iterum frugiferae conspiciuntur. - Etiam ex magnitudine concharum margaritiferarum et ex mutationibus situs maris nullum certum argumentum ab adversariis depromi potest, quoniam determinari nequit, quomodo haec omnia iam in creatione, seu formatione terrae a Deo constituta fuerint. Flocci denique est habenda difficultas, ex astronomicis observationibus petita; errant enim increduli, dum *Arati* calculum tanquam infallibilem recipiunt, cum tamen ipse *Hipparchus* perpetuo *Aratum* erroris arguat, sicut etiam *Hipparchi* et *Ptolomaei* observationes erroribus non carent. Etiam incredulorum hypothesin, qua dicunt, eclypticam olim fuisse aut verticalem, aut parallelam aequatori, ac paulatim ad eam inclinationem pervenisse, quam nunc habet, non admittunt recentiores astronomi, qui ostenderunt, motum eclypticae non esse progressivum, sed oscillatorium, et quidem intra angustum unius gradus spatium (1).

3. Ex dictis patet, omni soliditate carere argumenta, quibus increduli probare tentarunt, mundi aetatem longe maiorem esse illa, quae a Moyse ipsi tribuitur. Sublatis autem his argumentis nulla prorsus ratio suppetit, vel sex dies in longissimas periodos commutandi, vel maximum temporis spatium inter primam et secundam creationem, hancque solum de collapsae terrae restauratione exponendi. Haec sane expositio novas difficultates involvit, vix enim intelligi potest, quomodo vehementissimus ventus nubes solum extenuaverit, et in altum sustulerit, quin tamen per tres dies sol aspectabilis redderetur. Et quarta die in nullo sensu luminaria a Deo facta dici possent; nam, neque iuxta communem hominum loquendi modum, sol factus dicitur, si remotis nubibus conspicuus fit. Constat quoque, tum Ss. Patres, tum Theologos et Interpretes antiquiores unanimi consensu narrationem mosaicam non de restauratione, sed de creatione et formatione terrae, quae prius non extiterat, explicasse. Haec explicatio etiam per locum S. Scripturae confirmatur, in quo creatio coeli et terrae immediate coniungitur cum productione herbarum, dicitur enim: *Istae sunt generationes coeli, et terrae, quando creata sunt in die* (i. e. tempore), *quo fecit Dominus Deus coelum, et terram, et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, antequam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram* (2), etc. Ex

(1) Cf. Perrone n. 185, nota 3, Com. de Stolberg Geschichte I B I u 2 Beil.

(2) Gen. 2, 4, etc.

omnibus his liquet, expositionem litteralem narrationis mosaicae de creatione caeteris praeferendam esse.

APPENDIX
De mundi perfectione, et de optimismo.

§ 151. 1. Perfectum esse mundum seu finibus, quos Deus in creatione illi praefixit, aptissimum ipsa S. Scriptura testatur. Moyses historiam creationis describens, rerumque creatarum recensens seriem, saepesaepius istiusmodi formulam repetit: *Vidit Deus quod esset bonum*, quod fecit; et demum sex dierum opere completo, dicitur: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* (1), id est, optima, ac perfecta. - Moysi consentit Ecclesiastes III, 11, dicens: *Deus cuncta fecit bona in tempore suo*, et Ecclesiasticus XXXIX, 21: *Opera Domini universa bona valde.* Paulus ait: *Omnis creatura Dei bona est* (2); idemque Apostolus (3) docet, nos ex mundi consideratione non solum Dei existentiam, sed etiam perfectissima Dei attributa cognoscere posse, et debere. Iob XII, 7 etc., vel ad ipsas belluas, tanquam divinarum perfectionum testes, nos ablegavit. A Ss. Patribus et orthodoxis scriptoribus bonitas mundi non solum asserta, sed et vindicata est. Illi enim Gnosticos, Marcionitas et Manichaeos, qui contrariam opinionem invehere moliti sunt, ex instituto revicerunt, ostenderuntque doctrinam eorum ut omnino falsam, ita et revelatae religioni manifeste adversam esse. Quam in rem luculenta sunt *S. Irenaei* adv. haer., *Tertulliani* c. Marcion., et *S. Augustini* c. Faustum commentaria: luculentum quoque est totius Ecclesiae iudicium, quo haeresis quidem Dualistarum proscripta, veritas autem fidei de bonitate rerum ab uno bono Deo creatarum stabilita est praesertim in concilio generali *Lateranensi IV*.

2. Quaestio tum a Philosophis, tum a Theologis mota est, an iste mundus sit optimus ita, ut melior et perfectior esse non posset?— Ad hanc quaestionem alii affirmative, alii negative responderunt; nonnulli vero neutri parti plane adsentientes aliis principiis innixi quaestionem dirimere tentant. - *a*) Sententiam affirmativam strenue defendit *Leibnitius*, quem secutus est *Wolfius*. Docent isti, sicut humanam, ita et divinam voluntatem semper sequi maiora motiva, atque idcirco Deum ex omnibus possibilibus mundis, quos in sua omniscientia perfecte cognovit, illum elegisse, pro quo stabant maiora motiva, ex quo sequitur, mundum istum a Deo electum et creatum optimum esse. Simili modo eandem sententiam propugnat *Malebranchius*, qui docet, Deum ex infinitis possibilibus mundis, quos in thesauris suae sapientiae deprehendit, eum prae caeteris creandum selegisse, qui simpliciori via condi, conservari et gubernari poterat; idque ex necessitate naturae suae, quae utpote simplicissima, nonnisi sibi similia facere potest. Addunt alii, Deum infinite bonum dici non posse, si meliorem mundum cognovisset et creare potuisset, sed noluisset. — *b*) Optimismum graves Theologi impugnarunt, eumque penitus reiiciendum esse pronuntiarunt, tum quia omnipotentiae divinae limites ponuntur dicendo, Deum meliorem mundum condere haud potuisse; tum quia libertas divina in opere creationis negatur, et voluntas Dei ineluctabili necessitati subiicitur, si asseritur, Deum vel maiora motiva sequi, vel simpliciores vias ingredi ex necessitate naturae suae debere, tum

(1) Gen. 1, 31. (2) 1 Tim. 4, 4. (3) Rom. 1, 16-20.

quia mundus, ut melior esse non possit, sine limite bonus, perfectus, immensus, aeternus et ideo Deus esse deberet, quod si admitteretur, Pantheismus stabilitus foret (1). — *c)* Admitti nullo modo possunt principia, per quae Philosophi nominati sententiam suam de optimismo stabilire conantur; in ipsorum enim systemate Deus confunditur cum homine, a quo penitus differt. Deus enim ens undequaque primum et independens non adinstar hominis ex motivis, aut cum motivis agit (§ 41, nota 2); neque Deus aliquid vult, quia bonum est, sed ideo solum omnia bona fiunt, quia, et quatenus Deus ea vult (§ 50). Absonum est ergo dicere, Deum infinitos possibiles mundos in sua omniscientia conspexisse, et ex bonis optimum elegisse. Recte enim quaeri potest, undenam isti possibiles mundi sint, quos Deus non creavit, et undenam bonitatem suam habeant, si Deus illos non voluit? - Anne aliud principium, ex quo bona derivent, statui potest, quam voluntas divina? — Si autem haec est prima et unica omnis boni extra Deum existentis causa, nihil ergo bonum est, nisi quod Deus vult. Egregie hanc in rem S. *Augustinus* (2) disserit, et inter alia dicit: « Nulla est causa voluntatis divinae; nihil enim ea prius est, aut maius, sed ipsa prima et summa est omnium causa. Compescat ergo se humana temeritas, et id, quod non est, non quaerat, ne id, quod est, non inveniat. » His rite attentis quaestio de optimismo facile solvitur. Mundus, qui existit, bonus et perfectus, utpote a Deo volitus et creatus est: alii mundi a Deo nec voliti, nec creati sunt, et ideo ne boni quidem, et multo minus meliores dici possunt. Generatim enim id, quod est, cum eo, quod non est, in comparationem venire nequit. In hoc sensu ergo mundus, qui est, recte optimus dicitur. Male quoque ratiocinantur, qui dicunt, Deum infinite bonum non esse, si meliorem mundum cognovisset, et creare potuisset, at noluisset. Errant isti in conceptu tum scientiae, tum voluntatis divinae; Deus enim non cognoscit res, quia sunt, sed res sunt, quia eas cognoscit, quia scientia Dei est efficax rerum (§ 29); ergo si Deus meliorem mundum cognovisset, illum effecisset; voluntas vero Dei nulla motiva ante se habet, quapropter nunquam dici potest, Deum hoc vel illud facere debuisse, ut bonus sit, cum omnia solum bona fiant, quia Deus vult. Sufficiat ergo nobis, hunc mundum, cuius membra sumus, grato animo considerare, omnipotentiam, sapientiam et bonitatem Creatoris admirari, et Deum laudare, qui *bene omnia fecit* (3).

CAPUT III.

DE ANGELIS

§ 152. Moyses in sua de creatione historia ea praecipue retulit, quae ad mundum adspectabilem pertinent, ut homines ex iis, quae continuo ob ipsorum oculos versantur, ad agnoscendam atque laudandam Dei omnipotentiam, sapientiam et bonitatem excitentur. Ast tum in scriptis Moysis, tum in aliis S. Scripturae libris satis clare traditur, praeter creaturas visibiles et materiales dari etiam creaturas invisibiles et spirituales, ipsis hominibus praestantiores, quae communiter *Angeli* appellantur. De his iam fusior sermo est instituendus. Disserendum quippe est 1° *de Angelorum existentia; 2° de dotibus eorum naturalibus; 3° et supernaturalibus;*

(1) Cf. Tournely de op. 6 dier. Quaest. 4, art. 2. Klee de creat. § 6.

(2) De Genes. c. Manich. c. 2, et l. quaest. 83, q. 28.

(3) Marc. 7 37.

4° *de eorundem numero, et classibus;* 5° *ac ministerio, seu officiis:* et quoniam multi ex Angelis a dignitate sua delapsi sunt, etiam 6° *de Angelorum malorum, seu daemonum existentia,* 7° et *machinationibus*, seu *de infestatione daemoniaca* agere oportet.

Nota. Angelus graecum vocabulum est, latine idem significans quod nuntius. Ideo non solis spiritibus, de quibus hic agimus, sed et aliis legatis ad aliquid exequendum ab alio missis hoc nomen in S. Scriptura hincinde tribuitur: sic, e. g., Num. XX, 14, adplicatur hominibus: *misit nuntios* (graece *Angelos*) *Moyses:* ibidem v. 16 ipse Moyses *Angelus* nuncupatur. Ios. VI, 17 et Iac. II, 25 exploratores, quos excepit Rahab meretrix, dicuntur in textu graeco *Angeli*. Malach. II, 7 sacerdos, et ibid. III, 1 praecursor Domini *Angelus* vocatur. Apoc. cap. II et III, Praesides ecclesiarum, seu Episcopi *Angeli* nomine honorantur. Ipse Christus Malach. III, 1 *Angelus testamenti* nominatur, quoniam a Patre ad novum foedus instituendum missus erat. — Iuxta eandem vocis etymologiam etiam spiritus illi sublimes, de quibus tractatio suscipitur, *Angeli* appellantur, quia, uti ex dicendis apparebit, a Deo ad varia munera obeunda mitti solent. Ex hoc patet, vocem Angeli, si vocabuli vis spectetur, nomen esse muneris ac officii, non naturae. Ideo *S. Augustinus* (1) ait: « Spiritus autem Angeli sunt, et cum spiritus sunt, non sunt Angeli; cum mittuntur, fiunt Angeli; Angelus enim officii nomen est, non naturae. Quaeris nomen huius naturae, spiritus est; quaeris officium, Angelus est: ex eo, quod est, spiritus est; ex eo, quod agit, Angelus est. » Attamen Angeli vocabulum, licet ex vi suae significationis substantias spirituales intellectu praeditas non significet, usu tamen S. Bibliorum, Ecclesiae et scriptorum ecclesiasticorum ad significandas praedictas substantias accommodatum, iisque velut proprium factum fuit. Notandum porro est, nomen Angeli, quatenus usu Scripturae ac Ecclesiae significat substantias spirituales Deo inferiores, et hominibus praestantiores, duobus iterum modis accipi posse, latius scilicet, et strictius. Latius accipitur Angeli nomen, cum sumitur pro omni, aut qualibet substantia completa spirituali, cuiuscunque demum sit ordinis et hierarchiae, ut: *Adorate eum omnes Angeli eius* (2). Strictius vero sumitur, cum usurpatur pro solis angelicis spiritibus, quos infimus ordo continet. Hoc sensu non raro accipit Angeli nomen *S. Dionysius* (3) et toties Scriptura, quoties Angelos ab Archangelis, aliisque beatorum spirituum ordinibus distinguit. — In tractatu isto nomen Angeli in priori, seu latiori significatione sumitur.

(1) En. in Ps. 103, Serm. 1, n. 15.

(2) Ps. 96, 8.

(3) L. de coel. hier.

ARTICULUS I.

De existentia Angelorum.

§ 153. Angeli recte definiuntur: Spiritus finiti, hominibus praestantiores; in qua definitione exhibetur genus proximum et differentia specifica; nam Angelis tribuitur natura spiritualis, quam communem habent cum Deo et animabus humanis, distinguuntur autem ipsi etiam tum a Deo, quia dicuntur finiti, tum ab hominibus, quibus praedicantur praestantiores. Talium spirituum, seu Angelorum existentiam 1° *ratio probabilem ostendit*, et 2° *Revelatio certam commonstrat*, 3° *eamque a creatione divina repetendam esse* docet.

I. Ratio Angelorum existentiam probabilem ostendit.

§ 154. 1. Praecipua argumenta, ex ratione petita, quibus Theologi Angelorum existentiam saltem ut probabilem ostendunt, sunt sequentia: — *a*) Dantur entia materialia et spiritualia, quorum complexus mundum materialem et mundum spiritualem constituit: ad utrumque pertinet homo, ex corpore et anima constans, ac utriusque nexus merito dicitur. Ast in mundo materiali variae gradationes dantur, et recte dicitur, in illius mirabili productione sapientissimum Creatorem legem continuitatis observasse, seu potius decernendo statuisse; inveniuntur enim creaturae, quibus competit solum esse, ut lapidibus; dantur aliae, quae sunt et vivunt, ut plantae; dantur aliae, quae sunt, vivunt et sentiunt, ut animalia, et denique homines et sunt, et vivunt, et sentiunt, ac simul intelligunt libereque volunt: in qualibet iterum istarum creaturarum, ad mundum materiale pertinentium classe varios perfectionis gradus distinguere licet. Si ergo Deus talem entium, sibi gradatim succedentium ordinem in mundo materiali, seu visibili constituit, recte concludimus, Deum, cuius sapientia una et simplicissima est, etiam in mundo spirituali, seu invisibili similem gradationem constituisse. Sicuti ergo infra hominem, qui ad utrumque mundum pertinet, dantur creaturae mere materiales, ita convenit, ut etiam supra hominem existant creaturae mere spirituales, variis classibus inter se distinctae. His non admissis, frustra homo inter mundum materialem et spiritualem nexus diceretur, nimisque magnum intervallum inter Deum hominemque statueretur. — *b*) *S. Thomas* (1) ita argumentatur: « Necesse est ponere aliquas creaturas incorporeas. Id enim, quod praecipue in rebus creatis intendit Deus, est bonum, quod consistit in assimilatione ad Deum. Perfecta autem assimilatio effectus ad causam attenditur, quando effectus imitatur causam secundum illud, per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum. Deus autem creaturam producit per intellectum et voluntatem, ut supra (2) ostensum est. Unde ad perfectionem Universi requiritur, quod sint aliquae creaturae intellectuales. Intelligere autem non potest esse actus corporis, nec alicuius virtutis corporeae, quia omne corpus determinatur ad hic et nunc. Unde necesse est ponere ad hoc, quod Universum sit perfectum, quod sit aliqua incorporea creatura. » Equidem etiam anima humana intellectu et voluntate gaudet, sed quia haec corpori alligata est, et in cognitionibus a sensibus pendet, non perfecte assimilatur Deo, qui est corporis expers, nec a sensibus pendet: unde assimilatio perfecta cum Deo in solis substantiis mere spiritualibus, et intellectualibus invenitur. Ergo ad ornatum et perfectionem Universi Angeli existere debent. — *c*) Deus omnia ad gloriam suam creavit (§ 141). Ideo hominem condidit ratione praeditum, qui magnifica creationis opera considerans ipsum glorificaret. Homo autem valde limitatam intelligendi facultatem habet, in ipsa terra, quam inhabitat, multa ignorat, et corpora coelestia eorumque nexum perfecte perscrutari nequit. Convenientissimum proinde est, et creationis fini apprime conforme, ut existant spiritus perfectiores et sublimiores, qui cuncta opera divina melius perspicientes debitam Auctori summo gloriam referant. —

(1) I, q. 50, art. 1.

(2) Q. 14, a. 8 et q. 19, a. 4.

d) Apud omnes fere gentes vulgatam fuisse fidem de Angelorum existentia, indubia monumenta testantur. Sic *Chaldaeos* statuisse spiritus a Deo et hominis anima distinctos, testatur *Thomas Stanleius* (1). *Aegyptios* daemones admisisse, qui subinde hominibus adparerent, ostendit *Diodorus Siculus* (2). Eandem fidem plerique Philosophi et Poëtae tenuerunt. *Thales*, ut refert *Athenagoras* (3), trifariam superiores omnes substantias dividit, nempe in « Deum, in daemones, in heroes. » *Orpheus*, teste *Clemente Alexandr.*, cecinit: « Throno tuo ignito adstant laboriosi Angeli, quibus curae est, quemadmodum a mortalibus omnia gerantur. » *Tertullianus* (4) ait: « Dicimus, esse substantias quasdam spiritales; nec nomen novum est. Sciunt daemonas Philosophi, *Socrate* ipso ad daemonii arbitrium expectante..... daemonas sciunt Poëtae... Angelos quoque etiam *Plato* non negavit; utriusque nominis testes esse vel magi possunt.» Etiam *S. Cyprianus* (5) Angelos a magis antiquissimis, imprimis ab *Hostane* memoratos esse affirmat his verbis: « Quorum tamen praecipuus *Hostanes* et formam veri Dei negat conspici posse, et Angelos veros sedi eius dicit assistere. In quo et *Plato* pari ratione consentit, et unum Deum servans, caeteros Angelos, vel daemonas dicit. » Idem fere senserunt *Pythagoraei*, referente *Diogene Laert.* (6), et *Stoici*, teste *Plutarcho* (7). Talis consensus probat, rationem ipsam ad admittendam Angelorum existentiam adstringi.

2. Ratio existentiam Angelorum equidem non solum possibilem, sed etiam probabilem esse ostendit, ast ipsam certo et evidenter probare non valet. Argumenta enim ex analogia petita nonnisi maiorem, vel minorem rei probabilitatem evincunt. Praecipue cum de operibus divinis sermo est, argumenta a priori locum non habent, cum Deus in operibus suis liberrimus sit, et cum omnia, quae efficit, non ex alia ratione sapientissima et optima sint, nisi quia vult et quomodo vult. — Extiterunt etiam, qui argumenta a posteriori, seu ab effectibus deduxerunt, qui sine admissa Angelorum existentia explicari non possunt; sed praeterquamquod de veritate historica talium eventuum persaepe haud certo constet, ratio sufficiens eorundem plerumque vel in ipsa omnipotentia Dei, vel in animabus humanis, a corpore solutis, vel in aliis causis naturalibus inveniri potest. Et si eventus certi dantur, qui neque Deo, neque animabus humanis, neque viribus naturalibus adscribi possunt; isti Angelorum malorum, non autem bonorum existentiam probant. - Consensus gentium magnum profecto est veritatis argumentum. Sed consensus iste de Angelorum existentia non a sola ratione, sed potius a revelatione repetendus est; nam existentia Angelorum iam Patriarchis nota fuit, et fides de illa se ad gentes per traditionem propagavit, quae apud populos, qui cum Hebraeis frequentius commercium habuerant, uti apud Chaldaeos et Aegyptios purior servata est (8).

II. *Revelatio Angelorum existentiam certam commonstrat.*

§ 155. 1. S. Scriptura multas apparitiones Angelorum commemorat, hisque tales actiones adscribit, quae

(1) Hist. phil. orient. l. 13, sect. 2, c. 9.
(2) L. 1, c. 12. (3) Legat. pro Christ. n. 23.
(4) Apolog. c. 22. (5) L. de idol. vanit.
(6) L. 8, sect. 32.
(7) De plac. Philos. l. 1, c. 8.
(8) Cf. Tournely de Ang. quaest. 1. Dobmayr § 116. Klee de creat. c. 2, a. 1, § 1, n. 5.

solum entibus vere existentibus, et quidem personis intellectu et voluntate praeditis competunt. — *a*) In *periodo patriarchali*, Angelus apparuit Agari, a facie Sarai fugienti, *dixitque ei Angelus Domini: revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius* (1). Eandem Agarem in deserto cum puero suo languentem consolatus est *Angelus Dei,... dicens:... Noli timere; exaudivit enim Deus vocem pueri* (2). Cum Abraham immolaturus esset filium suum: *Ecce Angelus Domini de coelo clamavit, dicens: Abraham, Abraham... non extendas manum tuam super puerum* (3). *Venerunt duo Angeli Sodomam* (4), et eripuerunt Loth cum eius familia ab incendio urbis. *Iacob vidit in somnis scalam... Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae* (5). *Fuerunt ei* (Iacob) *obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait: castra Dei sunt haec* (6). *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit Angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terra. Cui Angelus:... ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua* (7). — *b*) In *periodo mosaica* legitur: *Tollens se Angelus Dei, qui praecedebat castra Israël, abiit post eos* (8). De Gedeone narratur: *Apparuit ei Angelus Domini, et ait: Dominus tecum* (9) etc. — Angelus primum matri, et postea patri Samsonis apparuit, futura praedixit, normam vivendi pro filio praescripsit, holocaustum offerre iussit: *Cumque ascenderet flamma altaris in coelum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit... statimque intellexit Manue, Angelum Domini esse*(10). David Angelum vidit tanquam ministrum ultionis divinae (11).—Eliae Prophetae Angelus apparuit, tum (12) ut illum fugientem confortaret, tum (13) ut ipsi mandata divina patefaceret. — Angelus Tobiam comitatus est in itinere, et plurima servitia praestitit, ac tandem seipsum manifestans, ait: *Ego sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum* (14).—*c*) In *periodo christiana*: Angelus apparuit *Zachariae*, praedicens nativitatem Ioannis (15); *Mariae* (16), annuntians Incarnationem Verbi; *Iosepho*(17) summum mysterium revelans, et (18) mandata divina referens. — Angelus nuntiavit pastoribus nativitatem Christi — et: *Subito facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo*(19). Post ieiunium, et tentationem Christi dicitur: *Tunc reliquit eum diabolus, et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei* (20). Angelus (21) piis mulieribus resurrectionem Christi annuntiavit. Angelus (22) Cornelium centurionem admonuit, ut Petrum arcesseret. Angelus (23) Petrum e carcere liberavit. Paulus, ut valida tempestate iactatos consolaretur, dixit: *Astitit mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, et cui deservio, dicens: ne timeas, Paule — ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum* (24).

2. S. Scriptura etiam per alia effata clarissima Angelorum existentiam probat. Frequenter enim Angeli ad laudandum Deum provocantur, ut:

(1) Gen. 16, 7 etc. (2) Gen. 21, 17.
(3) Gen. 22, 11. (4) Gen. 19, 1 etc.
(5) Gen. 28, 12. (6) Gen. 32, 1.
(7) Num. 22, 31 etc.
(8) Ex. 14, 19.—Cf. Ex. 23, 20 etc. 33, 1 etc.
(9) Iudic. 6, 12. (10) Iudic. 13, 20.
(11) 2 Reg. 24, 17 etc. 1 Paral. 21, 16.
(12) 3 Reg. 19, 5. (13) 4 Reg. 1, 3.
(14) Tob. 12, 15. (15) Luc. 1, 11.
(16) Luc. 1, 28. (17) Matth. 1, 20.
(18) Matth. 2, v. 13, et v. 19.
(19) Luc. 2, 13. (20) Matth. 4, 11.
(21) Matth. 28, 5. (22) Act. 10, 3.
(23) Act. 12, 7 etc. (24) Act. 27, 23.

Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius (1). *Adorate eum omnes Angeli eius* (2). *Laudate eum omnes Angeli eius* (3); ex quo patet, non solum Angelos existere, sed etiam ipsos inferiores esse Deo, quem adorare et laudare tenentur. Ast Angelos esse hominibus praestantiores, constat ex eodem Psalmista, qui de homine dicit: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* (4). — Praeterea legitur: *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem* (5). Hic evidenter substantiarum ab hominibus distinctarum, praecellentiorumque existentia intelligitur. Christus de Angelis tam clare locutus est, ut, nisi ipsius eloquia contra omnes regulas hermeneuticas misere contorqueantur, de illorum existentia dubitari non possit. Christus, ut homines a contemnendis et seducendis parvulis deterreat, inquit: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* (6); quae autem esset haec ratio, si Angeli non existerent, aut substantiae rationales non essent? — Christus, confutans Sadducaeos, et statum hominum declarans, ait: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in coelo* (7). Num Christus indicare voluit, homines post resurrectionem suam realem, aut rationalem substantiam amissuros esse? — Christus parabolam publice propositam coram discipulis explicat, dicens: *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero consummatio saeculi est. Messores autem Angeli sunt* (8). Anne solis Angelis in hac explicatione realem existentiam denegare licebit? — Consone cum parabola explicata Christus ait: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius* (9). *Omnis, quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei* (10). Qualem sensum haec verba ex ore aeternae Veritatis prolata haberent, si Angeli ne existerent quidem, aut rationales substantiae non essent? Verba Christi optime intellexerunt Apostoli. Isti autem existentiam Angelorum et crediderunt, et Christianis credendam proposuerunt. Petrus scribit: *Angeli fortitudine, et virtute cum sint maiores, non portant adversum se execrabile iudicium* (11). Paulus inquit: *Testor coram Deo, et Iesu Christo, et electis Angelis, ut haec custodias* (12). Testatur, venturum esse Iesum *de coelo cum Angelis virtutis eius* (13). Et ita disserit de Christo: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?... Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit: et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit* (14): *Qui facit angelos suos Spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in saeculum saeculi* (15).

(1) Ps. 102, 20. (2) Ps. 96, 8.
(3) Ps. 148, 2. (4) Ps. 8, 6.
(5) Iob 4, 17, 18 (6) Matth. 18, 10.
(7) Matth. 22, 30. (8) Matth. 13, 24-30 et 37.
(9) Matth. 16, 27. (10) Luc. 12, 8-9.
(11) 2 Ep. 2, 11. (12) 1 Tim. 5, 21.
(13) 2 Thess. 1, 7. (14) Hebr. 1, 4 etc.
(15) Ps. 103, 4.

Apostolus hic comparationem instituit inter Filium Dei et inter Angelos, ut ostenderet illum naturae multo excellentioris his esse. Quis audebit dicere, Paulum naturam excellentissimam comparare cum non extantibus, ipsumque asserere, Deum intelligentiis mere confictis praecipere, ut adorent Filium suum (1)?

3. Ecclesia, quae sola authentice et infallibiliter S. Scripturam interpretatur, de Angelorum existentia constantem fidem habuit. Hanc antiquissimi Patres contestantur. *S. Clemens Rom.* (2), ut Christianos ad subiectionem erga divinam voluntatem exhortetur, Angelorum exemplum proponit, dicens: « Consideremus exercitum Angelorum, qui Deum circumdant et eius voluntati obtemperant. » *Iustinus M.* (3) scribit: « Colimus exercitum sanctorum Angelorum, qui Deo obediunt, et ipsi similes sunt. » *Tatianus* (4) ait: « Verbum divinum ante creationem hominum Angelos fecit. » *S. Irenaeus* (5) inquit: « Deus homini facultatem eligendi dedit sicut et Angelis (nam Angeli intellectu praediti sunt), ut obedientes iuste bona possideant a Deo concessa. » Existere Angelos, ad publicam pertinere doctrinam, affirmat *Origenes* (6). — *S. Ambrosius* (7) inquit: « Non est solus (homo) rationabilis; scimus enim, rationabilia esse et coelestia opera Dei, Angelos et Archangelos rationabiles confitemur. » *S. Augustinus* (8) ait: « Quamvis non videamus apparitiones Angelorum, tamen Angelos esse, novimus ex fide, et multis apparuisse legimus. » *S. Gregorius M.* (9) dicit: « Angelos et Archangelos omnes fere sacri eloquii paginae loquuntur. » Plura etiam reliquorum Patrum testimonia in decursu huius tractationis afferentur. — Ergo verbo Dei tum scripto, tum tradito innititur decisio *Concilii Lateranensis IV*, quod (10) ita definivit: *Unum est universorum principium Creator omnium, visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et corporalem, deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.* Dubitari ergo non potest, existentiam Angelorum ad dogmata fidei pertinere.

Nota. Quamvis Iudaei ex S. Litteris existentiam Angelorum abunde cognoverint, eandem tamen negarunt, qui sectae Sadducaeorum addicti erant. Legitur enim: *Sadducaei dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum* (11). De eodem errore accusantur etiam *Samaritani*. Inter Christianos nullus ad recentiora usque tempora existentiam Angelorum negasse deprehenditur. Saeculo autem decimosexto inter alia dogmata et istud de existentia Angelorum negasse adcusantur *Anabaptistae* a *Chemnitio*, quod scilicet statuerint, « Non esse peculiares creaturas, quae vocentur Angeli; sed si quando Deus exserat suam potentiam ad nocendum, vel puniendum, hoc vocari malum angelum, et e contra bonum appellari, si quando Deus nos custodiat et conservet. » Novissimis vero temporibus, ut recte observat Cl. *Staudenmayr* (12), numerus eorum, qui Angelos existere negant, maxime auctus est per *materialismum, pan-*

(1) Cf. Klee de exist. Angel. § 1.
(2) Ep. 1, c. 34. (3) Apol. 1, n. 6.
(4) Or. c. Graec., n. 7.
(5) Adv. haer. l. 4, c. 37, n. 1.
(6) Praef. de princ.
(7) L. 5 de fide c. 2, n. 32
(8) S. 1, in Ps. 103. (9) Hom. 34 in Evang
(10) Cap. Firmiter. (11) Act. 23, 8.
(12) § 57, n. 4.

theismum et *rationalismum theologicum*. *Materialistae* enim, qui praeter materiam nullam aliam substantiam agnoscunt, et ipsam animam humanam materialem esse dicunt, naturas spirituales admittere non possunt. Simili modo *Pantheistae*, qui omnia unum esse dicunt, et hoc *Unum-Deum* appellant, qui solummodo in mente humana sui conscius fit, ex hoc ipso principio aliorum spirituum existentiam negare coguntur: ideo iam *Spinoza* Angelos negavit, eorundemque existentiam etiam schola Hegelii admittere recusat. Denique *Rationalistae theologici*, seu *biblici*, qui omnia, quae rationem superant, aut sensus transcendunt ex S. Bibliis expungere tentant, eousque progressi sunt, ut dicerent, Angelorum existentiam ex S. Scriptura neutiquam probari posse. Praecipuas saltem difficultates, quae ab istis proponi solent, hic solvere oportet.

Obi. I. Si Angeli existerent, Moyses initio Genesis non praetermisisset eorum creationem commemorare, cum primum locum obtineant inter opera Dei, quae ex professo et speciatim ibi describit: atqui tamen ne verbum quidem unum de Angelis habetur loco citato: ergo recte infertur, Angelos nullatenus esse speciales quasdam substantias, a reliquis creaturis, quae ibi enumerantur, distinctas.

Resp. Argumentum, quod ab adversariis opponitur, est mere negativum, quod argumenta positiva iam allata infringere non valet. Ipse Moyses tum in Genesi, tum in aliis libris de Angelis loquitur, ipsos ut obsequentes Dei ministros exhibet, iisdemque actiones personales adscribit, et ideo de illorum existentia minime dubitavit. Cur autem de eorum creatione siluerit, nostrum non est inquirere. Sed tamen Ss. Patres varias huius silentii rationes assignarunt. *S. Hieronymus* (1) dicit, Moysen creationem Angelorum non descripsisse, quia id a suo scopo alienum erat, quo generis humani originem et eorum, quae cum hominum statu connexa, et horum aspectui subiecta erant, creationem describendam susceperat. Similem rationem affert *S. Cyrillus Alex.* (2). *S. Chrysostomus* (3) inquit: « Moyses nihil de invisibilibus virtutibus disserit, neque dicit: in principio fecit Deus Angelos, vel Archangelos,... Iudaeis enim loquebatur, qui toti rebus praesentibus inhiabant, neque spirituale quidquam comprehendere valebant. Itaque eos a sensibilibus ad cognoscendum universi opificem inducit. » — Alii cum *Origene* et *S. Augustino* contendunt, Angelos non omnino fuisse praetermissos in mosaica creationis narratione, sed nominibus rerum corporalium, coeli scilicet, aut lucis, fuisse significatos: « Et hoc ideo, ait *S. Thomas* (4), quia Moyses rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam; et si eis (initio Genesis) fuisset expressum, aliquas res esse super omnem naturam corpoream, fuisset eis occasio idololatriae, ad quam proni erant, et a qua Moyses eos praecipue revocare intendebat. » — Nihil ergo ex silentio Moysis contra existentiam Angelorum inferri potest.

Obi. II. Idea Angelorum nonnisi ex ruditate hominum repetenda est, qui insolitos eventus, sive faustos, sive infaustos, quos ex causis naturalibus explicare non potuerunt, sublimioribus spiritibus sive bonis, sive malis adscripserunt. Accedit, quod inculti homines putarent, sicut prin-

(1) Ep. 139. (2) Lib. c. Iulianum.

(3) Hom. 2 in Gen. (4) I, q. 61, a. 1 ad 1.

cipes terrestres ad regendas suas provincias, ita etiam Deum ad gubernandum mundum multis ministris indigere, quos idcirco ipsi affinxerunt, et *Angelos*, seu ipsius nuntios nominarunt.

Resp. Universalis de existentia Angelorum persuasio est factum historicum, cuius causa, seu origo non ex vanis ratiociniis coniicienda, sed ex genuinis monumentis probanda est. Haec autem ostendunt, iam in prima mundi aetate existentiam Angelorum revelatam fuisse, hosque Patriarchis saepe apparuisse. Exinde ergo fides de Angelis existentibus initium sumpsit. Et sane vix intelligi posset, quomodo homines rudes et sensibilibus adsueti absque revelatione spiritus naturae sublimioris, quos sensibus percipere non poterant, in mente sua fingere, iisque effectus sensibiles adscribere potuerint. Constat utique, ipsam idololatriam inde promanasse, quia homines rudes summam quoque divinitatem sensibus subiectam habere voluerunt.— Praeterea absonum est, ideam Angelorum ex sola hominum ruditate repetere, quia ipsa ratio exculta Angelorum existentiam probabilem, et fini totius universi convenientissimam esse agnoscit, quapropter ipsi etiam gentiles Philosophi eam admiserunt. — Nullo denique monumento historico ostendi potest, homines ex analogia petita a principibus terrestribus ad existentiam Angelorum confingendam devenisse. Deum omnipotentem ab hominibus caducis distinguere, ipsa ratio, et multo magis revelatio eos docuit. Si secus opinati fuissent, S. Scriptura errorem improbasset: ast nihil hac de re legitur; sed S. Biblia, quae ubique Dei omnipotentiam collaudant, ipsi etiam Angelos ceu ministros adscribunt, quibus equidem non indiget, sed tamen pro sapientia sua utitur ad consilia sua executioni mandanda, sicuti etiam causis naturalibus utitur ad effectus, quos vult, producendos.

Obi. III. Quae in libris sacris de Angelorum apparitionibus leguntur, intelligi debent vel de attributis divinis operativis, quae iuxta morem Orientalium sub forma personarum exhibentur; vel de hominibus, quos hinc inde Angelos in S. Scriptura nuncupari compertum est; vel etiam de causis naturalibus, quas vulgus ignorabat, et ideo virtuti supernaturali adscribebat: sic e. g. *flamma ignis*(1), ex qua Moyses vocem audivit, Angelus vocatur. Christus et Apostoli de Angelis locuti sunt, non ut eorundem existentiam assererent, sed ut se accommodarent communi Iudaeorum persuasioni, quam praecipue post captivitatem babylonicam monstrarunt, et quam ex commercio cum Gentilibus traxisse videntur.

Resp. Rationalistae Angelos, quos sensibus suis non adtrectant, admittere recusant, et ideo clarissima S. Scripturae testimonia misere contorquent. Quid enim magis insulsum est, quam dicere, per Angelos nonnisi attributa divina designari? — Deus sane ab Angelis optime distinguitur (2): et quomodo de attributis, vel operationibus divinis declarari potest id, quod dicit Iob IV, 18: *In Angelis suis reperit pravitatem?* (3). — Etiam ab hominibus Angeli apertissime distinguuntur (4), neque exempla in S. Libris prostant, quibus probetur, homines ex eo, quod aliis beneficia praestiterint, Angelos vocari. S. Scriptura potius caute distinguit beneficia, quae Angeli, et ea quae

(1) Ex. 3, 2.
(2) Ps. 90, 11. Is. 6, 3 Hebr. 1, et alibi.
(3) Cf. 2 Petr. 2, 4. (4) Ps. 8. 6.

homines contulerunt. Loth (1) a duobus Angelis ab incendio Sodomae ereptus dicitur, sed Abraham, qui (2) eundem Loth e captivitate liberavit, nuspiam Angelus nominatur. Quam arbitrarie ergo procedunt, qui ea, quae ab Angelis facta dicuntur, solum hominibus, aut aliis causis naturalibus adscribenda esse contendunt? — Talia dictitantes tum claris Scripturae verbis, tum constanti traditioni repugnant. Falsum quoque est, quod assumit *Rosenmüller*, flammam nempe ignis vocari Angelum Dei; etenim ibi aperte a flamma ignis distinguitur Dominus, qui Moysi apparuit *in flamma ignis de medio rubi* (3); et: *Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammae rubi* (4). Tolerari autem nullo modo potest id, quod nonnulli asserere non erubuerunt, scilicet Christum et Apostolos Angelorum existentiam affirmare haud voluisse, sed de his loquentes solum opinioni et praeiudicio Iudaeorum se accommodasse. Longe id abhorret a charactere Christi, qui ita falsis opinionibus et praeiudiciis populi se semper opposuit, ut eius infensissimi inimici dixerint: *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum* (5); quis dicet, talem magistrum, qui est *Veritas* ipsa, suis eloquiis vana et mendacia figmenta confirmare voluisse? Accedit, quod Christus non solum coram plebe, sed etiam coram solis discipulis Angelorum existentiam affirmaverit, ut patet ex declaratione parabolae Matth. XIII, v. 37 etc. citata. Eodem modo Apostoli, Spiritu Sancto repleti, non solum coram Iudaeis, sed et in Epistolis ad Christianos directis de Angelis locuti sunt: et quis dicere audebit, illos Ecclesiis a se fundatis vana figmenta proponere voluisse? — Denique Iudaeos iam ante captivitatem babylonicam Angelorum existentiam cognovisse et credidisse, patet ex eorum libris iam ante captivitatem babylonicam exaratis.

(1) Gen. 19. (2) Gen. 14
(3) Ex. 3, 2. (4) Act. 7, 30.
(5) Matth. 22, 16. (6) Dan. 3, 57 etc.

III. *De creatione Angelorum.*

§ 156. Dubitare non licet, Angelos a Deo creatos fuisse: Deus enim omnia creavit (§ 136). Ideo etiam Angeli inter opera divina recensentur: *Benedicite omnia opera Domini Domino... benedicite Angeli Domini Domino* (6). *Laudate eum omnes Angeli eius,... quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt* (7). *Tu (Domine) fecisti coelum, et coelum coelorum, et omnem exercitum eorum... tu vivificas omnia, et exercitus coeli te adorat* (8); quibus verbis Angeli satis clare indigitantur. Clarissime idem docet Paulus, scribens: *In ipso condita sunt universa in coelis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt* (9). Quamvis ergo a Moyse diserte non enarretur Angelorum creatio, haec tamen ex aliis S. Scripturae locis abunde constat. Ideo etiam Ss. Patres et Theologi unanimi consensu docent, Angelos a Deo creatos, seu ex nihilo productos esse. Imo quamvis nonnulli Theologi opinati fuerint, Angelos potuisse a Deo ab aeterno creari, id tamen factum haud esse fatentur, et Angelos in tempore creatos fuisse credunt. Variae tamen sententiae circa *tempus, locum et modum*

(7) Ps. 148, 2-5. (8) 2 Esdr. 9, 6.
(9) Col. 1, 16

creationis Angelorum extiterunt, quas breviter recensere oportet.

1. Circa *tempus* quo Angeli creati fuerunt, triplex sententia viget. Nonnulli putarunt, Angelos multo, aut saltem aliquo tempore ante hunc mundum adspectabilem creatos fuisse. Huius sententiae fuerunt *S. Basilius* (1), *Gregorius Naz.* (2), *S. Chrysostomus* (3), *Io. Damascenus* (4), *S. Ambrosius* (5), *S. Hilarius* (6), et *S. Hieronymus*, qui (7) scribit: « Sex millia nedum nostri orbis implentur anni, et quantas prius aeternitates, quanta tempora, quantas saeculorum origines fuisse arbitrandum est in quibus Angeli, Throni, Dominationes, caeteraeque virtutes servierunt Deo? » Huic sententiae favent verba Dei: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terrae, cum me laudarent simul astra matutina, et iubilarent omnes Filii Dei* (8)? Vel, ut vertunt LXX, *cum me magna voce laudarent omnes Angeli mei?* Oportet ergo, Angelos ante hunc adspectabilem mundum creatos fuisse, quia formationem telluris nostrae spectaverunt, deque ea laeti carmina cecinerunt. Alii tamen Angelos post homines creatos esse opinati sunt, ut progressus ad magis magisque praestantiores creaturas observetur: ita senserunt *Philo Iudaeus*, et *S. Eucherius* (9) — Tertia, et hodie fere communis sententia dicit, Angelos simul cum mundo visibili, et quidem prima die, creatos fuisse, eorumque creationem sub nomine *coeli* a Deo creati (10) comprehendi. Haec sententia probatur ex S. Scriptura: *Sex diebus fecit Dominus coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt* (11). Sed in coelo sunt Angeli, ergo etiam hos non fecit ante commemoratos sex dies. Absonum quoque videtur dicere, Deum Angelos ante coelum creasse, quod ipsis pro habitationis loco destinavit. Neque Deus dici posset *in principio* creasse coelum et terram, si praeexistentibus Angelis etiam tempus iam praeextitisset. Etiam inter Patres non desunt, qui Angelos simul cum mundo conditos esse docent. *S. Epiphanius* (12) ait: « Illud evidenter sermo divinus declarat, neque post sidera productos Angelos, neque ante coelum terramque constitutos. » Idem docet *Theodoretus* (13) et addit: « Iuxta Apostolum omnes Angeli administratorii sunt spiritus: ast quo ministerio fungebantur Angeli, qui creationem praecedebant, cum nullus esset, qui indigeret, ut adiuvaretur eorum opera? » — *Iunilius afric.* (14) ait: « in principio conditionis facta sunt coelum, terra, Angeli, aër et aqua. » Pro eadem sententia citari solent *S. Augustinus* (§ 145), *S. Gregorius M.*, *Cassiodorus*, *Beda* et alii. Maximum huic sententiae pondus addit *Concilium Lateranense IV*, definiens, Deum *simul ab initio temporis* condidisse creaturam angelicam et humanam. Observant tamen Theologi, istam tertiam sententiam non de fide esse definitam, quia mens Concilii non fuit, hanc inter ipsos Patres agitatam quaestionem solvendi, sed solum de fide declarandi, solum Deum aeternum esse et a se; reliqua omnia ex nihilo producta. Hinc *S. Thomas*, post Concilii Lat. decretum, de hac quaestione scribit (15): « Non est probabile, quod Deus creaturam angelicam seorsim ante alias creatu-

(1) Hom. 1 in Hexaem.
(2) Or. 38, et 68. (3) L. 1 ad Stagur.
(4) L. 2, orth. fid. c. 3.
(5) Praef. ad Psalm. (6) Lib. 12.
(7) Ad cap. 1 Ep. ad Tit.

(8) Iob 38, 4-7. (9) In c. 1 Gen.
(10) Gen. 1, 1. (11) Ex. 20, 11.
(12) Haer. 65. (13) Q. 3, in Gen. et q. 4.
(14) De Gen. l. 2, c. 2.
(15) 1, q. 61, art. 3.

ras creaverit, quamvis contrarium non sit reputandum erroneum. » Monet tamen *Sylvius* (1): « Si non est fidei, Angelos non fuisse creatos ante mundum, illi tamen valde esse consentaneum, » et Cl. *Billuart* (2) vix notam temeritatis effugere illum, qui modo propugnare vellet, Angelos ante adspectabilem mundum creatos fuisse.

2. Quod attinet ad *locum*, plerique Theologi cum *S. Thoma* putant, Angelos fuisse creatos in coelo empyreo, quod est Beatorum sedes, conveniens enim erat, ut in loco nobiliori crearetur nobilior creatura, quae sane est angelica, unde *V. Beda* (3) asserit, supremum coelum cum primum creatum fuit, Angelis repletum fuisse. Idem confirmant loca, in quibus Angeli in coelo peccasse et e coelo deiecti fuisse dicuntur; uti: *Factum est praelium magnum in coelo* (4). *Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer, qui mane oriebaris* (5)? *Videbam Satanam sicut fulgur de coelo cadentem* (6). Loca haec equidem varie a variis exponuntur, et nomen coeli in multiplici sensu sumitur, sed Ss. Patres magno consensu coryphaeo Angelorum malorum adplicant, et hos non ab aëre superiori, sed e loco beatitudinis, et gloriae deiectos esse dicunt, unde probabilius in hoc iam creati fuerunt. (7).

3. Quod spectat ad *modum*, Angeli omnes simul a Deo ex nihilo creati fuerunt. Merito igitur damnati sunt, qui Angelos dicebant ex substantia Dei genitos, seducti falso illo principio: Deum esse animam mundi, cuius particulae sunt animae hominum, et reliqui spiritus. Contra istum errorem dicit Concilium Braccarense I (8): *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichaeus, et Priscillianus docuerunt, anathema sit.* - Quaesitum est, an Deus prius substantiam spiritualem creaverit, et ex hac dein Angelos formaverit? - Nonnulli affirmative responderunt, sed cum natura spiritualis simplex sit, vix intelligi potest, quomodo creatio substantiae a formatione eiusdem distinguatur. Posita hac distinctione, ait Cl. *Klee* (9), spiritus naturae (materiali) perfecte aequiparatur, et ab hac solum per varium gradum distinguitur, ita ut possibile foret, ex animabus brutorum animas humanas fieri. *S. Augustinus* (10) hanc quaestionem ventilat circa animam humanam, et innuere videtur, animam irrationalem, (i. e. rationis usu adhuc destitutam ut est in infantibus) dici posse materiam animae rationalis; prorsus autem negat, corpus dici posse materiam animae - «Quod ait (11) neminem unquam scio ausum esse sentire nisi qui et ipsam animam nonnisi in genere alicuius corporis ponit. » Recte ergo dicitur, Angelos non ex aliqua substantia formatos, sed ita ex nihilo creatos esse, ut statim substantiae rationales et personales essent, prout et animae protoparentum nostrorum creatae sunt.

ARTICULUS II.
De dotibus Angelorum naturalibus.

§ 157. Cum Propheta regius Deum laudans ob beneficia homini concessa exclamet: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* (12); recte ex his verbis infertur, Angelos excellentioribus dotibus quam homines in creatione insignitos fuisse. Praerogativae istae, quae statum Angelorum naturalem concernunt, consistunt 1° *in natura*

(1) 1 p. q. 61. art. 3.
(2) Diss. 1. art. 2.
(3) In Gen. 1.
(4) Apoc. 12. 7.
(5) Is. 14, 12
(6) Luc 10, 18.
(7) Cf. Tournely l. c. art. 2, Billuart l. c
(8) Can. 5.
(9) § 2.
(10) De Gen. ad litt. l. 7. c. 6 etc.
(11) C. 9
(12) Ps 8, 6.

spirituali, ab omni coniunctione cum materia remota, 2° *in perspicaciori intellectu*, 3° *in perfectiori voluntate*, 4° *in validiori agendi potentia*, et 5° *in immortalitate*. Has Angelorum dotes naturales iam propius considerare decet.

I. *De natura Angelorum mere spirituali, seu incorporea.*

§ 158. Sicut certum est, Angelos existere, ita pariter certum est, ipsos gaudere natura spirituali, intellectu et voluntate praedita: id S. Scriptura aperte docet, et id semper, ubique, et ab omnibus creditum est, quicunque Angelorum existentiam admiserunt. Neque enim Angeli hominibus praestantiores essent, si carerent natura spirituali, seu rationali, per quam homines caeteras creaturas visibiles antecellunt. Quamvis autem certum sit, Angelis naturam spiritualem denegari non posse, haud tamen eadem certitudine constat, ipsos ab omni materia remotos et penitus incorporeos esse. Extiterunt enim inter Patres graecos et latinos non pauci, qui dixerunt, Angelos corpora sibi naturaliter unita habere, non quidem crassiora ac palpabilia, sicuti sunt nostra, sed valde subtilia, levia, aërea, vel ignea. Sed, post *Concilium Lateranense IV*, plerique Theologi catholici contrariam amplexi sunt sententiam, docentes, Angelorum naturam mere spiritualem et penitus incorpoream esse. Hanc veram esse sententiam, solidis argumentis probatur.

1. *Ex S. Scriptura*, in qua Angeli constanter *spiritus* appellantur. Sic Ps. CIII, 4; *Qui facis Angelos tuos spiritus*, hoc est, qui eos, quorum natura et substantia spiritualis est, ministros tuos et nuntios instituis, et mandatorum tuorum executores, ut explicant *S. Gregorius Naz.* (1) et *Io. Damascenus* (2), idemque locus Angelis applicatur Hebr. I, 7. Ibidem v. 14. Apostolus de Angelis inquit: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus?* — Ioannes ait: *Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt* (3). Et sicut Angeli boni, ita et mali, quorum natura, seu substantia per peccatum mutata non fuit, persaepe spiritus vocantur, ut: *Eiiciebat spiritus* (4). *Spiritus vobis subiiciuntur* (5); *immundus spiritus* (6) *assumit septem alios spiritus secum, nequiores se* (7) etc. Atqui vox *spiritus* non aliud proprie nisi substantiam simplicem et incorpoream significat, cum Deo (8), et animae humanae tribuatur (9). — Ergo pari modo Angeli, qui inter Deum et animam humanam medium locum obtinent, idcirco dicuntur spiritus, quia sunt omnino incorporei et pure spirituales; et certe nulla sufficiens ratio assignari potest, cur haec vox ad alienam significationem detorqueatur, cum de Angelis adhibetur. Accedit, quod de his nomen spiritus in oppositione ad materiam usurpetur, cum Paulus dicit: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et potestates... contra spiritualia nequitiae* (10) etc.; ergo iuxta regulas hermeneuticas, nomen spiritus hic in sensu proprio est accipiendum. — Idem confirmatur ex eo, quod (11) Angeli substantiis *invisibilibus* accenseantur. Neque opponi potest, hisce in locis solum carnem et sanguinem, seu corpus humanum, non vero corpus aliud subtilius Angelis denegari; nam S. Scriptura istis

(1) Or 34. (2) L. 2 de orth. fide c. 3.
(3) Apoc. 1, 4. (4) Matth. 8, 16
(5) Luc. 10, 20. (6) Luc. 11, 24.
(7) Ibid. v. 26. (8) Io. 4, 24.
(9) 1 Cor. 2, 11. (10) Eph. 6, 12.
(11) Coloss 1, 16.

loquendi modis utitur, ut Angelos a rebus materialibus et visibilibus penitus distinguat, eosque puros spiritus esse commonstret, et si carnem et sanguinem ipsis denegat, nullibi aliud corpus ipsis attribuit. Et quo iure aliud corpus subtilius ipsis affingi potest, de quo nec verbum quidem in S. Scriptura occurrit? — Egregie hanc in rem Cl. *Perrone* disserit: « Sane insolens omnino esset (1), si Angeli corpore et spiritu constarent sicut homines, quod ratio nuuquam haberetur corporis et spiritus ipsorum in Scripturis, quae ubilibet mentionem faciunt corporis et spiritus hominum; aut saltem quod homines non aliquando spiritus in eisdem appellarentur, quemadmodum passim Angeli appellantur spiritus. Nempe homines, etiamsi e praecipua sua parte spiritus sunt, quia tamen simul corporei sunt, nunquam absolute *spiritus* dicuntur; contra vero Angeli, quia corporei non sunt, saepe *spiritus*, nunquam vero absolute dicuntur *corpus*, aut *corporei*. »

2. *Ex Ss. Patribus*, quorum maior pars Angelos mere spirituales et incorporeos esse tradit. *S. Ignatius M.* (2) Christum post resurrectionem ita ad discipulos loquentem inducit: « Apprehendite, et palpate me, et videte quod non sum daemonium incorporale » (3). Idem (4) distinguit in coelestibus, « visibilia et invisibilia, » per haec autem intelligit « Angelorum coetus congregationesque Principatuum. » *Gregorius Thaumat.* sive vetus auctor Hom. in Theophania (5) nominat Angelos, incorporeas virtutes. « *Dionysius*, ut ait *Petavius* (6) in libro de coelesti Hierarchia passim Angelos corporis expertes, et puras simplicesque mentes esse demonstrat, cui *Maximus*, aliique graeci enarratores subscribunt. » *Eusebius Caesar.* (7) asserit, « Deum produxisse incorporeas quasdam atque intellectuales divinas potestates, Angelos atque Archangelos materiae expertes, et ex omni parte puros spiritus » (8). — *S. Basilius* (9) ait, « Angelum esse substantiam incorpoream; » et in Homilia: quod Deus non est auctor malorum, de diabolo sic loquitur: « Natura ipsius incorporea est secundum Apostolum dicentem: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiae.* » *S. Gregorius Naz.* (10) de Angelis inquit: « Porro spiritus vocantur et ignis, illud tanquam intelligibilis natura, hoc tanquam purgandi vim habens. » Is insuper Angelos dicit « incorporeos » (11), « simplicesque et intelligentes » (12) *Gregorius Nyss.* (13) Angelos « incorpoream naturam » nominat, et de hac (14) dicit: « mundo illa superior et expers materiae natura, quae ab omni septo corporeo libera est et soluta. » Idem (15) ait: « Omnis natura rationalis dividitur in corpoream et incorpoream naturam: incorporea porro est angelica natura, altera nos sumus. » *S. Chrysostomus* (16) ex invidia diaboli (17) ostendit Angelum ante homines peccasse: nam, ait: « quomodo rationi consonum est, angelum incorporeum, et in tali dignitate constitutum, homini invidere corpore circumamicto? » Idem (18) scribit: « fecit Angelos et

(1) Ait l. c. n. 21. (2) Ep. ad Smyrn. n. 3.
(3) Cf. Luc. 24, 39. (4) Ep. ad Trallian. n. 5.
(5) Bibl. PP. t. 4, col. 886.
(6) De Angel. lib. 1, c. 3.
(7) L. 4 demonstr. evang. c. 10.
(8) Cf. lib. 1, c. 1. (9) L. de Spir. S. c. 1.
(10) Orat. 34 (11) In Orat. 38 et 42.
(12) In carm. de Virgin.
(13) L. 12, c. Eunom. (14) Catech. c. 6.
(15) Or. 4 in orat. Domin.
(16) Hom. 22 in Gen. (17) Sap. 2, 24.
(18) Ad Stagyrium l. 1.

Archangelos, ac reliquas incorporeorum substantias. » *S. Ephraem* (1) « Angelos incorporeos et invisibiles esse » docet. *Theodoretus* (2), probans imaginem Dei non in mera invisibilitate consistere, dicit: « Alioquin potius imagines Dei vocarentur Angeli et Archangeli, et omnes incorporeae sanctaeque naturae, utpote corporibus vacuae et sine mixtione minime adspectabiles. » *S. Cyrillus Alex.* (3) ostendit, quod absurdum sit « Angelos, qui incorpoream naturam sortiti sunt, crassiore cibo putare opus habere: » quapropter spiritali et intelligibili cibo uti illos asserit. *Didymus* (4) corporis expertes sine dubio Angelos facit, dum de ipsis dicit: « Spiritales substantias non circumscribi loco et finibus, tamen proprietate substantiae finiri. » *S. Epiphanius* (5) daemonem declarat « spiritum corporis expertem. » *S. Io. Damascenus* (6) Angelum definit « substantiam intelligentem, materiae atque corporis expertem. » — Inter Patres Latinos, *S. Hilarius* (7) inter invisibilia reponit Angelos, scribens de Dei Filio: « qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, quia in ipso constituta sunt omnia in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. » Iam vero certum est, in mente S. Hilarii, id omne esse incorporeum, quod est invisibile; ibi enim probat, Verbum esse invisibile et per consequens incorporeum. *Marius Victorinus* (8) Angelos vocat « incorporeos et materiae expertes, » *Lactantius* (9) « incorporales, » *Leo M.* (10) scribit, « veram fidem, quae est catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporearum bonam confiteri substantiam. » *Iunilius Africanus* (11) Angelos « incorporeos » esse affirmat. *S. Fulgentius* (12) ait: « Illos quoque, quos terrenorum corporum gravat nulla lutulenta materies, id est, angelicos spiritus quis non videat, non unius naturae esse cum Deo, sed factos ex nihilo? » — *S. Gregorius M.* (13) interrogat: « Quis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit? » Et (14) Angelos ac daemones appellat « spiritualem naturam, quae ex mente et corpore composita dupliciter non est: » et (15): « Angelus namque solummodo spiritus; homo vero et spiritus est et caro. » — *S. Augustinus* equidem pluribus in locis Angelis corpus quoddam attribuit: verum sententiam hanc non ut certam tenuit, sed potius ut dubiam proposuit; ait enim (16): « Si quisquam nulla habere corpora daemones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiose certandum. » Multi etiam asserunt, S. Doctorem suam de corporeitate Angelorum sententiam retractasse (17) his verbis: « Angelorum sanctorum nomine omnem sanctam creaturam spiritalem in Dei secreto atque occulto ministerio constitutam nunc appellaverim, sed spiritus angelicos sancta Scriptura nomine animarum significare non solet. » Negat S. Doctor Angelos habere animam, atque hoc nomen eis convenire, quo secundum S. Scripturam humanamque rationem intelligitur spiritalis quaedam forma materiam vivificans corporalem, et ideo retractat, quod alibi vocabulum istud Angelis attribuerit: ergo dum

(1) De Nat. Dei. (2) Quaest. 20 in Gen.
(3) Lib. 4 in Io. (4) L. 1 de Spir. S.
(5) Haer. 26, n. 13. (6) L. 2 de fid. c. 3.
(7) L. 8 de Trin. (8) L. 4 adv. Arium.
(9) L. 7 inst. c. 21. (10) Ep. ad Turib. c. 7.
(11) L. 2, c. 2. (12) L. de Fide c. 3.
(13) Dial. l. 4, c. 29. (14) L. 2 Mor. c. 5.
(15) L. 4 Mor. c. 9.
(16) L. 21 de Civ. Dei c. 10.
(17) L. 1 Retract. c. 11.

haec scripsit, Angelos spiritus esse credidit, sed corpore, quod vivificarent, penitus destitutos (Cf. *Herminier*, *Berti*, (1).

3. *Ex Conciliis* quoque sententia confirmatur, quae Angelos omnino incorporeos dicit. Patres Concilii *Nicaeni II*, in professione fidei ita loquuntur: *Veneramur imagines Sanctorum, et incorporeorum Angelorum, qui tamquam homines figura humana hominibus apparuerunt.* Concilium *Lateranense IV* (2) definivit adversus Manichaeos: *Unum esse universorum principium, creatorem omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque condidit creaturam, spiritualem et corporalem, Angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex corpore et spiritu constitutam.* Ergo ex hoc concilio angelica natura spiritualis est et omnis corporis expers; alioquin humana natura media non esset inter angelicam et mundanam substantiam. Nonnulli putarunt, per hoc Concilii oecumenici decretum ita definitum esse, Angelos corpora non habere, ut contraria sententia salva fide defendi non possit. Sed falluntur, qui ita sentiunt; nam omnes fere scholastici, qui scripserunt post tempora Concilii citati, quamvis doceant, Angelos pure immateriales et incorporeos, negant tamen id ab Ecclesia fuisse definitum, ut *S. Thomas* (3), *Salmanticenses*, *Estius*, *Sylvius*, *Petavius*, *Tournely*, *Perrone* etc. Imo *Caietanus*, *Bannez* et alii daemonibus adscripserunt corpus aëreum, quin ipsorum adserta ut fidei contraria damnarentur. Angelos ergo esse incorporeos ad fidei dogmata referri nequit; nam, ait *Sylvius* (4): « Quod Angeli sint spirituales et incorporei, non fuit ibi ex professo assertum a Patribus tanquam hoc definientibus, sed potius tanquam hoc supponentibus et quasi aliud agendo. Eorum siquidem intentio erat dumtaxat (contra Albigenses, seu novos Manichaeos) definire, quod Deus sit auctor et creator omnium rerum, tam earum, quae dicuntur corporales, quam illarum, quae dicuntur spirituales. » Monet tamen idem auctor (5): « Negari non potest, quin post istam Concilii sententiam et post scholasticorum unanimem consensum valde nunc foret temerarium asserere, quod Angeli sint corporei, vel quod habeant corpora sibi naturaliter unita. » Hoc idem notant *Estius*, *Tournely*, *Gazzaniga*, *Berti* et alii.

4. *Ex rationibus theologicis* quoque Theologi probare solent, Angelos incorporeos esse. Nam: *a*) Angeli naturae sunt praestantioris, quam animae humanae, sive adhuc coniunctae corporibus, sive ab iis iam separatae: id docet S. Scriptura (6); et *S. Augustinus* (7) ait: « Angelica natura omnia caetera, quae Deus condidit, naturae dignitate praecedit. » Atqui animae humanae corporibus solutae sunt pure spirituales et incorporeae; ne ergo admittendum sit ipsas tunc in existendi modo Angelos antecellere, dicendum est, etiam Angelos pure spirituales esse et omnino incorporeos. — *b*) Postulat universi perfectio, ut quaedam substantia creata sit pure spiritualis; sunt enim in mundo creaturae quaedam pure materiales et corporeae, ut arbores et lapides; sunt aliae quaedam partim corporeae, partim spirituales, ut homines; ergo oportet, ut adsint etiam

(1) Lib. 10, c. 2. (2) Cap. Firmiter.
(3) De malo q. de daemon. art. 1.

(4) 1. p. q. 51, art. 1. (5) L. c.
(6) Ps. 8, 6. (7) L. 11 de Civ. Dei c. 5.

creaturae omnino spirituales: sed tales non existerent, si Angeli quoque materiae, seu corpori uniti essent. — *c*) Si Angeli essent corpore circumscripti, plurima miracula essent in eorum gratiam statuenda, ut explicetur, quomodo celerrimo motu e coelo descendant, et in coelum redeant, quomodo corporibus suis citissime aëris secent partes, et quidem absque ullo strepitu ac sonitu, quomodo penetrent corpora et immediate agant in animas hominum etc. Accedit, quod similia miracula etiam de daemonibus essent praedicanda. Nam quantumvis angelica corpora fingantur tenuissima ac minima, vix perceptibile est, quomodo integra legio daemoniorum esse potuerit in uno corpore obsessi (1) cum legio ad 6000 hominum computata fuerit. — *d*) Credimus, Angelum Custodem nobis ubique praesentem esse, sed sensibus nostris eum minime percipimus, cum tamen etiam materiae tenuissimae, ut lux, aër, calor electricitas etc. sensibus percipiantur: recte ergo dicimus, Angelum nobis praesentem incorporeum esse.

Nota. Non defuerunt etiam recentioribus temporibus, qui Angelis corpora quaedam attribuerent subtilia. Inter hos recensendi sunt nonnulli Philosophi, ut *Leibnitius* et *Wolfius*, quibus non pauci ex Acatholicis, praesertim ex *Calvinianis* et *Arminianis* assenserunt. Isti quoque sententiam suam ex S. Scriptura, ex Patribus et Conciliis, necnon aliis rationibus defendere conantur: sed perperam, uti ex solutione obiectionum patebit.

Obi. I. Illi sunt vere corporei, qui sensibus humanis sunt perceptibiles: atqui Angeli humanis sensibus percipi possunt; nam, teste S. Scriptura, visi sunt a Patriarchis, Prophetis aliisque viris sanctis, cum iis conversati sunt, et veras actiones externas exercuerunt: ergo sine corpore esse non possunt. Praeterea legitur: *Videntes Filii Dei* (iuxta LXX *Angeli Dei*) *filias hominum, quod essent pulcrae, acceperunt sibi uxores* (2), et ex his *gigantes* progenuerunt: id vero sine corpore fieri non potuit.

Resp. Argumentum istud nimium probat: ex hoc enim sequeretur, quod ipsi adversarii non admittunt, angelos habere corpus humanum, sub cuius forma visi sunt ab Abrahamo, a Sodomitis, a Tobia et aliis. Non potest ergo ex his apparitionibus inferri, quod tales sint ex natura sua, quales hincinde visi fuerunt. Ipsa S. Scriptura testatur, Angelos sub variis formis apparuisse; sic Moysi *apparuit... Angelus in igne flammae rubi* (3); Isaias (4) Angelos vidit sex alas habentes; Ezechieli Angelus apparuit tanquam *vir cuius erat species quasi species aëris* (5); de Angelo qui post resurrectionem Christi piis mulieribus apparuit, legitur: *Erat aspectus eius sicut fulgur, et vestimentum eius sicut nix* (6). Diversitas haec formae, sub qua Angeli se conspicuos reddiderunt, ostendit, ex apparitionibus naturalem eorum statum dignosci haud posse, sed illos, ut Deo volente se visibiles reddant, varias corporum formas assumere, uti inferius declarabitur, cum de potestate eorum agendi sermo erit. In loco Gen. VI, 2 per filios Dei non Angeli, sed posteri Sethi intelligendi sunt, uti fusius probabitur in tractatu de peccato Angelorum malorum.

Obi. II. Antiquissimi et doctissimi Patres Angelos corporeos dixerunt, ut *Iustinus M.*, *Clemens Alex.*, *Tertullianus*, *Cyrillus Hier.*, *Irenaeus*,

(1) Luc. 8, 30. (2) Gen. 6, 2. (3) Act. 7, 30. (4) 6, 2. (5) 40, 3. (6) Matth. 28, 3.

Ambrosius et alii, quos citat *Petavius* (1). *S. Augustinum* idem docuisse, ex variis sententiis patet, quae in eius operibus leguntur. Non licet ergo a doctrina recedere tantorum Patrum auctoritate confirmata.

Resp. Patribus hic citatis opponimus alios in secunda probatione adductos, nec numero, nec auctoritate inferiores, qui Angelos incorporeos esse docent. Neque putandum est, omnes Patres, qui obiici solent, vere docuisse, Angelos naturaliter ex spiritu et corpore constare. Nam multi ex istis Patribus loquuntur de corporibus non propriis, sed adsumptis et adscititiis, quae interdum induerunt Angeli, cum hominibus adparuerunt. Praeterea nonnulli Patres Angelos corporeos dixerunt, non quod eos materiali corpore praeditos arbitrarentur, sed quod hypostases veras germanasque esse propugnarent; *corpus* quippe veteribus Patribus idem erat ac *substantia*, quo in sensu *Tertullianus* Deum ipsum corporeum dixerat, ut notat *S. Augustinus*. Alii Angelos corporeos dixerunt, non absolute, sed comparate ad Deum, qui solus ita incorporeus est, ut sit infinitus, incircumscriptus et omnis compositionis expers: hoc in sensu interdum locuti sunt *S. Basilius*, *S. Gregor. Naz.*, *Cassianus*, *Gregorius M.* etc. — Et si nonnulli Patres Angelis vera corpora tribuerunt, hanc suam sententiam neque ex Scriptura, neque ex traditione confirmarunt, ut fatetur ipse *Origenes* (2), qui cum dixisset, non videri absurdum, de Angelis dicere, illos animas habere corpori unitas, mox subdit: « Tametsi id ex nullius auctoritate Scripturae constet. » Recte ergo istorum paucorum Patrum sententia deseritur, cum ipsis plurium auctoritas, ac praesertim Ecclesiae sensus obstet, ut patet ex adducto decreto Concilii Lateran. IV.

Obi. III. In Concilio Niceano II lectus est dialogus Ioannis Episcopi Thessalonicensis cum Gentili disputantis, quo in dialogo inter alia sic loquitur: « De Angelis et Archangelis catholica Ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes et invisibiles, ut vos Gentiles dicitis, verum tenui corpore praeditos et aëreo, sive igneo... et in proprio corpore aliquando visos esse: » subdit ea in sententia fuisse *Basilium*, *Athanasium*, *Methodium*: unde postea concludit: « Angelos merito pingi posse. » Quibus lectis *Tarasius* Patriarcha CPtanus et Concilii Praeses sic locutus est: « Ostendit Pater (Ioannes) etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt et hominum specie multis apparuerunt. Responditque statim universa Synodus: Etiam Domine! » qua acclamatione doctrinam Ioannis de Angelorum corporeitate approbavit.

Resp. Concilium non approbavit sententiam Ioannis, qua Angelos corporeos asseruit, sed solum conclusionem, qua intulit, Angelos merito pingi posse. Id patet ex scopo Concilii, quod convenerat ad usum sacrarum imaginum contra Iconomachos vindicandum: est autem consuetudo conciliorum, ea tantum, quae ad materiam spectant, de qua controversia agitur, de fide definiendi, non autem ea, quae incidenter dicuntur et materiam controversam directe non afficiunt. — Praeterea Concilium id tantum adprobavit, quod ex dialogo Ioannis excerpsit et proposuit *Tarasius*: hic vero prudenter praetermisso errore de Angelorum corporeitate (de qua tunc

(1) L. 1 de Angel. c. 2.

(2) L. 2 de princ. c. 8.

non erat quaestio), proposuit tantum Angelos posse depingi iuxta sententiam Ioannis, eo quod in specie humana apparuerunt: «Ostendit, inquit, Pater etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt et hominum specie multis apparuerunt. » Quibus auditis statim subiecit Synodus: « Etiam Domine. » Approbatio ergo Concilii cadit tantum in istud, nempe Angelos posse depingi, quia sunt circumscripti, id est, definiti certo loco, et humana forma apparuerunt; neutiquam vero spectat alteram rationem, a Ioanne prolatam (quam consulto praetermisit *Tarasius*) nempe « quia corporei sunt et quia in propriis corporibus apparuerunt. » - Denique Concilium (1) refert et approbat sententiam *S. Athanasii* asserentis, Angelos esse incorporeos, et in professione fidei dicit: *Veneramur imagines Sanctorum et incorporeorum Angelorum* etc. quibus verbis satis clare sententiam Ioannis reiicit. - Ex his etiam patet, quod adversarii ecclesiasticae infallibilitatis perperam clamitent, circa Angelorum naturam Concilia Nicaenum II et Lateranense IV sibi invicem contradixisse, et unum vel alterum Concilium oecumenicum necessario aberrasse. Ex dictis enim patet, haec duo Concilia etiam in hoc puncto consensisse, quamvis in neutro incorporeitas Angelorum de fide fuerit declarata.

Obi. IV. Angeli, praesertim mali, cum quibusdam rebus corporeis quandam sympathiam, vel antipathiam habent. Sic (2) refertur, ad pulsum citharae Davidis daemonem a Saule recessisse. Sic etiam (3) legitur, fumo iecuris piscis cuiusdam fugatum fuisse daemonem eiusque maleficium depulsum. Eandem daemones exagitandi et expellendi vim quibusdam rebus corporeis inesse, liquet ex variis ritibus in exorcismis observari solitis; ergo Angeli non sunt pure immateriales et incorporei, sed adinstar hominum sensibus praediti. Adde, quod *S. Augustinus* (4) dicat, daemones delectari rebus quibusdam sensibilibus, v. g. odoribus, nidore, fumo etc., at haec delectatio sensitiva non potest esse nisi alicuius sentientis, et proinde corporei.

Resp. Effectus primo loco adducti non oriuntur ex vi nativa et oppositione inter res ipsas et daemones; sed ex eo, quod Deus interdum rebus naturalibus et corporeis ad daemones expellendos velut instrumentis ad hoc adsumptis, utatur, sicuti etiam in sacramentis signis externis utitur ad gratiam suam conferendam. Vel etiam dici potest certis quibusdam rebus sensibilibus et corporeis daemones abigi, quatenus res illae contrariae sunt aliis rebus corporeis, quibus veluti signis rerum spiritualium ipsos allici, ex *D. Augustino* docet *S. Thomas* (5) his verbis: « Dicendum, quod sicut *Augustinus* (6) docet, daemones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, in quantum nempe haec eis exhibentur in signum divini honoris, cuius ipsis sunt cupidi. » Ac per hoc patet responsio ad id, quod subiungitur ex *S. Augustino:* scilicet daemones nidore, fumo et similibus non delectantur proprie quasi ex illis voluptatem corporalem percipiant; sed dicuntur iis delectari quatenus eis placent oblationes et sacrificia ab homi-

(1) Act. 4. (2) I Reg. 16, 23.
(3) Tob. 6, 8, et 8, 2.
(4) De Civ. Dei, l. 21, c. 6.

(5) 1, q. 115, art. 5, ad 3.
(6) L. 21, de Civ. Dei.

nibus perditis, exhibita, quos, ut ait S. Doctor (1), astutissima calliditate seducunt, ut in ipsorum cultum superstitiosis signis utantur.

II. *De intellectu Angelorum.*

§ 159. Natura spiritualis non in sola simplicitate consistit, sed etiam facultatem cognoscendi, et appetendi importat. Spiritum enim nominantes indicare solemus ens intelligens, volens et moraliter agens, atque compositionis expers. Quamobrem, cum Angeli in S. Scriptura passim *spiritus* nuncupentur (§ praec. n. 1), dubitari nequit, ipsos intellectu et voluntate praeditos esse. Hoc idem etiam actiones rationales et personales probant, quae in S. Bibliis frequentissime Angelis adscribuntur (§ 155, n. 1). In specie vero Angelos intellectu praeditos esse, patet ex verbis Christi: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris* (2): sicuti autem Deus Pater faciem corporalem non habet, ita etiam visio, quae hic innuitur, non fit per oculos corporeos, sed per intellectum seu per oculos mentis. Etiam Angelos malos intellectu gaudere, testatur S. Iacobus, dicens: *Daemones credunt et contremiscunt* (3): sine intellectu autem fides concipi nequit. Ideo S. Gregorius Naz. (4) Angelos « mundum intelligibilem » vocat, *S. Ambrosius* (5) eos per excellentiam « rationales » nominat, *S. Augustinus* multa de eorum cognitione disserit (§ 145), *S. Io. Damascenus* (6) eos definit: « substantias intelligentes liberas, incorporeas, immortalitate donatas. » — Consentiunt etiam Patres et Theologi in eo, quod Angeli perspicaciori intellectu quam homines praediti sint. Neque enim aliter intelligi posset, quod de homine dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* (7). Et sane, substantia simplex sine dubio maiorem habet scientiam et cognitionem, quam spiritus, ut nostri sunt, corpore impediti. Ideo intellectus perspicacissimus comparatur cum perspicacia Angeli; ad Davidem dicitur: *Tu... Rex sapiens es sicut habet sapientia Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram* (8). His accedit, quod S. Biblia (9) ac Ss. Patres de astutia Angelorum maiorum nobis tradunt. Certum itaque est, intellectum angelicum iam naturaliter humano perspicaciorem esse. — Quamvis autem Angeli per intellectus perspicaciam homines antecellant, infinite tamen ab intellectu divino distant nec ullo modo omniscii dici possunt. - Investigandum proinde est, quid Angeli per vires suas naturales *cognoscere*, quid *non cognoscere* possint.

1. Multa sunt, quae Angeli per vires suas naturales, a benignissimo Creatore acceptas, cognoscere valent. - *a*) Angeli etiam lumine naturali Deum cognoscunt, quod invicte colligitur ex eo, quod homines ipsi etiam in hoc statu naturae lapsae Deum naturaliter agnoscunt, testante Apostolo: *invisibilia ipsius... per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* (10); quod certe multo magis tribui debet Angelis, quorum est longe perfectior et subtilior vis cognoscendi, ut docet *S. Thomas* (11). Haud tamen Angeli solis naturae viribus sibi cognitionem Dei perfectam et intuitivam comparare valent; sicuti etiam ad hanc per supernaturalem gratiam elevati nunquam tamen Deum ita cognoscunt,

(1) L. c. (2) Matth. 18, 10.
(3) Cap. 2, 11 (4) Or. 38.
(5) L. 5 de fide c. 1. (6) L. 2 orth. fid. c. 3.
(7) Ps. 8, 6 (8) 2 Reg. 14, 20.
(9) Gen. 3, 1, 3 Reg. 22, etc.
(10) Rom. 1, 20. (11) 1, q. 56, a. 3.

prout Deus seipsum cognoscit; bonum enim infinitum ab intellectu finito perfecte comprehendi nullatenus potest. - *b*) Angeli cognoscunt etiam seipsos, sua cogitata, suas volitiones etc.; si enim talem cognitionem sibi anima humana comparare valet, quae per corpus aggravatur et per passiones obcaecatur, quanto magis illa Angelis est tribuenda? — nullo modo concipi posset substantia spiritualis intellectu praedita seipsam non cognoscens. *c*) Angeli etiam seipsos invicem cognoscunt, constituunt enim unam rempublicam et societatem, ad quam pertinent ut concives: societas autem illa non potest consistere absque mutua notitia, quae tanquam vinculum consideranda est, quo puri spiritus inter se colligantur, sine illa enim neque mutuus inter illos amor dari posset. Et cum Angeli ad honorandum atque laudandum Deum destinentur, convenit omnino, ut excellentissimas ipsius creaturas probe cognoscant. *d*) Angeli cognoscunt etiam res materiales. Nam quidquid potest inferior virtus, potest et superior: atqui intellectus hominis attingit res materiales; ergo earundem cognitio etiam intellectui Angelorum superiori, seu praestantiori denegari nequit. Imo non solum universaliter, sed etiam singulariter res materiales cognoscunt; nam, ait *S. Thomas* (1): « Catholica fides ponit, haec inferiora administrari per Angelos secundum illud. *Omnes sunt administratorii spiritus* (2). Si autem singularem notitiam non haberent, nullam providentiam habere possent de his, quae in hoc mundo aguntur cum actus singularium sint. Et hoc est contra illud, quod dicitur: *Neque dicas coram Angelo: non est providentia* (3). » - Difficultas quidem versari videtur circa modum, quo Angeli res materiales cognoscunt, quas ipsi utpote mere spirituales per sensus corporales percipere non valent. Sed ignorantia modi non tollit certitudinem facti. Homines equidem, corpori alligati, res materiales externas per sensus percipiunt: ast perceptas per intellectum cognoscunt, et ipsi sensus nil percipere valent, anima a corpore per mortem separata. Quodsi Deus effecit, ut anima humana ope sensuum sibi rerum materialium cognitionem comparet, certe pro infinita sua sapientia et omnipotentia efficere potuit, ut spiritus excellentiores etiam absque sensibus corporeis ad eandem cognitionem perveniant. Deus ipse, qui est spiritus perfectissimus, sine auribus, et oculis audit, et videt omnia. Et cum Angeli tanquam creaturae excellentissimae maxime assimilentur Deo, convenit, ut et ipsi absque sensibus rerum materialium cognitionem, quamvis divina longe imperfectiorem habere valeant. *e*) Angeli etiam certo cognoscunt, futura necessaria, qualia sunt, e. g. ortus solis, eclypses etc. quia propter naturae perfectionem agnoscunt omnes causas naturales, ut docet *S. Thomas* (4). Ex eadem ratione nonnulli, ut *Suarez*, *Tournely* etc. dicunt, Angelos etiam certo cognoscere futura contingentia, quae ex solis causis naturalibus nullo interveniente concursu liberi arbitrii proveniunt, e. g. varias tempestates, fertilitatem terrae etc. Verum *S. Thomas* (5) ita hac de re disserit: « quae ex suis causis proveniunt ut in pluribus, cognoscuntur non per certitudinem, sed per conjecturam sicut medicus praecognoscit sanitatem infirmi. Et iste modus cognoscendi fu-

(1) 1, q. 57, art. 2. (2) Hebr. 1.
(3) Eccl. 5, 5. - (4) q. 3 de veritate a. 3
(5) 1, q. 57, art. 3.

tura adest Angelis, et tanto magis quam nobis, quanto magis rerum causas et universalius et perfectius cognoscunt, sicut medici, qui acutius vident causas, melius de futuro statu aegritudinis prognosticantur. »

2. Scientia Angelorum limites suos habet. *a*) Angeli enim non possunt lumine naturali certo cognoscere libere et mere contingenter futura. Horum namque cognitio soli Deo propria est. Ideo dicitur: *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos* (1), et: *Ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei. Annuntians ab exordio novissima, et ab initio, quae necdum facta sunt* (2). Etiam Ss. Patres praescientiam futurorum soli Deo vindicant: *Tertullianus* (3) ait: « Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis. » *S. Hilarius* (4) inquit: « Quid est tam proprium Deo, quam futurorum cognitio? » *S. Chrysostomus* (5) dicit: « Certa praedictio futurorum immortalis Dei duntaxat opus est. » — *S. Augustinus* (6) scribit: « Qui non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus. » *S. Cyrillus* (7) sic loquitur: « Nulli alii, quam uni ac soli naturali Deo futura nosse convenit. » Hoc idem etiam ex ratione probari potest. Nam si Angeli futura contingentia libera certo cognoscerent, ea viderent aut in seipsis, aut in futurorum causis: ast neutrum ex his dici potest; non primum, quia ut Angeli viderent futura in seipsis, necesse foret, ut essent futuris praesentes: ast Angeli, utpote tempori subiecti, non sunt futuris praesentes: hoc enim soli Deo proprium est, qui ut est aeternus, aeternitate sua omnia tam futura, quam praeterita habet praesentia; — non secundum, quia Angelus non potest in causa indifferente et indeterminata certo cognoscere effectum determinatum: atqui causae futurorum contingentium liberorum sunt indifferentes et indeterminatae; liberum quippe arbitrium, quod est futurorum liberorum causa ex se indifferens est ad unam et alteram partem, ac proinde ex illo non magis intelligitur eventus futurus, quam non futurus. Certum ergo est, et, ut ait *Tournely* (8), de fide credendum, Angelos lumine naturali non cognoscere certo futura contingentia libera, nisi haec a Deo ipsis supernaturali modo revelentur. *b*) Angeli etiam non cognoscunt secretas et occultas animae cogitationes, quod patet ex eo, quia, iuxta S. Scripturae et Ss. Patrum doctrinam, hoc unius Dei privilegium est, ut intimas cordium cogitationes penetret. Sic legitur: *Tu solus nosti corda filiorum hominum* (9). *Pravum est cor omnium et inscrutabile, quis cognoscet illud?... Ego Dominus scrutans cor, et probans renes* (10). *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum* (11). Apostolus Verbo Dei tanquam singularem characterem tribuit, quod sit *pertingens usque ad divisionem animae, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* (12). Idem docent Patres. *Origenes* (13) ita disserit: « Propositum habeo martyrium, non ex hoc dicere ad me Angelus poterit, quia nunc cognovi, quod tu times Deum. Deo enim soli cognitum est propositum mentis. Si vero accessero ad agones, protulero bonam confessionem, quae

(1) Is. 41, 23.
(2) Is. 46, 9 etc.
(3) Apologet. c. 20.
(4) L. 9 de Trin.
(5) Hom. 18 in Io.
(6) L. 5 de Civ. Dei c. 9.
(7) L. 4 in Ioan.
(8) De Ang. q. 3, art. 2, concl. 5.
(9) 2 Paral. 6, 30.
(10) Ierem. 17, 9 etc.
(11) 3 Reg. 8, 39.
(12) Hebr. 4, 12.
(13) Hom. 7 in Gen.

inferuntur cunctanter suscepero: tunc potest dicere Angelus velut confirmans me et corroborans: nunc cognovi, quod tu times Deum.» *S. Hilarius* (1) ait: « Cogitationes cordis nosse non nostrum est, sed eius, de quo dictum est: *scrutans corda, et renes Deus;* eius quoque qui dixit: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* » — *S. Ambrosius* (2) inquit: « Dominus volens salvos facere peccatores, occultorum cognitione Deum se esse demonstrat. » Et in verba *tibi soli peccavi* Ps. 50, 6 dicit, Davidem ad Deum loqui, « quem solum abscondita cogitationum et mentis occulta non fallunt.» *S. Chrysostomus* (3) ad illa verba: *Haec eo cogitante Angelus in somno apparuit Ioseph*, sic loquitur: « Hoc signum fuit certissimum, illum a Deo missum fuisse Angelum, quippe cum solius Dei sit, arcana cordium nosse. » S *Hieronymus* (4) super illa verba: *videns cogitationes eorum*, de Christo dicit: « ostendit se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere. » *S. Augustinus* (5) haec de S. Iobo habet: « Colebat Deum, faciebat eleemosynas, et quo corde fiebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus, sed Deus noverat. » *S. Cyrillus Alex.* (6) ait, Nathanaëlem respondisse: *Tu es Filius Dei* « quoniam noverat, solum Deum scrutatorem esse cordium nec ulli alteri hominis mentem patere. » Ergo, iuxta S. Scripturae et Ss. Patrum doctrinam, non cognoscunt secreta cordium, « nisi, ut inquit *Tournely* (7), vel appareant per effectus, vel revelentur, vel ad eos dirigantur. » Idem fere sentiunt etiam alii Theologi, qui putant, ex indiciis quibusdam externis iudicare posse Angelos, quid secreto cogitent homines, quod etiam insinuare videntur nonnulli ex Ss. Patribus, ut v. g. *S. Hieronymus* (8) his verbis: « Diabolus in anima intrinsecus nescit quid cogitet homo, nisi per exteriores motus intelligat. » Hoc ipsum etiam dixerat *S. Augustinus* (9), scribens: « Angeli hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quaedam ex animo exprimuntur in corpore tota facilitate perdiscunt: sed alibi (10) ait: Rem dixi occultissimam audaciore asseveratione quam debui. Nam pervenire ista ad notitiam daemonum per nonnulla etiam experimenta compertum est. Sed utrum signa quaedam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia; an alia vi et ea spiritali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri. » — *c)* Denique Angeli non possunt propriis naturae viribus cognoscere mysteria gratiae, seu illa opera, quae ex sola gratuita Dei voluntate pendent, et totum naturae ordinem excedunt, ac in salutem humani generis ordinantur. Ait enim Apostolus: *Quis hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei* (11). *S. Chrysostomus* (12) fuse ostendit, per Apostolos arcana divina aperientes illuminatos fuisse principatus et potestates, hoc est, supremos Angelorum ordines, et ea, quae hactenus ignorabant, ab illis didicisse. *S. Ambrosius* (13) ait: « Sensum Dei nemo novit, nisi qui de Deo est, spiritus Dei: inferiora enim non possunt superiorum scire consilium neque creatura creatoris sui digno-

(1) In Ps. 59. (2) L. 5, in Luc. c. 3.
(3) Hom. 4, in Matth.
(4) In Matth. 9. (5) Serm. 231, de temp.
(6) L. 1 in 1). (7) L. c. concl. 6.

(8) In Ps. 16. (9) L. de divinat. c. 5.
(10) L. 2 Retract. c. 30. (11) 1 Cor. 2, 11.
(12) In Eph. 3, 8 etc.
(13) In 1 Cor. 2, 11.

scere voluntatem. » Idem docent *S. Athanasius*, *S. Augustinus*, *Theodoretus*, *Leo M.* et alii, quos citat *Petavius*(1). *S. Thomas*, de hac Angelorum cognitione, ita disserit (2): « In Angelis est cognitio duplex. Una quidem naturalis, secundum quam cognoscunt res tum per essentiam suam, tum etiam per species innatas. Et hac cognitione mysteria gratiae Angeli cognoscere non possunt. Haec enim mysteria ex pura Dei voluntate dependent. Si enim unus Angelus non potest cognoscere cogitationes alterius ex voluntate eius dependentes, multo minus potest cognoscere ea, quae ex sola Dei voluntate dependent. Et sic argumentatur Apostolus(3). — Est autem et alia cognitio, Angelorum quae eos beatos facit, qua vident Verbum, et res in Verbo. Et hac quidem visione cognoscunt mysteria gratiae, non quidem omnia, nec aequaliter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare secundum illud Apost.: *Nobis autem revelabit Deus per spiritum suum* (4): ita tamen quod superiores Angeli, perspicacius divinam sapientiam contemplantes, plura mysteria et altiora in ipsa Dei visione cognoscunt, quae inferioribus manifestant; et horum etiam mysteriorum quaedam a principio suae creationis cognoverunt, quaedam vero postmodum secundum quod eorum officiis congruit, edocentur. » Neque putandum est, Angelos omnia mysteria cognoscere, quia Dei sapientiam, quae est eius essentia, vident, nam, ait idem S. Doctor (5): « Licet Angeli beati divinam sapientiam contemplentur, non tamen eam comprehendunt. Et ideo non oportet, quod cognoscant, quidquid in ea latet. »

Nota 1. Ex dictis patet, quantum scientia Angelorum, quae circa obiectum limitata est, distet ab omniscientia divina. Dantur autem alia quoque discrimina, quibus illa ab hac distinguitur. Nam *a*) cum solus Deus, actus purus existens, sit suum intelligere (§ 29 n. 1) nulla cuiusvis creaturae actio est idem quod substantia eius, nec etiam ipsum intelligere Angelorum idem est substantiae, seu essentiae ipsorum, uti docet *S. Thomas* (6). — *b*) Scientia Dei est independens et efficax rerum (ib. n. 2). Angeli vero res cognoscunt, quas Deus cognoscendo et efficiendo ipsis manifestat. Deus enim, ut prima Veritas, est principium cognoscendi, et lumen rationalibus creaturis affulgens. « Lumen quippe verum, quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminavit omnem angelicum mundum, ut sit lux non in semetipso, sed in Deo, » i. e. participatione lucis divinae, ut docet *S. Augustinus* (7). Sed quoniam lux ista rationes exhibet rerum, non particularia quaeque repraesentat; ut Angelus cognoscat res singulares, existentes, sive praedicata, ut dicunt, accidentalia existentiae, loci aliorumque adiunctorum, necessum est, ut lux illa universalis in homine Angeloque ab obiecto determinetur, ita ut nisi hanc determinationem intellectus creatus mutuetur a rebus, nequeat singularia percipere per ideam illam ingenitam, sola praedicata essentialia exhibentem. Determinatur autem ipsarum rerum creatarum praesentia; quod et a *S. Augustino* traditur (8) dicente: « Creaturam Angelis apparere, quando efficitur et propalatur » (9). Multa quidem Theologi de

(1) Lib. de Angel. c. 9 et seq.
(2) 1. q. 57. art. 5.
(3) 1 Cor. 2, 11.
(4) 1 Cor. 2.
(5) Ibid. ad 2.
(6) 1. q. 54. a. 1. 2 et 3.
(7) L. 11 de Civ. Dei c. 9.
(8) L. 5 de Gen. ad litt. c. 19.
(9) Cf. Berti l. 16, c. 9.

modo atque medio cognitionis angelicae disputarunt, quin tamen haec satis clare et certo determinare potuerint; neque mirum est, rationem nostram limitatam et obscuratam naturarum sublimiorum operationes perfecte intelligere non posse; unde melius est, ut ignorantiam nostram in iis fateamur, quorum cognitio nobis nullo modo necessaria est. — *c*) Certum autem est, cognitionem Angelorum non ut scientiam divinam (ib. n. 3) simultaneam dici posse; cum enim nonnulla naturaliter non cognoscant, in his edoceri, et sic in scientia crescere possunt. Et quamvis in iis, quae vident in Verbo, aut quae naturaliter cognoscunt, ob summam intellectus perspicaciam discursu rationis non indigeant, tamen, iuxta opinionem *Suarezii* et aliorum Theologorum, angelica cognitio est discursiva respectu aliarum rerum, quae ab eis naturaliter non cognoscuntur, ut sunt cogitationes liberae et res supernaturales: quod ex eo probant, quia ex his, aut illis motibus, quos in alicuius hominis corpore percipiunt, colligunt, eum has aut illas cogitationes animo volvere, prout etiam daemones ex miraculis Christi inferebant eum esse Messiam in lege promissum (1). — *d*) Denique cognitio Angelorum nullatenus ut scientia divina prorsus infallibilis dici potest. Spiritus enim finitus, naturalibus suis viribus relictus, a veritate deficere potest. — Aiunt quidem Theologi, Angelos sive bonos, sive malos non posse falli respectu eorum, quae ab illis naturaliter cognoscuntur, quia perfectissimo modo illa omnia penetrant. Sed circa res vel supernaturales, vel liberas, vel etiam contingentes, secundum quod a divino beneplacito dependent, decipi possunt mali Angeli, quatenus ex pravitate suae voluntatis a divina sapientia remoti, eamque non attendentes, praecipiti iudicio quandoque indicant aliter quam res sit, aut futura sit. Id autem non accidit Angelis bonis, qui cum per omnia divinae sapientiae se submittunt, eamque in omnibus attendunt, neque de rebus supernaturalibus, neque de naturalibus, prout subsunt divinae dispositioni, nisi certas habeant revelationes, certo et absolute iudicant, ita esse, vel non esse, ita fore, vel non fore, sed ex signis probabilibus probabiliter tantum coniiciunt, et iudicant, id esse probabile et posse evenire (2).

Nota 2. Magnum hominis prae caeteris animantibus privilegium est, quod conceptus suos manifestare, seu loqui possit. Quis iam sanae mentis tale privilegium Angelis denegabit, qui intellectu perspicaciori quam homines guadent? — Ipsa S. Scriptura Angelis *linguam*, seu *locutionem* attribuit. Et sane Angelos inter se colloqui, patet ex Is. VI, 3: *Clamabant alter ad alterum: Sanctus* etc. Paulus ait: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum* (3), etc. hoc est, ait *S. Chrysostomus* in hunc locum: « Quamvis ita loquar, ut Angeli inter se colloquuntur, et quomodo inter se disserunt et Deum laudant: » eodem modo haec verba exponit *Theodoretus*. Iudas in sua Epistola v. 9 dicit: *Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore dixit: imperet tibi Dominus*. Ex his, et similibus locis iam *Dionysius* (4), *Gregorius M.* (5), *Io. Damascenus* (6), et alii recte intulerunt, Angelos inter se colloqui, seu conceptus suos sibi invicem manifestare.

(1) Cf. Tournely de Ang. q. 3, a. 4.
(2) Cf. S. Thom. q. 58, a. 5. Tournely l. c.

(3) I Cor. 13, 1.
(4) C. 7 coel. hier.
(5) L. 2 Mor. c. 5.
(6) L. 2 de fide c. 3

Cum autem locutio Angelorum bonorum nonnisi in bonum finem tendere possit, Scholastici cum *S. Thoma* (1) docuerunt, Angelos colloquendo se invicem illuminare ita, ut aequales ab aequalibus, et inferiores a superioribus, non autem hi ab illis ignotas sibi antea veritates addiscant, ad quod probandum citare solent interrogationem Angelorum inferiorum in Ps. XXIII, 10: *Quis est iste Rex gloriae?* et responsum superiorum: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae:* hoc enim in sensu haec verba exposuerunt *S. Athanasius* (2), *Damascenus* (3), *S. Bernardus* (4) et alii. — Quod Angeli possint etiam loqui cum hominibus, ut ipsos doceant et moneant, patet ex variis exemplis (§ 155 n. 1) adductis. Denique quod Angeli etiam Deo loquantur, patet ex Is. VI, 3, et ex Zach. I, 12, ubi Angelus refertur ad Deum, dicens: *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Ierusalem, et urbium Iuda?* Sic etiam Iob. I, et II Satan introducitur varia locutus ad Deum. Ast Angeli boni loquuntur Deo, non ut ei quidpiam manifestent, sed vel consulendo eius voluntatem et sapientiam, vel eius potentiam et excellentiam admirando. — Scholastici etiam inquirere conati sunt, quomodo Angeli inter se colloquantur. *Thomistae* communiter docent, quod Angelus alterum alloquatur Angelum ordinando, seu dirigendo ad hunc suum conceptum; nam, ait *S. Thomas* (5): « loqui ad alterum nihil aliud est, quam conceptus mentis alteri manifestare. » Atqui Angelus intellectionem et volitionem ad alterum dirigendo, illi manifestat suos conceptus, et non dirigendo illi occultat: Ergo in tali directione consistit Angelorum locutio (6). Alii tamen volunt, Angelos loqui ad invicem per nutus quosdam nobis incompertos, sive signa aliqua spiritualia, quibus intimant sibi vicissim reconditas animi perceptiones, ut docent *Gregorius Arim.*, *Aegidius Rom.*, *M. Canus* et alii plures, ita ut *Vasquesius* hac de re iudicium istud protulerit: « Haec sententia caeteris probabilior est, neque ab eadem recedit *S. Thomas* (7), qui ait, locutionem Angelorum fieri intellectualibus signis. » Idem confirmari potest verbis *S. Anselmi*, qui (8) inquit: « Linguae, quibus Angeli loquuntur aliis, intelliguntur aliqui nutus, per quos intimant sibi vicissim, quod voluerunt. » — Immerito ergo *Th. Beza* irridet Scholasticos, quod de lingua Angelorum instituant disputationem. Illius enim existentiam ex ipsa S. Scriptura probant, neque circa locutionis modum absurdi quid tradunt. Nullus enim Scholasticorum tribuit Angelis linguam in ore sitam, septam dentibus, pressique soni effectricem, sed spiritalem sermonem, naturae eorum congruentem (9).

III. *De voluntate Angelorum.*

§ 160. Certum est, Angelis inesse voluntatem; dicitur enim: *in quem desiderant Angeli prospicere* (10); desiderium autem actus est voluntatis. Praeterea Angelis (11) peccatum adscribitur, quod est libera transgressio legis. Dubitari ergo non potest, Angelos ita a Deo conditos fuisse, ut libera voluntate gauderent. Ideo *S. Augustinus* (12) ait: « Qui (Deus) liberum arbitrium eidem naturae intellectuali tribuit tale, ut si vellet de-

(1) 1, q. 106.
(2) L. de Commun. sim. essentiae.
(3) L. c. (4) L. 5 de Consid. c. 1
(5) 1, q. 107, a. ..
(6) Cf. Billuart de Ang. Diss. 7, a. 1.
(7) In 2, dist. 11 q. 2, a. 3.
(8) In 1 Cor. 13 (9) Berti l. 10, c. 11.
(10) 1 Petr. 1, 12. (11) 2 Petr. 2, 4 et alibi.
(12) L. 22 de Civ. Dei, c. 1.

serere Deum, continuo miseria esset secutura. » Idem docent *S. Basilius* (1), *S. Gregorius Naz.* (2), et alii. Ratione quoque theologica idem confirmatur. Nam libertas arbitrii sequitur intelligentiam, seu rationem: etenim suprema intellectualis natura, nempe divina, eoipso quod intellectualis est, libera est; infima etiam rationalis natura, videlicet humana, libertate donatur ex eo, quod intelligentia et ratione polleat: ergo idem dicendum de natura intellectuali media, id est, angelica. Eandem argumentationem iam adhibuit *S. Io. Damascenus* (3) his verbis: « Est Angelus natura sua intelligens, arbitrii libertate praeditus... quoniam id omne, quod ratione utitur, libertate quoque praeditum est. » Et sane libertas spectat ad perfectionem naturae intellectualis, alioquin Deo non inesset: ergo natura intellectualis Deo vicinior et propinquior, qualis est angelica, libertate maxime gaudere debet. - Inter naturales Angelorum dotes etiam liberam voluntatem numerandam esse, clarissime patebit ex iis, quae inferius de merito et praemio Angelorum bonorum, et de peccato ac poena Angelorum malorum dicenda erunt.

Nota 1. Scholastici omnes admittunt, Angelos in electione facienda vi naturae suae liberos esse. Non consentiunt autem, cum quaeritur, num post factam electionem mutare voluntatem suam possint, an non. *S. Thomas* (4) ait: « Liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum et ante electionem et post: liberum autem arbitrium Angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, sed non post. » Id S. Doctor probat ex eo, quia voluntas non mutat suum decretum, nisi obiectum, quod electum fuit, postmodum aliter ab intellectu proponatur: id vero in Angelis ob summam intellectus perspicaciam fieri non potest: unde, sicut intellectus angelicus obiecta immobiliter cognoscit, ita etiam voluntas angelica immutabiliter illa eligit. Haec eadem sententia a S. Thomae discipulis strenue defenditur, qui dicunt, per ipsam optime explicari, cur Angeli electi bono firmissime inhaerentes sint, reprobi autem in malo semper obstinati maneant. — Sed ab hac angelici Doctoris sententia plerique alii Theologi recedunt, et Angelorum voluntatem ex natura sua mutabilem esse propugnant. Nam Ss. Patres Angelorum bonorum immutabilitatem et impeccantiam non naturae, sed gratiae adscribunt. Sic *S. Augustinus* (5) scribit, fuisse praemium permansionis Angelorum, « ut magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis cadere ulterius omnino non possent. » *S. Fulgentius* (6) ait: « Hoc ipsum, quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiae divinae largitate collatum. » *S. Isidorus* (7) scribit: « Gratia dicimus, non natura esse immutabiles Angelos, nam si natura immutabiles essent, diabolus non utique cecidisset. » *S. Io. Damascenus* (8) de Angelis bonis haec habet: « Difficulter in malum mobiles erant, sed non immobiles: nunc vero et immobiles non natura, sed gratia et adhaesione ad id, quod solum bonum est. » Praeterea Angelorum voluntatem mutabilem ex natura sua esse, ab experientia quoque confirmatur,

(1) L. 1 de Sp. S. c. 16. (2) Or. 38.
(3) L. 2, c. 3. (4) 1, q. 64, a. 1.
(5) De Corr. et grat. c. 10
(6) De fide c. 23.
(7) L. 1 de summo bono c. 12.
(8) De Fid. 1. 2, c. 3.

ut observat Cl. *Berti* (1). Nam Angeli sancti in rebus, quarum nondum circumstantias omnes et Dei voluntatem aperte noverunt, propositum saepe mutant, et etiam aliquando inter se dissident, ut constat ex cap. X Danielis, licet fixam habeant sententiam eligendi, quod placet Deo, quem necessitate diligentes non possunt odisse. E contra daemones non omnia, quae volunt, semper volunt, sed nunc tentant iustos ut cadant, nunc a tentatione desistunt, ne meritum illis accumulent, quanquam pervicaces sunt in avertendo se ab incommutabili bono, quod non possunt casto amore diligere. — Neque Angelus ob perspicaciam intellectus, obiectum immobiliter adprehendentis, immutabilis in voluntate quoque dicendus est; nam, ait *Tournely* (2), hac apprehensionis immobilitate non imponitur voluntati angelicae necessitas ante electionem: ergo neque post electionem factam: sicut enim adprehensis amoris et odii rationibus potest Angelus alterutram eligere partem; ita etiam facta electione, iisdem rationibus positis, suam potest voluntatem mutare (3).

Nota 2. Quoniam Angeli corporis sunt expertes, non datur in ipsis appetitus sensitivus, sed solum intellectivus, ut scholae loquuntur; neque in illis invenitur vis irascibilis, aut concupiscibilis, ut ostendit *S. Thomas* (4). Ideo amor, gaudium, etc. in Angelis non sunt, uti in hominibus sensibiles affectus, sed in illis « amare est velle alicui bonum, et gaudere est quiescere in aliquo bono habito, » ait idem S. Doctor (5).

IV. *De potentia agendi Angelis propria.*

§ 161. Ad potentiam agendi Angelis propriam, aliquo modo determinandam, de ipsorum *loco*, *motu*, *virtute in obiecta externa*, atque de eorundem *apparitionibus* disserendum est.

1. Certum est, Angelos non ubique, sed certo, ac definito loco adesse. Id ex S. Scriptura patet, in qua varius assignatur Angelorum locus: nam de bonis Angelis dicitur: *De die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in coelo* (6). *Discesserunt ab eis* (pastoribus) *Angeli in coelum* (7); si autem discesserunt, ergo in eodem loco non remanserunt: de Angelis vero malis legitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (8). Et: *Neque locus inventus est eorum amplius in coelo* (9). Alius est ergo bonorum, et alius malorum Angelorum certus et determinatus locus. — Hinc *S. Augustinus* (10) scribit: « Non ergo arbitremur, in summo coelo habitare diabolum cum Angelis suis, unde lapsum esse credimus. » *S. Io. Damascenus* (11) ait: « Angeli, quando sunt in coelo non sunt in terra, et cum in terram a Deo mittuntur, non manent in coelo. » Idem confirmatur ratione, quam affert *Theodoretus* (12) ita fere disserens: Sola divinitas non est in loco, sed ubique, quia est infinita, quaelibet vero substantia, quae finita est, non ubique consistit, sed in loco, ergo etiam Angeli non ubique sunt, sed in certo et determinato loco. — Non autem Angeli eodem modo sicuti corpora locum occupant; haec enim sic loco circumscribuntur, ut singulae eorum partes singulis respondeant loci partibus; ast Angeli, qui utpote incorporei et simplices, partes non

(1) L. 10, c. 13. (2) De angelis q. 4. a. 3.
(3) Cf. Petav. de Angel. l. 1, c. 11, Dieringer § 35. n. 3. (4) 1. q. 59, a. 4.
(5) Ibid. ad 2. (6) Marc. 13. 32
(7) Luc. 2, 15. (8) 2 Petr. 2, 4.
(9) Apoc. 12, 8. (10) De agone Chr. c. 3.
(11) L. 11 de Fide, c. 3. (12) Q. 3 in Gen.

habent, non sunt in loco, ut loquuntur Theologi *circumscriptive*, sed dumtaxat *definitive* ita, ut sint in toto loco, et toti in qualibet parte loci, sed non alibi. — Difficillime equidem hunc in loco existendi modum concipimus, quod mirum non est, cum neque de propria nostra anima perfecte intelligere et explicare valeamus, quomodo licet simplex sit, in toto tamen corpore sit, et sentiat. S. *Thomas* modum praesentiae angelicae in certo et determinato loco explicare conatus est per operationem et applicationem virtutis in certa et determinata obiecta; ait enim (1): « Dicendum, quod Angelo convenit esse in loco: aequivoce tamen dicitur Angelus esse in loco et corpus. Corpus est enim in loco per hoc, quod applicatur loco secundum contactum dimensivae quantitatis; quae quidem in Angelis non est, sed est in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis angelicae ad aliquem locum qualitercunque, dicitur Angelus esse in loco corporeo. Et secundum hoc patet, quod non oportet dicere, quod Angelus commensuretur loco, vel quod habeat situm in continuo; hoc enim convenit corpori locato prout est quantum quantitate dimensiva, similiter etiam non oportet propter hoc, quod contineatur a loco. Nam substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream, continet ipsam, et non continetur ab ea. Anima enim est in corpore ut continens, et non ut contenta. Et similiter Angelus dicitur esse in loco corporeo non ut contentum, sed ut continens aliquo modo. » Iuxta hanc S. Doctoris doctrinam, *Thomistae* contendunt, Angelos eatenus in loco praesentes dici, quatenus in obiecta externa operantur, seu virtutem suam exercent. — Displicet autem haec assertio *Scotistis* aliisque Theologis, qui dicunt, Angelos esse etiam in loco per indistantiam ac praesentiam ratione substantiae suae. Cum enim essentia Angeli ab eius operatione differat, et prius sit esse, quam operari, ita etiam prius concipiendum est esse in loco, quam operari in loco: « Primum, ait *Frassen*, percipio Gabrielem ingressum ad Virginem, quam eam allocutum; primum Angelum accessisse ad Christum quam ei ministrasse. » Ulterius daemones desistunt nonnunquam a consuetis corporum vexationibus, nec tamen inde recedunt, patiuntur ab igne, quia huic inviti alligantur, non ignem ipsi movent, aut exterius agendo percellunt, et nihilominus illuc commorantur. Itaque dicendum esse videtur, Angelos esse in loco non solum per operationem et applicationem virtutis, sed etiam per indistantiam ac praesentiam ratione substantiae suae, quamvis iste praesentiae modus a nobis adaequate intelligi et explicari non possit (2).

2. Angelos moveri, seu de loco in locum transire ipsa S. Scriptura testatur. Gen. XVIII, et XIX dicuntur Angeli venisse ad Abraham et Loth. Iudic. II, 1 dicitur: *Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.* Luc. I, 26: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae.* v. 28: *Ingressus Angelus ad eam dixit* etc. v. 38: *Et discessit ab illa Angelus.* Matth. XXVIII, 2: *Angelus Domini descendit de coelo, et accedens revolvit lapidem.* Ex his et aliis Scripturae locis patet, Angelos nulli loco esse necessario adstrictos, sed posse de loco in locum transire. Eumdem motum localem eis tribuunt Ss. Patres. *S. Ambrosius* (3) ait: « Seraphim de

(1) 1, q. 52, art. 1.

(2) Cf. Tournely de Ang. q. 5, art. 1. Berti l. 10, cap. 14. (3) L. 1 de Spir. S. c. 10.

loco ad locum transit; non enim complet omnia. Seraphim descendit cum aliquo secundum naturam suam transitu. » *S. Chrysostomus* (1) inquit: « Angeli loca mutant, et prioribus relictis, in quibus sunt, ad alia pergunt, in quibus non erant. » *S. Bernardus* (2) dicit: « Angelus non absque motu operatur tam locali, quam temporali. » — Motus Angelorum certe a motu corporum differt, et a nobis perfecte explicari non potest. Docent tamen communiter Theologi, Angelos, dum de loco in locum moventur, spatium intermedium permeare debere, eorumque motum non quidem instantaneum, sed tamen celerrimum esse. Si enim lux materialis mira celeritate propagatur, quanto magis motui Angelorum, qui omnis materiae sunt expertes, maxima celeritas erit tribuenda? — Hanc celeritatem emphatice extollunt nonnulli Patres, ut *Tertullianus* (3) et *S. Petrus Chrysol.* (4) cum asserunt Angelos momento totum orbem peragrare, quibus verbis non instantaneum, sed celerrimum motum Angelis tribuunt: et si alii Patres Angelos in loco esse negant, non idcirco eos immensos esse volunt, sed solum asserunt, eos non ut corpora locum et spatium occupare, seu eos non esse in loco circumscriptive, sed dumtaxat definitive (5). Si quaeritur: an idem Angelus possit esse simul in pluribus locis? — Communis responsio est, id eum non posse naturaliter, bene vero supernaturaliter, quoniam etiam de hominibus bilocationes, divina virtute factae, leguntur. — Quaestionem: an plures Angeli possint esse in eodem loci spatio? — Nonnulli cum distinctione solvunt: si quaestio instituitur de existentia in loco per indistantiam et praesentiam, liquet plures Angelos posse in eodem spatio, quamtumvis minimo, contineri, quia nullam faciunt, dum simul sunt, extensionem, et ideo non ut corpora se se ab eodem loco excludunt, per quod explicari potest legio daemonum in uno hominis corpore: aliter autem dicendum est, si loquamur de existentia in loco per operationem et applicationem virtutis, quia, iuxta Philosophos, impossibile est, quod duae causae completae sint immediatae unius et eiusdem rei: iuxta quod principium, *S. Thomas* (6) negat, plures Angelos simul esse posse in eodem loco: alii tamen aiunt, plures causas saltem ex parte agere, et sic obiecto praesentes esse posse, quod et Angelis applicant.

3. Dubitari non potest, Angelis vires inesse agendi in obiecta externa. Nam non solum possunt animas hominum docere et monere, uti patet ab exemplis (§ 155, n. 1 allatis, sed potentiam suam etiam in corpora exercere valent, haec movendo, aut alios effectus in ipsis producendo. Luculenta hac de re testimonia in S. Bibliis invenimus. Gen. XIX de Angelis a Loth hospitio exceptis, cum Sodomitae vim facerent, et cum iam prope esset, ut effringerent fores, v. 10 etc. legitur: *Ecce miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium, et eos, qui foris erant, percusserunt caecitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.* De caede exercitus Sennacheribis Is. XXXVII, 36 dicitur: *Egressus est Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Dan. III, 49-50: *Angelus Domini descendit cum Azaria, et sociis eius in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi*

(1) Hom. 3 in Hebr. (2) Serm. 78 in Cant. (3) Apol. c. 22. (4) Ser. 2.

(5) V. Petav. l. c. c. 13. (6) I, q. 52, a. 3.

ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis etc. Dan. XIV, 35: *Apprehendit eum* (Habacuc) *Angelus Domini in vertice eius, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum*. Matth. XXVIII, 2: *Angelus Domini... accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum*. Act. XII, 7 etc. *Angelus*... clausis ianuis ingressus est carcerem, *percussoque latere Petri excitavit eum*, et a vinculis solutum per *portam ferream, quae ultro aperta est eis* eduxit, et libertati restituit. — Etiam Angelos malos in corpora agere posse, ex inferius dicendis patebit. Eandem agendi potentiam Ss. Patres Angelis tum bonis, tum malis tribuunt, ut *Iustinus M.* (1), *Tertullianus* (2), *Origenes* (3), *S. Chrysostomus* (4), *S. Hieronymus* (5), *S. Augustinus* (6), *Cassianus* (7). — Paradoxum quidem nonnullis videtur, Angelos, qui sunt naturae mere spiritualis, agere in corpora, seu in entia materialia. Sed nulla hac in re intrinseca impossibilitas ostendi potest. Deus enim, qui est perfectissimus Spiritus, etiam entia materialia creat, conservat et gubernat: et quoniam Angeli inter reliquas creaturas maxime adsimilantur Deo, non solum possibile, sed et conveniens censendum est, ut Angeli viribus polleant, in corpora et entia materialia agendi. Neque ideo ipsis haec potentia denegari potest, quia spiritus finiti sunt; nam etiam anima nostra spiritus finitus est, et tamen agit in corpus, et per corpus in obiecta externa: quis autem naturae spirituali praestantiori id denegabit, quod naturae spirituali inferiori necessario concedit? — Omni quoque iure dicitur, Angelos non solum per influxum divinum extraordinarium, seu per virtutem supernaturalem, qua adiuti Prophetae miracula patrarunt, sed per vires suas naturales in corpora et obiecta externa agere posse. Neque mirum est, nos modum, quo agunt, satis intelligere et declarare non posse, quia etiam modum, quo anima agit in corpus, nullus Philosophorum adaequate explicavit. Ipsa autem sana ratio dictat, ob ignorantiam modi negandam haud esse certitudinem facti. — Caeterum fatendum est, nos accurate determinare non posse, quousque se Angelorum vires circa corporalia extendant; a libera enim voluntate Dei pendet, maiorem, vel minorem Angelis potentiam motricem tribuere; illam autem absque Revelatione cognoscere non possumus. Ideo *S. Augustinus* (8) dicit: « Quid autem possint Angeli per naturam, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturae suae conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat, dicens: *Alii diiudicatio Spirituum*. » Certum autem est, Angelorum potentiam limitatam esse. Nam Angeli non possunt producere corpus absque materia praeiacente; hoc enim esset creare; creatio autem soli Deo propria est: ex eadem ratione etiam essentias rerum mutare nequeunt. Praeterea Angeli tenentur ad observandas leges physicas a Deo sancitas ad ordinem universi stabiliendum, quia istae leges a Deo solo sunt dependentes, qui illas tulit, et iuxta illas totum Universum regit, nisi hincinde liberrimae et independenti ipsius voluntati aliter placuerit: Angeli ergo per vires

(1) Apol. 2. (2) L. 5, c. Marcion. lib. de patient. et in Apol. (3) L. 2, c. Cels.
(4) In Epist. ad Coloss.
(5) In cap. 2 Habacuc.
(6) L. 3 de Trin. c. 9. (7) Collat. 7.
(8) L. 3 de Trin. c. 9.

suas naturales vera miracula patrare non valent; et generatim, quantacunque sit Angelorum potentia, ea divinae subiicitur maiestatis imperio; unde ipsi ita agunt, ut iussu, aut saltem permissione Omnipotentis inter agendum dirigantur (1).

4. Angelos sive bonos, sive malos, hominibus apparuisse in specie corporali, ex multis S. Scripturae testimoniis constat. Nam daemon sub serpentis imagine Evam decepit; tres Angeli in humana specie in conspectu Abrahae extiterunt; duo Sodomam tanquam peregrini petieruut; Raphaël Tobiae ducem comitemque se praebuit; Gabriel Mariae Incarnationem Filii Dei nuntiavit etc. Dubitari ergo non potest, Angelos se visibiles reddere, et tales operationes perficere posse, quae sensibus subiiciantur. Magna autem inter Theologos quaestio agitatur circa modum, quo Angeli, qui incorporei et mere spirituales sunt, tales apparitiones perficere possint. Nonnulli dixerunt, omnes angelicas apparitiones, quas Scriptura commemorat, non vere exterius exhibitas, sed mere phantasticas fuisse, nimirum sola facta immutatione circa imaginationem eorum, quibus Angeli leguntur apparuisse, quomodo Ioannes non oculis corporis, sed in Spiritu vidit Apocalypsin, et Petrus in extasi vidit vas animalibus plenum de coelo descendens. Sed hanc opinionem ut falsam reiirit *S. Thomas* (2), dicens: « Hoc repugnat intentioni Scripturae. Illud enim, quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis: unde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem divina sic introducit interdum Angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur. Sicut Angeli apparentes Abrahae visi sunt ab eo et tota familia eius, et a Loth et a civibus Sodomorum, similiter Angelus, qui apparuit Tobiae, ab omnibus videbatur; ex quo manifestum fit, huiusmodi contigisse secundum corpoream visionem, qua videtur id, quod positum est extra videntem. Tali autem visione non videtur nisi corpus. — Alii existimarunt, Angelorum apparitiones factas esse per quamdam immutationem non in sola imaginatione, sed potius in sensibus hominum externis productam, qua fit, ut id, quod non est, appareat, quomodo in coelo et in nubibus colores apparent, qui non sunt: contendunt isti Angelos, seu ipsum Deum Patriarcharum aliorumque, quibus Angeli dicuntur apparuisse, organa sensus ita afferisse, prout affecta fuissent, si corpora, sub quorum specie se Angeli conspicuos reddiderunt, realiter praesentia extitissent, nam si obiecta externa in sensus nostros agere et efficere possunt, ut in nobis variae perceptiones et sensiones oriantur, hoc idem etiam Angeli validiori agendi potentia praediti praestare poterunt, et recte omnipotenti Deo id denegari nequit. — Huic autem explicationi eaedem rationes opponi solent, quas priori opponit *S. Thomas;* et praeterea iuxta illam dicendum foret, Angelos, sive ipsum Deum in varios etiam plurium hominum sensus per totum apparitionis tempus extraordinario modo agere, quod cum lege parsimoniae haud satis convenire videtur. — Ideo plerique Theologi sequuntur sententiam *S. Thomae*, qui (3) dicit: « Cum Angeli neque corpora sint, neque habeant corpora sibi naturaliter unita, ut ex dictis patet, relinquitur, ut interdum corpora assumant. » Putat autem S. Doctor, corpora ab Angelis assumpta

(1) V. Tournely de Ang. q. 5, a. 3 et 4.

(2) I, q. 51, art. 2.

(3) L. c.

formari ex aëre, aut vapore, quia istae materiae possunt inspissari faciliter, et sic figuram recipere et retinere, ac per alicuius corporis appositionem diversimode colorari, ut patet in nubibus (1). Addunt Theologi, qui eandem sententiam defendunt, Angelos posse sibi formare corpus ex quibusvis elementis, aut etiam ex mixtis, cum omnia corpora subiiciantur Angelis quantum ad motum localem. Notandum vero est id, quod docet *S. Thomas* (2), dicens: «Assumit Angelus corpus, non ut naturae suae uniat, sicut homo assumit cibum; neque ut uniat suae personae, sicut Filius Dei assumpsit naturam humanam, sed ad suam repraesentationem, illo modo, quo intelligibilia per sensibilia repraesentari possunt. Tunc ergo Angelus corpus assumere dicitur, quando corpus aliquod hoc modo format, quod ad repraesentationem suam est aptum, » sive quod conveniens est ad repraesentandum id, quod vult de se manifestare, prout indicat idem S. Doctor (3). — Ex hoc principio sequitur, Angelos in corporibus assumptis nullatenus actiones vitales ita exercere, prout in corporibus humanis fiunt; quapropter *S. Thomas* (4) dicit: « Angeli proprie non loquuntur per corpora assumpta, sed est aliquid simile locutioni, in quantum formant sonos in aëre similes vocibus humanis, » et (5) « nec etiam comedere, proprie loquendo, Angelis convenit, quia comestio importat sumptionem cibi convertibilis in substantiam comedentis; — sed cibus assumptus ab Angelis neque convertebatur in corpus assumptum, neque corpus illud talis erat naturae in quod possit alimentum converti: unde non fuit vera comestio, sed figurativa spiritualis comestionis. Et hoc est, quod Angelus dixit Tob.: *Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare et bibere, sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor* (6).» Angelicus Doctor rationem etiam assignavit, cur Angeli in V. T. frequenter corpora humana assumpsisse legantur; ait enim (7): « Hoc autem, quod Angeli corpora assumpserunt in V. T. fuit quoddam figurale indicium, quod Verbum Dei assumpturum esset corpus humanum, omnes enim apparitiones V. T. ad illam apparitionem ordinatae fuerunt, qua Filius Dei apparuit in carne. » — Hanc angelici Doctoris sententiam non solum *Thomistae*, sed et plerique alii Theologi, ut *Tournely*, *Herminier*, *Berti* etc. amplectuntur, quamvis perfecte intelligi et explicari nequeat, quomodo Angeli corpora compagineut et in istis agant. Mirum autem non est, nos, qui etiam circa res terrenas haud raro caecutimus, operationes spirituum sublimiorum et ex natura sua invisibilium perfecte capere et declarare non posse. Conamina tamen Theologorum, modum apparitionum angelicarum explicandi, satis evincunt, has impossibiles, aut contradictorias nullatenus dici posse. Caeterum recte Cl. *Wiest* (8) inquit: « Optima erit in abstrusa hac quaestione illius sententia, qui suam fatetur ignorantiam et modum adparitionum istarum inter ea refert, quae Magister maximus docere non vult. »

V. *De immortalitate Angelorum.*

§ 162. Constat apud Theologos, fide divina tenendum esse, omnes Angelos tam bonos, quam malos semper futuros esse, nec unquam interi-

(1) L. c. ad 3.
(2) Q. 6 de potent. a. 7, ad 1.
(3) 2, dist. 8, a 2. (4) 1, q. 51, a. 3 ad 4.
(5) Ib. ad 5 (6) Tob. 12.
(7) Ibidem a. 2 ad 1. (8) T. 4 § 512.

turos et proinde immortales seu incorruptibiles esse hoc sensu, quod nunquam esse desinent, qua de re inferius sermo recurret. Quaestio autem mota est, an Angeli ex natura sua immortales dicendi sint, an non? — in hac quaestione solvenda Patres dissentire videntur, ut ostendit *Petavius* (1), sed tamen nullus inter ipsos dissensus datur, quia Angelis sub aliquo respectu *immortales*, et sub alio *mortales*, seu *defectibiles* dicuntur.

1. Angeli rectissime ex natura sua immortales dicuntur, quia mors, quae est separatio corporis et animae, in ipsis, utpote corpore expertibus locum habere nequit. Imo Angeli, qui sunt substantiae simplices, nulli corruptioni obnoxii esse possunt. Ideo *S. Thomas* (2) ait: « Necesse est dicere, Angelos secundum naturam suam esse incorruptibiles: cuius ratio est, quia nihil corrumpitur, nisi per hoc, quod forma eius a materia separatur. Unde cum Angelus sit ipsa forma subsistens, ut ex dictis patet; impossibile est, quod eius substantia sit corruptibilis. » Et sane, omne, quod suapte natura corrumpitur, dissolubile est: quod dissolubile est, partes habet: quod partes habet, extensum est et corporeum: at Angeli corporis expertes sunt, ergo neque partes habere, neque dissolvi queunt. Et si Angelus non potest adinstar rerum corporearum deficere per corruptionem, consequenter non desinet nisi per sui annihilationem: ast in nihilum nulla res redigi potest naturaliter, sed tantum per hoc, quod causa extrinseca suam subtrahat conservationem, quemadmodum ex nihilo nulla res producitur nisi per Creatoris omnipotentiam: quare annihilatio nunquam naturalis esse potest, sed opus divinum ac solius Dei: ergo secundum naturam suam Angeli immortales sunt. Ideo *Dionysius* (3) ait: « Intellectuales substantiae vitam habent indeficientem ab universa corruptione, morte et materia mundae existentes. » Eandem immortalitatem Angelis tribuunt *S. Athanasius* (4), *S. Basilius* (5), *S. Cyrillus Alex.* (6).

2. Angeli naturam suam simplicem et incorruptibilem non ex se habent, sed a Deo acceperunt, et sicut a Deo creati sunt, ita in quolibet momento ab ipso conservari debent; neque negari potest, omnipotentiam divinam illos etiam annihilare posse. Si ergo nunquam esse desinunt, liberrimo id voluntatis divinae decreto, seu bonitati Dei adscribendum est. In hoc sensu Patres hinc inde dicunt, Angelos non natura, sed gratia Dei immortales esse. Sic *S. Ambrosius* (7) ait: « Neque Angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est Creatoris. » *S. Sophronius* in Epistola, quae approbata fuit in sexta synodo generali, haec habet: «Intellectualia et invisibilia nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur: non tamen sunt immortalia per naturam, neque in essentiam incorruptibilem transeunt, sed gratiam eis largitus est Deus a corruptione et morte ea coërcentem.» *S. Hieronymus* in Tim. VI, 16, *Deus solus habet immortalitatem*, ita disserit: « Nisi fallor, quomodo solus habere dicitur immortalitatem, cum et Angelos et multas rationabiles fecerit creaturas, quibus dederit immortalitatem, ita et solus dicitur verax, non quod et caeteri et immortales et veritatis non sint amatores, sed quod ille solus naturaliter sit et immortalis et verus, caeteri vero immor-

(1) De Ang. l. 1, c. 5. (2) 1, q 50, a. 5.
(3) De div. nomin. c. 4.
(4) L. de com. ess. divin. (5) In Ps. 44.
(6) L. 8 Thes. c. 2. (7) L. 3, de fide c. 2.

talitatem et veritatem ex largitionis illius dono consequantur; et aliud sit verum esse per semet, aliud in potestate donantis esse, quod habeas. » *S. Io. Damascenus* (1) ait: « Immortalis est Angelus non natura, sed gratia: nam quidquid initium habuit, et desinere suapte natura potest.» Ss. Patres in bis, et similibus locis Angelorum immortalitatem non negant, sed potius propugnant, ac tantum a Deo concessam, et ab ipso dependentem adstruunt. Recte ergo inter dotes naturales, Angelis a benignissimo Creatore concessas, etiam eorundem immortalitas, seu incorruptibilitas connumeratur, vi cuius naturaliter existere non desinunt (2).

ARTICULUS III.

De dotibus Angelorum supernaturalibus.

§ 163. Magna sunt dona, quae Deus Angelis in ordine naturae concessit; maiora et praestantiora sunt, quae iisdem in ordine gratiae elargitus est. Ast si ipsas dotes naturales tam sublimium spirituum perfecte intelligere et explicare non valemus, multo minus dotes eorundem supernaturales comprehendere et adaequate declarare possumus. Certum est, statum Angelorum supernaturalem non ex rationis principiis enucleari, sed solum ex revelatione divina agnosci posse, quae circa illum nonnulla ideo praecipue patefecit, ut sciamus, undenam discrimen Angelorum bonorum, et malorum repetendum sit. Ipsa ergo Revelatione duce 1° *de gratia* omnibus Angelis concessa, 2° *de merito* Angelorum bonorum, et 3° *de praemio* seu *de gloria, et beatitudine* eorundem disserendum est.

1. *De gratia Angelorum.*

§ 164. Duplex distinguitur gratia Dei supernaturalis: alia dicitur *habitualis*, seu *sanctificans*, quae confertur ad ornatum, et sanctificationem animae, cui inhaerens tribuit, ut divinae naturae participatione fruatur: alia est *actualis*, quae datur ad supernaturaliter operandum. Utraque Angelis concessa fuit.

1. Angelos omnes ab initio et in instanti suae creationis gratiam sanctificantem, atque ideo iustitiam et sanctitatem accepisse, satis solida argumenta evincunt. *a)* Ipsa S. Scriptura id haud obscure docet. Nam legitur: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona* (3): ergo etiam Angeli, quos omnes Deus ex nihilo produxit, valde boni erant, tales vero dici non potuissent, si gratia sanctificante privati ad finem suum supernaturalem obtinendum idonei haud extitissent. Sicuti ergo caeterae creaturae valde bonae praedicantur, quia ideis divinis conformes, et ad fines sibi a sapientissimo Creatore praefixos obtinendos optime ordinatae erant; ita etiam de Angelis dicendum est, ipsos valde bonos fuisse, quia gratia divina ita ornati fuerunt, ut finem suum supernaturalem assequi potuissent. Idipsum Christus innuit, dum de diabolo dicit: *in veritate non stetit* (4): per veritatem intelligitur vera ratio Deum colendi, seu rectitudo intellectus, et voluntatis, vi cuius spiritus Deo unitur, huiusque imago efficitur: fuit ergo aliquando etiam Angelus malus *in veritate*, seu habuit gratiam sanctificantem. Idcirco Iudas, v. 6, dicit de Angelis malis: *Non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium;* quibus verbis Apostolus magnam dignitatem Angelis malis quondam concessam, et per peccatum amissam, indigitat: ista vero

(1) L. 2. c. 3.
(2) Cf. Tournely de Ang. q. 2. a. 2. Dieringer § 35, n. 3. p. 210 etc.
(3) Gen. 1, 31. (4) Io. 8, 44.

dignitas non in donis naturalibus consistit, quae Angeli peccantes non penitus amiserunt, sed in donis supernaturalibus, seu in gratia sanctificante, quae per peccatum extincta fuit. Etiam Ezechiel XXVIII, 14 etc., alloquens, iuxta communem Ss. Patrum et Theologorum interpretationem, sub persona regis Tyri Luciferum, Angelorum malorum coryphaeum, dicit: *Tu Cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei... Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te:* fuit ergo aliquando Lucifer *perfectus in viis suis*, seu talibus donis insignitus, ut ad finem suum supernaturalem pervenire potuisset, quod sine gratia sanctificante impossibile fuisset. *b)* Ss. Patres quoque testantur, Angelos in creatione gratia sanctificante insignitos fuisse. Sic *S. Basilius* (1) dicit: «Quod Angeli sunt, ab opifice Verbo universorum conditore habent; eis vero sanctitatem Spiritus sanctus impertivit; » et iterum « in prima constitutione, ac velut massa substantiae eorum una insitam habuere sanctitatem. » Idem (2) dicit, in creatione Angelorum concurrisse voluntatem Patris, omnipotentiam Filii, et praesentiam Spiritus sancti qui eos perfectos reddidit. Hoc ipsum tradit *S. Gregorius Naz.* (3) — *S. Chrys.* (4) ait: « Diabolus *in veritate*, i. e. in vitae probitate *non stetit.* » *S. Augustinus* (5) scribit: « Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, nisi ille qui eos cum bona voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam, unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est. » *S. Leo M.* (6) inquit: « Quia ipse (diabolus) in veritate non stetit, totamque naturae suae gloriam, dum superbit, amisit, dolet hominem Dei misericordia reparari, et in bona, quae ipse perdidit, introduci. » *S. Cyrillus Alex.* (7) ita de diabolo loquitur: « Quia prolapsus est a veritate, nec manere voluit in suae sanctitatis origine, factus enim fuerat ad imaginem et similitudinem Dei, sed superbiendo retinuit quidem imaginem, amisit tamen veritatem similitudinis, quia ex iusto et bono Angelo diabolus iniustus et malus factus est. » *S. Gregorius M.*, applicans Lucifero verba Ezech. XXVIII, 14 etc., ait: « In medio lapidum ignotorum perfectus ambulavit, quia inter Angelorum corda charitatis igne succensa clarus gloria conditionis extitit. » Et in eiusdem Ezechielis verba, v. 12, *tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore*, inquit: « quid doni (Lucifer) non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit? » (8). *S. Io. Damascenus* (9) dicit: « Per Verbum omnes Angeli creati sunt, ac per Spiritus sancti sanctificationem omnis perfectionis numeros acceperunt. » Hanc Ss. Patrum sententiam proponit etiam *Catechismus romanus*, qui (10) ait: « Spiritualem naturam, innumerabilesque Angelos, qui Deo ministrarent, atque assisterent, ipse ex nihilo creavit, quos deinde admirabili gratiae suae et potestatis munere auxit, atque ornavit. Nam cum illud sit in divinis litteris diabolum in veritate non stetisse, perspicuum est, eum reliquosque desertores Angelos ab ortus sui initio gratia praeditos fuisse »... et inferius addit: « Quamvis omnes ii coelestibus donis ornati fuerint,

(1) In Ps. 32, n. 4.
(2) L. de Sp. S. c. 16, n. 3.
(3) Or. 41, n. 11 (4) Hom 54 (al. 53) in Io.
(5) De civ. Dei l. 12, c. 9.
(6) De quadrag. l. 10, c. 2
(7) L. 9 in Io. c. 6.
(8) L. 32, Mor. c. 18 etc. (Cf. in Ezech. c 2).
(9) L. 11, de fide c. 3. (10) P. I. c. 2, q 17.

plurimi tamen a Deo defecerunt. » c) Haec sententia etiam ratione theologica confirmari potest. Angeli enim non fuerunt creati in minori perfectione, quam primus homo (1). Hic autem creatus fuit ad imaginem Dei, quae, ut inferius ostendetur, principaliter consistit in gratia sanctificante; quamobrem dicitur: *Hoc inveni, quod Deus fecerit hominem rectum* (2), et Concilium Tridentinum (3) ait: *Adam per peccatum iustitiam et sanctitatem perdidisse, in qua fuerat constitutus:* ergo multo magis de Angelis, creaturis excellentioribus, dicendum est, quod Deus illos rectos fecerit, et in iustitia et sanctitate supernaturali constituerit. — Quamvis autem haec sententia ex allatis argumentis satis certa sit, tamen ad fidei dogmata referri non potest, quia nec in Scriptura, nec in Traditione aperte continetur, nec ullam Ecclesiae definitionem sibi vindicare potest. Imo non pauci Theologi contrariam tenuere sententiam, docentes Angelos omnes per aliquod tempus, creationem immediate succedens, in puris naturalibus fuisse. Huius sententiae fuerunt *Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, Aegidius, Alexander Hal., S. Bonaventura, Scotus* et alii multi: ideo ipse *S. Thomas* (4) dicit: « Respondeo dicendum, quod quamvis super hoc sint diversae opiniones, hoc tamen (quod Angeli in gratia creati fuerint) probabilius videtur tenendum, et magis dictis Sanctorum consonum est. » Et (5), cum negantem et affirmantem sententiam proposuisset, addit: « Harum autem opinionum, quae verior sit, non potest efficaci ratione deprehendi. » Errant ergo Ianseniani, dum ad fidem spectare praedicant, Angelos in gratia conditos fuisse.

2. Praeter gratiam habitualem, seu sanctificantem, necessaria fuit ac collata Angelis gratia actualis ad bene agendum et perseverandum. Hanc Angelis necessariam fuisse, docet *S. Augustinus* (6), dicens: « Sicut oculus corporis plenissime sanus nisi candore lucis adiutus non potest cernere, sic homo etiam iustificatus, nisi aeternae luce iustitiae divinitus adiuvetur, recte non potest vivere. » Idem autem, quod S. Doctor de homine iustificato dicit, etiam de Angelis gratia sanctificante ornatis dicendum est. Nam nulla voluntas potest ferri in id, quod est supra suam naturam et naturae vires, nisi sit adiuta ab aliquo alio principio supernaturali, quod dicitur auxilium gratiae; quia naturalis inclinatio voluntatis non est nisi ad id, quod est conveniens secundum suam naturam: atqui Deus, ut est obiectum beatitudinis supernaturalis, est supra omnem naturam creatam, et naturae vires: « ideo, concludit *S. Thomas* (7), dicendum est, quod Angelus in illam beatitudinem voluntate converti non potuit, nisi per auxilium gratiae. » Certum autem est, gratiam actualem ad bene agendum necessariam omnibus Angelis fuisse concessam. - Id indubitate constat de Angelis bonis; isti enim per conversionem ad Deum actu ad beatitudinem pervenerunt, quam sine auxilio gratiae consequi non potuissent, dicente Apostolo: *Gratia autem Dei, vita aeterna* (8). Sed etiam Angelos, qui a rectitudine defecerunt, gratiam actualem obtinuisse, clare tradit *S. Augustinus* (9), qui, postquam asseruit, Angelos per

(1) Ps. 86. (2) Eccle. 7. 30. (3) Sess. 5.
(4) 1. q. 62. a. 3.
(5) 2 Sent. dist. 4. q. 1. a. 2.

(6) L. de nat. et grat. c. 26.
(7) 1. q. 62. a. 2. (8) Rom. 6. 23.
(9) L. de corrept. et grat. c. 11.

gratiam in creatione acceptam non potuisse perseverare, nisi praeterea aliud quoddam adiutorium datum eis fuisset, tale nimirum sine quo perseverare non possent, et per quod perseverare possent, si vellent, subdit: « Quod adiutorium si vel Angelo, vel homini cum primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio manere posset, si vellet, non utique sua culpa cecidissent; adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. » Certum porro est, Angelos malos culpabiliter cecidisse, et merito ob peccatum plecti, uti ex inferius dicendis apparebit: ergo omnibus Angelis gratia actualis ad bene agendum et perseverandum necessaria concessa fuit. Consentiunt hac in re Theologi, sed circa naturam istius gratiae actualis, qua praediti Angeli fuerunt, disceptant. Iuxta Thomistas, gratia haec diversae speciei et entitatis fuit, nimirum *sufficiens* in Angelis reprobis, et *a se efficax* in Angelis electis: hanc autem distinctionem plerique alii Theologi non admittunt, et gratiam eiusdem speciei et entitatis tum Angelis, qui perseveraverunt, tum illis, qui non perseveraverunt, collatam fuisse docent (1).

Nota. Docuerunt *Manichaei*, diabolum a principio malo creatum esse, natura malum, teste *S. Augustino* (2).—Eundem errorem tenuerunt *Priscillianistae* et alii, qui variis temporibus Manichaeorum principia ex orco revocarunt. Quam impia autem et vesana sit talis sententia, satis patet ex eo, quia duo summa principia non dantur (§ 61), sed unus Deus omnia creavit (§ 136), qui auctor mali esse non potest (§ 44). Dum (3) legitur, diabolum *ab initio* fuisse homicidam, et *ab initio* peccasse; solummodo indicatur diabolum paulo post creationem seu in primordiis mundi et peccasse, et peccati ac mortis causam fuisse comparate ad genus humanum: diabolus etiam ideo recte dicitur *ab initio* peccasse, quia primus peccavit, et sic peccatis initium dedit. Neque Manichaeorum errori favent verba Eccli. XXXIX, 33: *Sunt Spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua* etc.; hic enim in sensu litterali designantur venti ac spiritus procellarum, quos Deus immittit ad puniendos impios: sed non incongrue Angeli, etiam boni, intelligi possunt, quorum ministerio Deus utitur ad castigandos peccatores. Caetera, quae possent obiici ex Iob XL, 10: *Ecce Behemot, quem feci tecum*, etc. et Ps. CIII, 26: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*, etc. minime intelligenda sunt de Angelis malis, sed nomine *Behemot*, *Leviathan*, aut *Draconis*, ut habet Vulgata, designatur in utroque loco cete ingens, balaena aut piscis magnus, qui, ut loquitur Psalmista, formatus a Deo est *ad illudendum ei*, id est, ut illudat, vel ludat in eo, nimirum mari, cui innatat (4).

II. *De merito Angelorum bonorum.*

§ 165. Angeli, magnis dotibus naturalibus et supernaturalibus ornati, magnam quoque in suo primaevo statu beatitudinem non solum naturalem, sed et supernaturalem inchoatam habebant; nullatenus autem beatitudine supernaturali perfecta gaudebant, quae in visione divinae essentiae consistit. Id docet S. *Augu-*

(1) Cf. Tournely de Ang. q. 7, a. 2, Berti l. 12, c. 8, prop. 2, Suarez de Ang. l. 5, c. 12, n. 11, etc. (2) L. 11 de Civ. Dei, c. 13.

(3) Io. 8, 44, et 1 Io. 3, 8.
(4) Cf. Klüpfel l. 1, § 68.

stinus (1), ita de primaevo Angelorum statu disserens: « Erat adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summae beatitudinis plenitudinem, tanquam praemium ipsius permansionis acciperent... Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant. » *S. Thomas* (2), loquens de visione Angelorum beatifica, ait: « Ultimam beatitudinem, quae facultatem naturae excedit, Angeli non statim in principio suae creationis habuerunt; quia haec beatitudo non est aliquid naturae, sed naturae finis: et ideo non statim eam a principio debuerunt habere. » — In tali ergo statu Angeli post creationem aliquandiu fuerunt, in quo gratia divina adiuti in bono perseverare, aut a rectitudine deficere potuerunt. Nam, ait *S. Augustinus*(3), de Angelis disserens: « Deus liberum arbitrium intellectuali naturae tribuit tale, ut, si vellet, descreret Deum, beatitudinem scilicet suam, continuo miseria secutura. » Et *S. Bonaventura* (4) dicit: « Fuit igitur Angelus a Deo conditus bonus quidem, sed non summus; perficiendus tamen, si affectu tenderet in summum: et quoniam per arbitrium liberum voluntatis poterat tendere in bonum summum, vel converti ad bonum privatum. » Extitit igitur etiam pro Angelis tempus probationis, in quo gloriam mererentur, aut ab hac excluderentur. Qualis autem fuerit haec probatio, et quamdiu duraverit, nobis clare et distincte revelatum non est. Certum autem est ex Revelatione, in tempore probationis multos Angelos a rectitudine defecisse et beatitudinem amisisse, de quorum peccato et poena inferius sermo instituetur. Caeteri vero Angeli Deo fideles manserunt, de quorum merito aliqua dicenda sunt.

1. Angelos esse, qui in iustitia perseverarunt, Deo per charitatem uniti, ex ipsis nominibus apparet, quibus in S. Litteris insigniuntur, ut ab Angelis desertoribus distinguantur. Illi enim dicuntur *Angeli electi* (5), *Angeli Domini* (6), *Angeli boni* (7), *Angeli lucis* (8), *Angeli coelorum*(9), *Angeli Dei*(10), *Angeli Christi* (11), *Conservi fidelium* (12). Angeli isti tempore probationis a iustitia non defecerunt, sed Deo subiecti et fideles permanserunt, ipsique per charitatem, quam elicuere, uniti fuerunt: in hoc Ss. Patres et Theologi omnes consentiunt. *S. Augustinus* docet, Angelos omnes ita conditos fuisse, ut *lux* essent, et Deum ac in Deo etiam creaturas cognoscerent: deinde Angelos convertisse se ad contemplandam sui aliarumque creaturarum excellentiam in propria natura, cognitione, quam S. Doctor appellat *respertinam:* tum Angelos sanctos in liberam Dei laudem charitatemque consurrexisse, et factum in eis *mane:* Angelos autem malos seipsis delectatos nequaquam laudibus et amore fuisse Deum prosecutos, sed in tenebras noctemque sese commutasse (13).

2. Angeli sancti vere meruerunt, quia in ipsorum agendi ratione omnes conditiones ad meritum requisitae inveniuntur. Ad meritum enim requiritur ex parte operantis, ut sit liber, viator, gratia sanctificante ornatus et gratia actuali adiutus; ex parte operis vero, ut sit bonum tum ratione obiecti, tum ratione finis. Ast Angeli

(1) L. de corrept. et grat. c. 10.
(2) 1, q. 62, a. 1. (3) L. 22 de Civ. D. c. 1.
(4) Brevil. P. 2, c. 7. (5) 1 Tim. 5, 21.
(6) Matth. 1, 20.
(7) 2 Mach. 11, 6, et c. 15, v. 23.
(8) 2 Cor. 11, 14. (9) Matth. 21, 36.
(10) Ps. 90, 11, et Ps. 148, 2.
(11) Matth. 24, 31. (12) Apoc. 19, 10, et 22, 9.
(13) Cf. Berti l. 10, c. 15.

sancti erant liberi, neque enim ex necessitate determinati erant ad alicuius actus sive speciem, sive exercitium, unde *S. Augustinus* (1) de Angelis dicit: « Aliis cadentibus per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt alii. » Angeli erant viatores, quia nondum ad visionem Dei beatificam pervenerant, sed, ut docet *S. Augustinus* (2), creati erant in beatitudine quadam naturali, « ut si per liberum arbitrium in veritate stetissent, summae beatitudinis plenitudinem tanquam praemium ipsius permansionis acciperent. » Angelos gratia sanctificante ornatos et gratia actuali praeditos fuisse, ex § praec. patet. Denique Angeli sancti perfectissimo charitatis actu se converterunt ad Deum, cuius infinitam excellentiam agnoverunt, cuius imperio se subiecerunt, cuius laudes celebrarunt: ergo Angeli vere meruerunt (3).

3. Angeli meruerunt augmentum gratiae sanctificantis et beatitudinem supernaturalem, quae posita est in intuitiva Dei cognitione. Si enim homo viator per actus supernaturalis ordinis augmentum gratiae sanctificantis meretur, etiam Angelis tale meritum denegari non potest. Praecipuum autem bonum, quod Angeli sancti meruerunt, est visio Dei beatifica. Summam hanc beatitudinem Deus voluit esse praemium virtutis (4), mercedem laborum (5), et finem ultimum, ad quem currendo, seu operando pervenire oportet (6); « unde relinquitur, concludit *S. Thomas* (7), quod tam homo, quam Angelus suam beatitudinem meruerint. » Accedit, quod nobilius sit summam beatitudinem habere per merita, quam titulo mere gratuito: unde maxime conveniens est, ut creaturae rationales excellentissimae, quales sunt Angeli, beatitudinem suam recte operando meruerint. Ss. Patres et Theologi idcirco communiter docent, Angelos summam beatitudinem promeruisse per suam fidelitatem, qua tempore probationis Deo per charitatem adhaeserunt: sic *S. Augustinus* (8) inquit: « Angeli sancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa mansuros » (9).

III. *De gloria Angelorum bonorum.*

§ 166. 1. Angeli beatitudinem, quam tempore probationis meruerunt, statim consecuti sunt: qua de re ita disserit *S. Thomas* (10): « Angelus post primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, statim beatus fuit: cuius ratio est: quia gratia perficit naturam secundum modum naturae, sicut et omnis perfectio recipitur in perfectibili secundum modum eius. Est autem hoc proprium naturae angelicae, quod naturalem perfectionem non per discursum acquirat, sed statim per naturam habeat, sicut supra (11) ostensum est. Sicut autem ex sua natura Angelus habet ordinem ad perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam. Et ita statim post meritum in Angelo fuit beatitudo consecuta. » Idipsum Christus docet, dum ait: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* (12); quae verba clare ostendunt, Angelos actu iam

(1) L. de correpl. et grat. c. 11.
(2) Ibid. c. 10. (3) Cf. Tournely q. 8. a. 1.
(4) 2 Tim. 2, 5. (5) Matth. 5, 12
(6) 1 Cor. 9, 24. (7) 1. q. 62, a. 4.
(8) L. de corr. et grat. c. 11.
(9) Cf. Billuart Diss. 4, a. 5.
(10) 1, q. 62, a. 5. (11) Q. 58, a. 3 et 4.
(12) Matth. 18, 10.

intuitiva Dei cognitione gaudere, in qua entium rationalium summa gloria et beatitudo consistit. Angelos sanctos felicissimam hanc sortem iam consecutos esse, patet etiam ex eo, quia dicuntur Deo *adsistere*(1), versari *in coelis*(2), cives *in coelesti Ierusalem* (3). Tanquam cives itaque Angeli sancti iam fruuntur ineffabilibus illis gaudiis, *quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum*(4). Ideo etiam de hominibus electis dicitur: *Aequales enim Angelis sunt* (5): loquitur hic Christus de conditione hominum proborum in vita futura, quae constanter describitur ut felicissima; cum igitur haec beata conditio illustretur per id, quod probi dicantur similes fore Angelis, hoc ipso asseritur, eos felicitate excellere. Quamobrem constans est Ss. Patrum et Theologorum doctrina, Angelos sanctos statim post probationis tempus, in quo se Deo fideles exhibuerunt, ad summam gloriam et beatitudinem pervenisse.

2. Angelorum sanctorum gloria et beatitudo aeterna est, nunquam defectura. Id colligitur ex citatis verbis Christi: *Angeli eorum in coelis semper* (in gr. διὰ παντὸς, i. e. in perpetuum) *vident faciem Patris* etc., ex qua loquendi formula merito concludimus, eos esse beatos absque metu amittendi felicitatem, qua sunt donati a Deo, positi extra periculum peccandi, exemptique quibuscunque miseriis. Nobis quoque talis beatitudo promissa est, quae idcirco *vita aeterna* (6), *immarcescibilis gloriae corona* (7), corona *incorruptibilis* (8) vocatur. Si autem homines sancti ad tam felicem statum perveniunt, in quo neque peccare, neque gloriam amittere possunt, hoc idem etiam dicendum est de statu Angelorum bonorum, cui status hominum electorum aequiparatur, cum de his Christus dicat: *Erunt sicut Angeli Dei in coelo*(9). — Cives regni coelestis beatitudinem suam amittere non posse, clarissime etiam eruitur ex parabola Christi de divite epulone damnato, ad quem Abraham ita loquitur: *In his omnibus inter nos, et vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*(10); quibus verbis immutabilis beatorum et damnatorum status aperte traditur. Recte ergo dicitur, Angelos neque peccare, neque gloria ac beatitudine excidere posse. Constans Ecclesiae sensus hoc idem confirmat. Censuit equidem *Origenes* post certas annorum revolutiones futurum, ut et Angeli boni peccarent, ac peccati merito in gehennam mitterentur, daemones vero poenitentiam agerent et ad felicitatem pervenirent: sed *S. Augustinus*, *S. Epiphanius*, et *Philastrius* opinionem Origenis inter haereses recensent, et ideo praecipue ab utraque Synodo IV et V haereseos notatur ille auctor. Angelos beatos impeccabiles esse, ratione theologica probat *S. Thomas* (11), dicens: « Angeli beati peccare non possunt; cuius ratio est, quia eorum beatitudo in hoc consistit, quod per essentiam Deum vident. Essentia autem Dei est ipsa essentia bonitatis. Unde hoc modo se habet Angelus videns Deum ad ipsum, sicut se habet quicunque non videns Deum ad communem rationem boni. Impossibile est autem, quod aliquis quidquam velit, vel operetur, nisi attendens ad bonum, vel quod velit divertere a bono in quantum huiusmo-

(1) Tob. 12, 15. Dan. 7, 10. (2) Marc. 12, 25.
(3) Hebr. 12, 22. (4) 1 Cor. 2, 9.
(5) Luc. 20, 36. (6) Matth. 25, 46.
(7) 1 Petr. 5, 4. (8) 1 Cor. 9, 25.
(9) Matth. 22, 30. (10) Luc. 16, 26.
(11) 1, q. 62, a. 8.

di. Angelus igitur beatus non potest velle, vel agere nisi attendens ad Deum: sic autem volens, vel agens non potest peccare. Unde Angelus beatus nullo modo peccare potest. » Et sane Angeli beati, quibus aeterna Veritas lucet, ab omni errore intellectus sunt immunes, Deumque ut summum ac infinitum bonum agnoscunt et amant: versantur ergo in statu, in quo nihil amplius ad agendum malum inclinare potest, sed visio intuitiva Dei, tanquam summi boni, eoipso, quod summum bonum omnia reliqua bona infinite superet, excludit et superat omnes boni minoris illecebras, et consequenter omnem etiam inclinationem ad peccatum: recte ergo Angeli impeccabiles dicuntur, et per consequens gloriam et beatitudinem suam amittere nunquam possunt (1).

Nota 1. Origenistarum errorem saeculo decimoquarto renovavit *Walterus Lolhardus*, e secta Fraticellorum, natione Hollandus, Coloniae anno 1322 haeresis causa combustus: is docuit, Luciferum cum daemonibus suis coelo iniuria pulsum esse, ac beatitudini tandem cum suis esse restituendum: Michaëlem vero et Angelos caeteros aeternis cruciatibus aliquando deputandos. Hinc, teste *Trithemio* in Chronico Hirsaug., cum Lolhardiani se mutuo salutarunt, dicebant: «salutat te iniuriam passus, » nimirum Lucifer. — *Episcopius* asseruit, Angelis bonis aeque mutabilem sanctitatem nunc adhuc competere, quae hominibus competit in hac vita. *Hugo Grotius* quoque hallucinatus est, dum dixit, contentiones ac partium studia inter Angelos bonos fervere, quod profecto admitti non potest, cum sint cives regni Dei, quod est *iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto* (2); et quia Angeli peccare non possunt, etiam contentiones, et iurgia fovere nequeunt. Neque obstat locus Dan. ubi Angelus bonus dicit: *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, et uno diebus* (3); nonnulli enim interpretes equidem per Principem hunc intelligunt Angelum bonum, regni Persarum custodem, qui, cum decreta divina ipsi nondum patefacta fuissent, diuturniorem Iudaeorum commorationem in Babylonia promovere conatus est, ut Persae ex commercio cum iisdem facilius ad veri Dei cultum perducerentur, qua in re non secus ac caeteri Angeli gloriam Dei et salutem animarum anhelavit: alii autem interpretes per Principem regni Persarum Angelum malum intelligunt, qui iniquis suggestionibus Regem Persarum a concedenda Iudaeis redeundi facultate retinere studuit. Quaecunque interpretatio adoptetur, nihil ex citato loco contra Angelorum impeccabilitatem desumi potest. Id quod dicitur Gal. I, 8, *Sed licet nos, aut Angelos de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis* etc. non ita accipi debet, quasi Angelus de coelo ad istiusmodi improbitatem deflectere possit; sed est locutio ducta ab impossibili.

Nota 2. Docent communiter Theologi cum *S. Thoma* (4), cognitionem et dilectionem naturalem in beatis Angelis remanere; sicut enim gloria non destruit, sed perficit naturam intellectualem, ita beatitudinis actus non destruit, sed perficit operationem naturalem. Quamvis ergo Angeli beati peccare non possint, haud tamen libertas ipsis deneganda, sed potius in gradu perfectiori attribuenda est, quia potentia ad peccandum non perfectio, sed defectio libertatis est. Ideo

(1) Cf. Tournely q. 9, a. 2, Wiest § 517.
(2) Rom. 14. 17. (3) Dan. 10, 13.

(4) 1, q. 62, art. 7.

S. Augustinus (1) dicit: « Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quae futura erat et homini, sicut et facta est Angelis sanctis merces meriti. » *S. Anselmus* (2) ait: « Liberior est voluntas, quae a rectitudine peccandi declinare nequit, quam quae illam potest deserere. » Et *S. Bernardus* (3) inquit: « Superior libertas consilii est, non posse peccare; inferior posse non peccare. » Itaque Angeli in statu beatitudinis maxime similes sunt Deo, qui simul impeccabilis et liberrimus est (4). Quamvis autem Angeli in declarato sensu liberi sint, Theologi tamen cum *S. Thoma* (5) docent, ipsos non posse actus meritorios pro vita aeterna ponere. « Certum est, ait *Tournely* (6), beatos Angelos non posse amplius in beatitudine proficere. Ratio est, quia iam sunt in termino, in quo nullum est meritum; aliunde vero cum Angeli sint a Deo ordinati ad gloriam, ab ipso etiam ordinati sunt ad modum gloriam hanc consequendi. » Deus namque sapientissimus creaturis suis finem praefigit, easque ad hunc per apta media dirigit, quae nonnisi propter finem applicantur. Finis ultimus Angelorum fuit ipse status beatitudinis, ad quem ut pervenirent in via constituti et gratia adiuti fuerunt: cum vero illum attigissent, media haud amplius applicantur, et ideo Angeli sancti, cum non sint viatores, mereri non possunt. Nam, ait *S. Thomas* (7), « mereri est eius, quod movetur ad finem... Ei autem, quod est in ultimo termino, non convenit moveri, sed mutatum esse. Unde charitatis imperfectae, quae est viae, est mereri: charitatis autem perfectae non est mereri, sed potius praemio frui. »

(1) L. de corrept. et grat. c. 11, n. 32.
(2) In dial. de lib. arbitr.

ARTICULUS IV.
De numero et classibus Angelorum bonorum.

§ 167. Cum ipsa Angelorum existentia ex sola ratione certo et evidenter probari non possit, multo minus ratio humana, sibi relicta, eorundem numerum et classes determinare valet. Maior difficultas pro ratione humana exurgit ex eo, quia ex Revelatione constat, aliquos Angelos, aliis deficientibus, in iustitia perseverasse. Cum etenim de facto supernaturali agatur, quis Philosophorum edicere poterit, quot Angeli Deo fideles permanserint, et quot rebelles extiterint? — Restat ergo, ut hac in re insufficientiam rationis humanae agnoscentes, ea cum reverentia colligamus, quae in S. Scriptura et Traditione 1° circa *numerum*, et 2° *classes Angelorum bonorum* nobis patefacta reperimus.

I. *De numero Angelorum bonorum.*

§ 168. 1. Maximam esse Angelorum bonorum multitudinem, S. Scriptura variis in locis insinuat. Iacob Angelos in tanto numero collectos vidit, ut diceret: *castra Dei sunt haec....* (8). Deus dicitur apparuisse in monte Sinai, *et cum eo sanctorum millia* (9) (seu *myriades*, ut habetur in graeco), quos sanctos esse Angelos, tum Versio LXX, tum *Stephanus* (10), tum Paulus (11) declarat. Legitur: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (12); quibus verbis, ut Theologi dicunt, non iam numerus Angelorum determinatur, sed solum per hanc loquendi formulam ingens eorundem

(3) De grat. et lib. arb. c. 7, n. 22.
(4) V. Staudenmayr t. 3, § 56.
(5) L. c. a. 9.
(6) De Ang. q. 9.
(7) L. c. ad 1.
(8) Gen. 32, 2.
(9) Deut. 32, 2
(10) Act. 7, 30 et 38.
(11) Gal. 3, 19, et Hebr. 2, 2.
(12) Dan. 7, 10.

multitudo indigitatur. — In N. T. nato Christo, *facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum* (1) etc., Christus affirmat, se a Patre *plusquam duodecim legiones Angelorum* (2) impetrare posse; legio autem ex quinque, aut sex millibus militum constare consuevit. Paulus memorat *multorum millium Angelorum frequentiam* (3). Ioannes dicit: *Et vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum: et erat numerus eorum millia millium* (4) etc., quibus verbis iterum haud numerus Angelorum determinatur, sed tantum ingens et omnem captum excedens ostenditur, quia a Graecis per formulam μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων incerta ac fere innumerabilis multitudo exprimi solet.

2. Ingentem esse Angelorum numerum, Ss. Patres quoque adseverant. *Iustinus M.* (5) et *Athenagoras* (6) testantur, Christianos magnam Angelorum et Ministrorum Dei multitudinem admittere. *Dionysius* (7) scribit: « Multi sunt superiorum mundo mentium beati exercitus, qui imbecillem, et contractam eorum, qui in materia cernuntur, et in usu nostro sunt, numerorum rationem excedunt. » — *S. Cyrillus Hier.* (8) docet, Angelos numero homines superare, « quantum terram, quae puncti instar est, coelorum ambitus exsuperat; unde dicitur: *Mille millia ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei*: non quod eo solo numero finiatur multitudo, sed quod ampliorem exprimere Propheta non potuerit. » *S. Chrysostomus* (9) ait: « Dena sunt millia myriadum Angelorum supra, et decies centena millia Archangelorum; item Throni, et Dominationes, et Principatus, et Potestates, et infiniti populi corpore carentium Virtutum, ac gentes innumerabiles; et tamen has omnes Virtutes tanta facilitate condidit, quantam sermo nullus assequi potest. » *S. Hieronymus* (10) inquit: « Quomodo si de situla stilla modica fluat, a portante negligitur, ita universa gentium multitudo supernis ministeriis comparata, ac Angelorum multitudini pro nihilo ducitur. » — Nonnulli ex Patribus opinati sunt, eam esse rationem multitudinis hominum ad Angelorum numerum, quae est unius ad nonaginta novem; quoniam id suadere videtur Parabola Matth. XVIII, 12, Luc. XV, 4. Hanc explicans *S. Hilarius* ait: « Ovis una homo intelligendus est, et sub homine uno universitas sentienda est; sed in unius Adae errore omne hominum genus aberravit. Ergo nonaginta novem non errantes multitudo Angelorum coelestium opinanda est, quibus in coelo est laetitia, et cura salutis humanae. » *S. Ambrosius* (11) inquit: « Dives igitur Pastor, cuius omnes nos centesima portio sumus, habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus reliquit; qui, quoniam sunt rationales, non immerito de hominum redemptione laetantur. » Eiusdem sententiae sunt *Gregorius Nyss.* (12), *Titus Bostr.* (13), et, teste *Theophylacto* (14), alii plures.

3. Non desunt Theologi, praecipue recentiores, qui etiam ex ratione maximum Angelorum numerum probare

(1) Luc. 2, 13. (2) Matth. 26, 53.
(3) Hebr. 12, 22. (4) Apoc. 5, 11.
(5) Apol. I. (6) Legat. c. 10.
(7) De coel. Hier. c. 14.
(8) Catech. 15, n. 29.
(9) Hom. de incompreh.
(10) Comment. in Isai. l. 11, c. 40.
(11) L. 7 in Luc. ad c. 15.
(12) L. 11 c. Eunom. (13) In Luc. 15.
(14) In Luc. 15, 4.

tentant. Aiunt enim, ex multitudine maxima entium materialium et visibilium a Deo productorum rectissime concludi ad ingentem numerum entium mere spiritualium et invisibilium, quae, utpote ratione praedita, specialiter ad Deum adorandum, et laudandum destinantur (1). Imo iam *S. Thomas* ostendere conatus est, maiorem esse Angelorum, quam omnium rerum materialium multitudinem; ait enim (2): « Cum perfectio universi sit illud, quod Deus praecipue intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata a Deo Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem, ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum multitudinem. Videmus autem, quod corpora incorruptibilia, quae sunt perfectiora inter corpora, excedunt quasi incomparabiliter secundum magnitudinem corpora corruptibilia. Nam tota sphaera activorum et passivorum est aliquid modicum respectu corporum coelestium. Unde rationabile est, quod substantiae immateriales excedant secundum multitudinem, substantias materiales quasi incomparabiliter. » — « Verum, ait *Berti* (3), haec ratio admodum lubrica est et incerta; tum quia rerum creatarum numerus a sola Dei voluntate dependet; tum etiam, quia, hoc posito fundamento, propagandi forent homines supra numerum lapidum, et arenarum. » Neque etiam opus est, ut entia spiritualia secundum multitudinem excellant, cum iam per ipsam naturae excellentiam materialia entia longe superent. Denique argumenta ex analogia petita plenam certitudinem parere nequeunt. Ratio ergo, sibi relicta, maximam Angelorum multitudinem vere demonstrare non potest.

Nota. Quamvis omnes Ss. Patres affirment, maximam esse Angelorum multitudinem, non tamen omnes admittunt, numerum eorundem esse hominum multitudine longe ampliorem. Sunt, qui putant, verba Christi: *aequales enim Angelis sunt* (4), quae de immortalitatis quidem dono et coelesti beatitudine hominum praedestinatorum accipienda sunt, etiam parem Angelorum sanctorum, beatorumque hominum numerum insinuare. Ita *S. Augustinus* (5) hunc locum interpretatur, dicens: « Hoc enim promissum est resurgentibus Sanctis, quando erunt aequales Angelis Dei. Ita superna Ierusalem mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, aut uberiore etiam copia fortasse regnabit. » Tradit consimilia (6), scribens: « Tantum populum per gratiam suam collegit, ut inde suppleat et instauret partem, quae lapsa est, Angelorum. » Futurum autem in gloria aequalem numerum hominum Angelorumque tradunt alii Patres, praesertim *Gregorius M.* (7): nec repugnat ratio, cum praedestinatio post Adae lapsum sit Dei beneplacitum eligens homines ad instaurandum numerum supernorum civium, unde Angeli apostatae ceciderunt, quod etiam *S. Anselmus* docet (8), et *S. Isidorus* (9). Quot vero Angeli lapsi sint, incertum quidem est, sed tamen minores fuisse stantibus, sequi videtur ex Apoc. XII, 4: *et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum*. Haec enim verba licet de eximiis viris proferantur, qui in ex-

(1) Dobmayr t. 4, § 118. Staudenmayr § 59.
(2) I, q. 50, a. 3.
(3) L. 10, c. 5.
(4) Luc. 20, 36.
(5) Enchir. c. 29.
(6) L. 22 de Civ. D. c. 1.
(7) Hom. 34 in Evangelia.
(8) In lib. cur. Deus homo c. 18.
(9) De summo bono c. 52.

trema persecutione ad ambitum terrenae gloriae inbiabunt, alludunt tamen, ut cum Victorino docent interpretes, ad superborum Angelorum ruinam, qui non arithmetice, sed proportione quadam pars stellarum tertia appellantur. — Quod si homines praedestinati saltem tertiam partem Angelorum constituunt, (quam, iuxta aliquos, exaequant, aut etiam excedunt); ex altera vero parte homines reprobi in maiori numero inveniuntur (1); admitti profecto non potest, numerum Angelorum hominum multitudine longe et incomparabiliter ampliorem esse. Neque id, ut vult *Estius*, ex eo evincitur, quia S. Scriptura de Angelorum numero cum insolita emphasi loqui consuevit; nam cum eadem emphasi etiam de hominibus electis dicitur: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat* (2). Certum ergo est, maximum esse Angelorum numerum, sed proportio inter horum et hominum multitudinem certo determinari non potest (3).

II. *De classibus Angelorum bonorum.*

§ 169. Quoniam in mundo materiali entia multiplicia videmus, variis perfectionis gradibus inter se distincta; ipsa ratione duce concludimus non solum possibile, sed et verisimile esse, quod etiam in mundo spirituali variae gradationes dentur, et quod Angeli per varios dignitatis, aut perfectionis gradus inter se distinguantur (4). Talem distinctionem, quam ratio sibi relicta neque vere demonstrare, neque declarare valet, realiter admittendam esse, in S. Scriptura et Traditione edocemur. In hisce Revelationis fontibus indigitantur *novem* Spirituum coelestium *chori* seu *ordines*, nimirum *Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim* et *Seraphim*. Ex his novem choris consistit *coelestis Hierarchia*, seu sacer principatus; quamvis nonnulli inter Angelos tres Hierarchias statuant, quarum cuilibet tres choros assignant.

1. Novem esse Angelorum choros, ex ipsa S. Scriptura colligitur, in qua totidem distinctis nominibus Angeli insigniuntur. Nominantur enim *Seraphim* (5), *Cherubim* (6), *Throni* (7), *Dominationes, Principatus, Potestates* (8), *Virtutes* (9), *Archangeli* (10) et *Angeli* passim in Bibliis sacris. — Equidem *Erasmus*, et *Th. Beza* negant, in citatis locis (11) de Angelorum choris sermonem fieri, sed solum affirmari contendunt, Christum omnes res creatas, quomodocunque potentes et sublimes, gloria et potestate superare; quam sententiam probare conantur ex eo, quia iisdem nominibus, quae ibi occurrunt, praecipue in regno Persarum, ministri regis; proceres imperii, et magistratus provinciarum insigniri consueverunt. Sed haec ratio nullius est momenti: nam saepe in S. Scriptura ad explicanda invisibilia, seu coelestia, nomina ex rebus visibilibus et terrenis mutuantur, ut illa ab hominibus facilius intelligi queant. Itaque quamvis admittendum esset, quod tamen non solide probatur, memoratas denominationes praecipue apud Persas in usu fuisse, nullatenus tamen sequeretur, sub iisdem choros Angelorum intelligi non posse. Imo de his Paulum loqui patet tum ex contextu, tum ex fine Pauli, qui divinam Christi dignitatem ex eo ostendere voluit, quod super omnes Angelos excelsus sit, quos etiam o-

(1) Matth. 20, 16. (2) Apoc. 7, 9.
(3) Cf. Berti l. 10, c. 5.
(4) V. Klee de Ang. § 8, n. 3. Staudenmayr § 59. (5) Is. 6, 2 et v. 6.
(6) Gen. 3, 24. Ezech. 10, 3 et
(7) Col. 1, 16. (8) Col. 1, 16. et Eph. 1, 21.
(9) Eph. 1, 21. (10) 1. Thess. 4, 16. Iud. v. 9.
(11) Col. 1, et Eph. 1.

mnes creavit. Idem confirmat locus parallelus (1), in quo *Angeli*, *Principatus*, et *Potestates* invicem iunguntur. Rem conficit traditio, ex qua authentica Scripturae interpretatio petenda est, et quae in citatis Pauli verbis distinctos Angelorum choros agnovit.

2. Ss. Patres passim distinctos Angelorum choros commemorant, quamvis, quomodo isti inter se differant, se nescire fateantur. Sic *S. Irenaeus* (2) inquit: « Dicant nobis, quae sit natura invisibilium, enarrent numerum Angelorum et ordinem Archangelorum, demonstrent Thronorum sacramenta, et doceant diversitates Dominationum, Principatuum, Potestatum atque Virtutum: » quo in loco, si Seraphim et Cherubim, quorum in Scripturis loculenta fit mentio, reticentur, non ideo a S. Patre negantur. *Origenes* (3) aliquot Angelorum ordines commemorat, et (4) « Angelos, Tronos, Dominationes, Principatus et Potestates » enumerat. *S. Athanasius* (5) omnes novem Angelorum ordines refert (6), illos specie, et οὐσίᾳ invicem differre docet, et (7) aliquod discrimen assignat, dicens: « Quemadmodum discrimen ordinum in supernis virtutibus agnovimus, ita et stationis et cognitionis. Throni quidem, et Seraphim et Cherubim immediate a Deo discunt, tanquam superiores omnibus et Deo propinquiores. Hi porro docent inferiores ordines. Infimus autem est ordo Angelorum, qui et hominum sunt magistri. » *S. Basilius* (8) Thronos, Dominationes, Principatus et Potestates, Seraphim, Angelos et Archangelos ordines esse dicit, qui faciem Patris aspiciunt: et (9) praefatis choris Virtutes adiungit. — Eosdem fere choros recenset *Gregorius Naz.* (10), et Gregorius Nyss. (11) sequentes enumerat: « Potestates, Dominationes, Thronos, Principatus, Virtutes, Seraphim, Cherubim et Ministri, » quorum nomine recte Angeli et Archangeli intelliguntur. *S. Cyrillus Hier.* contra Arianos, aeternam Filii generationem explorare studentes (12), ita loquitur: « Thronos et Dominationes, quae Christi opera sunt, et Principatus et Potestates ignorantes, horum conditorem curiosius indagare student.. Dic mihi prius, homo audacissime, quid Thronus a Dominatione differat, et tunc, quae ad Christum pertinent, inquire. Dic mihi, quid sit Principatus, quid Virtus, quid Angelus, et tunc Factorem ipsum curiose perquire. » *S. Chrysostomus* (13) novem ipsos ordines nominatim appellat, dicens: « Si ad invisibiles virtutes venias, et animum intendas ad Angelorum exercitus, Archangelorum, coelestium Virtutum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Cherubim, Seraphim; quae mens, quaeve oratio ad eloquendam inexplicabilem ipsius magnitudinem par esse possit? » — *S. Augustinus* (14) scribit: « Esse Sedes et Dominationes, Principatus et Potestates credo, et differre aliquid indubitata fide teneo. Sed quaenam ista sint, et quid inter se differant nescio. » *S. Cyrillus Alex.* (15) inquit: « Numero quidem maiorem spirituum beatorum multitudinem condidit, et ordinem iis, quae condiderat, optimum assignans, alium vocavit Principatum, alium Do-

(1) Rom. 8, 38. (2) L. 2 adv. haer. c. 54.
(3) L. 1 de Princ. c. 5, et l. 4, c. Cels.
(4) Lib. 6. (5) Ep. ad Serap.
(6) Orat. 3 c. Arian.
(7) L. de commun. essent.
(8) L. de Sp. S. c. 16. (9) Hom. de fide.
(10) Sub finem Orat. 34.
(11) Hom. 15 in Cant. (12) Catech. 11.
(13) Hom. 4 in Gen.
(14) L. ad Oros. seu c. Priscill. c. 10.
(15) In Paschal. epist. 12.

minationem, alium Thronum, quosdam item Archangelos, nec non Angelos. » Denique insignis est *S. Gregorii M.* locus (1), dicentis: « Novem Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Seraphim. Esse namque Angelos et Archangelos, pene omnes sacri eloquii paginae testantur. Cherubim vero, atque Seraphim saepe, ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus ad Ephesios enumerat, dicens: *super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem*. Qui rursus, ad Colossenses scribens, ait: *Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates:*... Dum ergo illis quatuor, quae ad Ephesios dixit, —coniunguntur Throni, quinque sunt ordines, qui specialiter exprimuntur; quibus dum Angeli et Archangeli, Cherubim atque Seraphim adiuncta sunt, procul dubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur. » Plura alia loca Patrum refert *Petavius* (2).

3. Quamvis plures Patres cum *S. Augustino* fassi sint, se nescire, quomodo Angelorum ordines inter se differant; non defuerunt tamen, qui tale discrimen explicare conati sunt. Praeivit his *Dionysius* (3), qui Angelos sanctos in tres Hierarchias, et quamlibet Hierarchiam in tres ordines, seu choros dispescit. Per *Hierarchiam* intelligit multitudinem ordinatam sub unius sacri Principis gubernatione; *ordo* vero seu *chorus* est hierarchiae angelicae gradus unus, conveniens in hierarchiae suae communi modo illuminationis, distinctus vero secundum officia diversa.—Discrimen inter Hierarchias petitur ex modo, quo Angeli illuminantur, seu cognitiones recipiunt; et quia talis modus triplex est, ideo etiam *tres* distinguuntur *Hierarchiae*, nempe *suprema*, quae immediate a Deo recipit illuminationes, illasque transmittit Angelis secundae Hierarchiae; *media*, quae divinas illuminationes immediate recipit ab Angelis primae Hierarchiae, easque transmittit Angelis tertiae Hierarchiae; *infima*, quae divinas illuminationes recipit ab Angelis secundae Hierarchiae, easque transmittit hominibus. In prima Hierarchia, Seraphim, Cherubim et Throni censentur; in secunda, Dominationes, Virtutes et Potestates; in tertia, Principatus, Archangeli et Angeli. Propius autem isti novem Angelorum chori a Theologis ita explicari solent:

I. Seraphim ab igne nomen accipiunt, tum quia divini amoris ardore fragrant ipsi, caeterasque in se proprietates ignis quantum in spiritibus locus iis est, exprimunt, tum quia inferiores spiritus eodem calore succendunt et luce sua collustrant, ut fuse exponit *Dionysius* (4). Idcirco a *S. Chrysostomo* « ignea ora, » a *S. Cyrillo Alex.* (5) « calefacientes, » a *S. Gregorio M.* (6) « ardentes » vel « incendentes » nuncupantur.

II. Cherubim ita appellantur, quia eminenti scientia praediti sunt, quam et aliis communicant: ipsorum nomen, iuxta *Dionysium* « profusionem sapientiae, vel scientiae, » iuxta *S. Augustinum* (7), *Gregorium M.* et *Bernardum* « plenitudinem scientiae, » iuxta *Origenem* (8) et *S. Hieronymum* (9) « multitudinem scientiae, » iuxta *S. Chrysostomum* (10), « multiplicatam scientiam » significat.

(1) Hom. 34 in Evang.
(2) De Ang. l. 2, c. 1. (3) L. de coel. Hier.
(4) L. c. cap. 7 (5) L. 2 in Is. (6) Hom. 24.
(7) In Ps. 79 (8) Hom. 5, in Num.
(9) In c. 28, Ezech. (10) Hom. 3, c. Anom.

III. Throni speciales sunt ipsis inhabitantis Dei sedes; hinc pax et securitas, qua fruuntur, et quam aliis communicant: ita enim vocantur, ait *S. Bernardus*, inde « quod sedent, et ex eo sedent, quod sedet in eis Deus: » quam sessionem interpretatur «summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem, quae exsuperat omnem intellectum»(1).— Sed *Gregorius M.*, *S. Isidorus*, et alii sic appellatos putant, « quod in eis Dominus sedeat, et per eos sua iudicia decernat, sive quibus ad exercenda iudicia semper Deus omnipotens praesideat. »

IV. Dominationes sic dicuntur, quia in eis maxime elucet supremum in res creatas dominium, dominatumque exercent in inferiores Angelos, tanquam in subditos; illi enim, uti *S. Bernardus* (2) dicit, inferioribus quinque ordinibus « adeo supereminent, ut respectu horum caeteri videantur omnes administratorii spiritus, et ad istos, tanquam ad dominos referantur regimina principatuum tutamina potestatum, operationes virtutum, revelationes Archangelorum, curam et providentiam Angelorum. »

V. Virtutes sic dicuntur, quia maxima virtute et fortitudine pollentes causas universales movent, et « per eos signa et miracula frequentius fiunt, » ut aiunt *S. Gregorius*, *S. Isidorus*, *S. Bernardus* et alii.

VI. Potestates ita nuncupantur, quia potestatem Creatoris participantes potestates infernales cohibent, efficiuntque, ne hominibus noceant, uti praefati Ss. Patres docent.

VII. Principatus nomen ex eo gerunt, quia primi sunt, et veluti principes et duces in executione, « eorumque, ut ait *S. Bernardus*, moderamine et sapientia omnis in terra principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. »

VIII. Archangeli dicuntur, qui mysteriorum divinorum conscii, nonnisi magnis et praecipuis de causis ad illa nuntianda mittuntur.

IX. Angeli denique vocantur, qui minora annuntiant; uti *S. Gregorius M.* observat, dicens: « qui minima nuntiant, Angeli qui vero summa annuntiant, Archangeli vocantur » (3).

Nota 1. Numerus novem ordinum Angelorum, quem Scripturae et Patres insinuant, absque magna temeritate repudiari non potest. Sed non eadem certitudine pronuntiari potest, quomodo sibi succedant, et qua ratione inter sese distinguantur. In ipsa S. Scriptura talia occurrunt, quae declaratae Angelorum dispositioni adversari videntur. *Cherubim* dicitur missus *ad custodiendam viam ligni vitae* (4), et *Seraphim* (5) volavit ad Prophetam, ut hunc a peccato emundet: e contra Archangelus Raphaël dicit: *Ego sum unus ex septem, qui adstamus ante Dominum* (6), et legitur: *Ecce Michaël, unus de principibus primis* (7), i. e. *supremis*, ut legunt Hebraei. Etiam Ss. Patres in disponendis Angelorum choris non ubique conveniunt. *S. Irenaeus* (8) post Angelos et Archangelos ponit Thronos, et ultimo loco Virtutes. *S. Chrysostomus* (9) Cherubinos anteponit Seraphinis. *S. Gregorius M.* quoque a dispositione Dionysii aliquatenus recedit, quia Principatus ponit in medio Dominationum et Potestatum; Virtutes vero in medio Potestatum et Archangelorum. Seraphinos ad infimos ordines

(1) L. 5 de Consid. c. 4
(2) L. 5 de Consid. c. 4.
(3) Cf. S. Thom. 1, q. 108, a. 5 et 6 Petav. de Ang. l. 2, c. 3 et 4.
(4) Gen. 3, 24. (5) Is. 6, 6.
(6) Tob. 12, 15. — Cf. Apoc. 1. 4.
(7) Dan. 10, 13. (8) L. 11, c. 54.
(9) Hom. 3 de incompr.

pertinere asserit vetus Syrorum et Maronitarum traditio, ut constat ex ritu ordinationis Archipresbyteri et Presbyteri ap. *Morinum* (1). — Ex his liquet, Deum in Revelatione sua circa ea, quae coelestem Hierarchiam concernunt, nobis certas et perfectas cognitiones communicare haud voluisse: nullatenus autem ideo ea contemnere licet, quae viri doctrina et sanctitate conspicui, ad novem Angelorum ordines nobis aliquo modo explicandos conscripserunt (2).

Nota 2. Guillelmus Parisiensis asserit, omnes eiusdem hierarchiae Angelos luce, gratia, dignitate pares esse: itaque *Seraphim*, ex. gr., non esse Cherubinis ardentiores, neque hos sapientiores illis, neque *Thronos* ab ambobus illis utravis dote vinci, aut eos vicissim potestatis quadam excellentia superare, sed omnes inter se tam natura, quam ornamentis gratiae et gloriae pares esse. Quod autem ab insigni charitate et ardore nomen illi habeant, isti a sapientia, aliunde alii, causam comminiscitur eiusmodi, quam *appropriationem* vocant, secundum quam uni de Trinitate personae tanquam proprium aliquid inscribitur, quod ex aequo convenit tribus, velut Spiritui sancto bonitas, aut charitas, Filio sapientia, Patri potentia (3). Sed, iuxta *S. Thomam*, Angeli supernaturalia dona gratiae et gloriae receperunt secundum quantitatem suarum perfectionum naturalium, ita ut quo fuerunt natura perfectiores et superiores, eo plus gratiae et gloriae receperint. Non sic tamen, quasi naturales Angelorum perfectiones fuerint dispositiones ad gratiam et gloriam (quod Pelagianum esset dicere): sed quod Deus gratuito et ex mero beneplacito voluerit servare quamdam proportionem inter naturalia Angelorum et sua dona supernaturalia, maiorem gratiam tribuens perfectioribus in naturalibus, minorem minus perfectis. Nam, ait S. Doctor (4), « Deus per ordinem suae sapientiae diversos gradus in angelica natura constituit. Sicut autem natura angelica facta est a Deo ad gratiam et beatitudinem consequendam, ita etiam gradus naturae angelicae ad diversos gradus gratiae et gloriae ordinari videntur. Ut puta, si aedificator lapides polit ad construendam domum, ex hoc ipso, quod aliquos pulcrius et decentius aptat, videtur eos ad honoratiorem partem domus ordinare. Sic igitur videtur, quod Deus Angelos, quos altioris naturae fecit, ad maiora gratiarum dona et ampliorem beatitudinem ordinaverit. » Et quia gratia divinitus collata in Angelis sanctis obstaculum non invenit, « ideo rationabile est, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius et efficacius ad Deum sint conversi. Hoc autem etiam in hominibus contingit; quia secundum intentionem conversionis in Deum datur maior gratia et gloria. Unde videtur, quod Angeli, qui habuerunt meliora naturalia habuerunt plus de gratia et gloria. » Hanc *S. Thomae* sententiam communiter Theologi sequuntur, neque ab ea alieni sunt Ss. Patres. Nam *S. Basilius* (5) dicit: « Coelorum virtutes iuxta portionem, qua se invicem superant, a Spiritu sancto habent sanctificationis mensuram. » *S. Io. Damascenus* (6) ait: « Per Verbum Angeli omnes creati sunt, ac per Spiritus sancti sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt, ita tamen, ut pro sua quis-

(1) De S. ordinat. p. 2.
(2) Cf. Bert. l. 10, c. 18.
(3) V. Petav. l. c. cap. 5, n. 8.

(4) 1, q. 62, a. 6.
(5) De Spir. S. c. 16.
(6) L. 2 de Fide c. 3.

que dignitate et classe luminis, gratiaeque participes sint. »

Nota 3. *Origenes* opinatus est, omnes Angelos aequales creatos fuisse, et pro meritorum diversitate diversos gradus adeptos, imo vero in eodem ordine pro meritorum differentia magis vel minus honorata functione donatos esse (1). Idem sensisse videtur *S. Hieronymus*, qui (2) scribit: « Sine causa diversitas nominis est, ubi non est diversitas meritorum. Archangelus utique aliorum minorum est Angelorum Archangelus; et Potestates, et Dominationes habent aliqua super quae exerceant potestatem, et in quae subiecta dominentur. » Sed *Theophilus Alex.*, *S. Maximus*, et alii opinionem Origenis recte impugnarunt, quia in Christo *condita* dicuntur *visibilia* et *invisibilia*, *sive throni*, *sive dominationes*, *sive principatus*, *sive potestates: omnia per ipsum*, *et in ipso creata sunt* (3): ex quibus verbis inferendum est, angelicorum ordinum distinctionem ab ipsa creatione repetendam esse: attamen *Petavius* (4) ait, sententiam *Origenis* « non puto, erroris, nedum haeresis posse damnari. »

Nota 4. Inter scholasticos, quaestio mota est, utrum omnes Angeli sint unius, aut diversae speciei? — *Thomistae* propugnarunt, omnes Angelos, sive eiusdem, sive diversi sint ordinis, specie inter se differre; quia in ipsis distinctio, quae ex materia repeti nequit, consistit in forma, seu in ipsa essentia; et cum haec simplex sit, postulat diversitatem speciei. *Scotistae* voluerunt, omnes Angelos, sive eiusdem, sive diversi sint ordinis, esse eiusdem speciei, soloque numero differre; quamvis etiam per varias dotes naturales et supernaturales inter se distinguantur quod etiam in entibus materia expertibus non repugnat, quia etiam animae humanae a corpore solutae, licet unius speciei, tamen inter se differant. Pro hac sententia citari etiam solent Ss. Patres; nam *S. Basilius* (5) inquit: « Angeli, ut appellationis unius, sic et naturae omnino sunt eiusdem invicem: » *S. Augustinus* (6) eandem omnibus Angelis naturam seu essentiam tribuit, dicens: « Ex eo, quod est, spiritus est; ex eo, quod agit, Angelus est; » *S. Io. Damascenus* (7) ait: « Angeli et homines suam quique divisam et distinctam habent hypostasin, etsi eiusdem naturae sint; » *S. Cyrillus Alex.* (8) scribit: « Angelus ab altero Angelo nulla re differt secundum id, quod sunt Angeli... cum sint omnes eiusdem speciei. » *S. Gregorius Nyss.* (9) ait: « Qui dicit naturarum differentias in numeratis a Paulo nominibus indicari, seipsum seducit; nam appellationes istae non naturarum differentias, sed coelestis militiae varias functionum, muneris et operationum proprietates demonstrant. » Habent similia *S. Maximus* (10), *Paschasius* (11), *Gelasius* (12). Patres ergo in eam sententiam propendent, quae affirmat Angelos discrepare ab invicem tantummodo accidentaliter, sive gradu, ordine ac dignitate. Ast etiam pro contraria sententia Patres citari solent; nempe *S. Hieronymus*, qui (13), de Angelis disserens, inquit: « Inter invisibiles creaturas multiplex est et infinita diversitas: » idem docent *S. Dionysius* (14), *S. Augustinus* (15), *S. Anselmus* (16).

(1) L. 1 de Princ. c. 6 et 8.
(2) L. 2, c. Iovin.
(3) Col. 1, 16
(4) L. 2, c. 5, n. 6.
(5) L. 3 c. Eunom.
(6) In Ps. 103.
(7) L. de duabus volunt.
(8) L. 2 in Ioann.
(9) L. 6, c. Eun.
(10) De Hier. Eccl. c. 5.
(11) L. 2 de Spir. S.
(12) L. adv. haer. Pelag.
(13) L. 2 c. Iovin. c. 15.
(14) De coel. Hier. c. 5.
(15) In Enchir. c. 29
(16) L. 2 cur Deus homo c. 21.

Idcirco nonnulli inter praefatas duas sententias media via incedentes affirmant, alios quidem Angelos, qui eiusdem sunt ordinis, eiusdem etiam esse specificae naturae; alios vero, qui diversorum sunt ordinum, etiam natura seu specie differre. — Nulla ex his sententiis ad fidem spectat; sed in tanta opinionum diversitate certa ab incertis discernenda sunt. Certum sane est, omnes Angelos esse naturas spirituales, finitas, hominibus praestantiores; imo et omnes esse *administratorios spiritus* (1), ut Paulus dicit. Certum pariter est, Deum, pro sua omnipotentia et infinita sapientia, plurimas, imo innumeras Angelorum species producere potuisse; sed eodem modo divinae omnipotentiae denegare non licet, quod efficere potuerit, ut etiam sub eadem specie plures Angeli dentur solo numero differentes: hoc quoque, teste *Estio* (2), contra aliquos Thomistas fere omnes Doctores defendunt. Tota quaestio ergo ad hoc reducitur, an Deus *voluerit* ita creare, ut omnes sint unius eiusdemque naturae, seu speciei, vel an *voluerit* tot Angelorum species producere, quot sunt Angeli, aut quot sunt eorundem ordines? — Ratio humana, sibi relicta, hoc liberrimum decretum divinum cognoscere non valet; et cum certa Revelatio hac de re non habeatur, optime sane procedunt, qui nulli ex declaratis sententiis subscribunt, sed hac in re ignorantiam suam fatentur. Hanc ipse *S. Augustinus* (3) candide profitetur, et *S. Io. Damascenus* (4) ait: « Soli Deo, qui Angelos fecit, pro certo comperta est Angelorum inter se substantialis differentia; utrum scilicet secundum substantiam sint aequales, an differentes. » — Illicitum tamen non est rationi, ut praesentem quaestionem ex analogia aliquo modo dilucidare conetur. In mundo visibili non solum plurimas creaturarum materialium species cernimus, sed etiam observamus, unius quoque et eiusdem speciei individua non solo numero, sed et aliis modis ita inter se differre, ut vix duo entia perfecte aequalia reperiantur: sic inter maximam hominum multitudinem duae facies omnino aequales non dantur. Ex hac mira rerum diversitate divina omnipotentia et sapientia maximopere elucet. Haud ergo improbabile est, etiam in mundo invisibili miram diversitatem dari, et etiam Angelos, licet unius sint naturae, seu speciei, tamen non solo numero, sed variis aliis modis nobis incognitis inter se distingui. Audiendus est *S. Thomas*, qui, de hac quaestione disserens (5), ait: « Ille, qui perfecte cognoscit res aliquas, potest usque ad minima et actus, et virtutes, et naturas earum distinguere. Qui autem cognoscit eas imperfecte, non potest distinguere nisi in universali: quae quidem distinctio fit per pauciora. Sicut qui imperfecte cognoscit res naturales, distinguit earum ordines in universali, ponens in uno ordine corpora coelestia, in alio corpora inferiora inanimata, in alio plantas, in alio animalia. Qui autem perfectius cognosceret res naturales, posset distinguere et in ipsis corporibus coelestibus diversos ordines, et in singulis aliorum. Nos autem imperfecte Angelos cognoscimus, et eorum officia, ut Dionysius dicit (6). Unde non possumus distinguere officia et ordines Angelorum nisi in communi, secundum quem modum multi Angeli sub uno ordine continentur. Si autem perfecte cognosceremus offi-

(1) Hebr. 1, 21. (2) 2 sent. dist. 3, § 2.
(3) Enchir. c. 58.
(4) L. 2, c. 3 de fide orth.
(5) 1. q. 108, a. 3. (6) C. 6 coel. Hier.

cia Angelorum et eorum distinctiones, perfecte sciremus, quod quilibet Angelus habet suum proprium officium et suum proprium ordinem in rebus, et multo magis quam quaelibet stella, etsi nos lateat. » — Insipidum est, inter Angelos differentias negare, quia ab intellectu nostro limitato non intelliguntur: parum autem refert, an specificae dicantur, an accidentales (1).

ARTICULUS V.

De ministeriis, seu officiis Angelorum bonorum.

§ 170. Ut finis sapientissimus cognoscatur, ad quem Angeli creati, et excellentissimis dotibus ornati fuerunt; considerare oportet ministeria, seu officia, quae illis *erga Deum*, *erga Christum*, *erga se invicem*, *et erga homines* incumbunt.

1. Quia *universa propter semetipsum operatus est Dominus* Prov. XVI, 4, absque dubio etiam Angeli ad nobilissimum hunc finem destinati sunt. Primarium ergo, et praecipuum ipsorum officium est, ut Deum agnoscant, adorent, laudent, ament, eiusque voluntati obsequantur. Idcirco Angeli in S. Bibliis frequenter ad Deum adorandum et laudandum provocantur: *Adorate eum omnes Angeli eius* (2). *Benedicite Domino omnes Angeli eius..., benedicite Domino omnes virtutes eius* (3). *Laudate eum omnes Angeli eius; laudate eum omnes virtutes eius* (4). *Benedicite Angeli Domini Domino, laudate, et superexaltate eum in saecula* (5). Hoc officium Angeli, Deum videntes et eius amore flagrantes, promptissime exequuntur. Idcirco legitur: *Ubi eras..... cum me laudarent simul astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei* (6)? - *Seraphim... clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius* (7). De iisdem Seraphim similiter dicitur: *Requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est* (8). *Omnes Angeli stabant in circuitu throni..... et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes, Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum, Amen* (9). — Angeli porro perfectissimum suum erga Deum amorem eo praecipue commonstraut, quod Deo tanquam fidelissimi ministri serviant, eius voluntati penitus subiecti, eiusque mandata promptissime exequentes. Dan. de Angelis dicit: *Millia millium ministrabant ei* (10). Angeli nominantur *potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius... ministri eius, qui facitis voluntatem eius* (11). Christus docet nos orare: *Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra* (12); vult nempe divinus Redemptor, ut voluntas divina tam prompte et perfecte impleatur ab hominibus in terra, prout adimpletur ab Angelis in coelo. Et sane - cum Angeli, Deo fruentes, a bono deficere, seu peccare non possint (§ 166), officia quoque sua exactissime adimplent. *S. Hilarius* (13) ait: « In coelo omnes Angeli in meditatione iustificationum Dei sunt; nihil illic otiosum, nihil iners est; omnes virtutes coelestes in opere ministerii sui permanent: alii assistentes Deum indefessa voce col-

(1) Cf. Billuart de Ang. Diss, 2, a. 5. Tournely q. 2, a. 3 Berti l. 10, c. 4.
(2) Ps. 96, 8.
(3) Ps. 102, 20 et 21.
(4) Ps. 148, 2.
(5) Dan. 3, 58.
(6) Iob 38, 7.
(7) Is. 6, 3.
(8) Apoc. 4, 8.
(9) Ib. 7, 11, 12
(10) Dan. 7, 10.
(11) Ps. 102, 20 etc.
(12) Matth. 6, 10.
(13) In Ps. 118, n. 8 et 9.

laudant, alii ante conspectum Dei tanquam lege officii proprioris assistunt. » *S. Gregorius Nyss.* affirmat (1): « Non aliam esse Angelorum occupationem, quam laudare Deum, a qua, ait (2), non cessant etiam dum suo angelico praesidio homines circumsepiunt. » *S. Augustinus* (3) de Angelis dicit: « Ea voluntate, qua magis Deum, quam se diligunt, firmi et stabiles manent in illo, et fruuntur maiestate illius, et uni libentissime subditi. » Idem (4): « Illi (Angeli) in illo (Deo) veritatem incommutabilem vident, et secundum eam suas dirigunt voluntates. Fiunt ergo illi participes aeternitatis, veritatis, voluntatis eius semper, sine tempore et loco. Moventur autem eius imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto. Nec ita, ut ab eius contemplatione resiliant, aut defluant; sed simul et illum sine loco ac tempore contemplantur, et eius in inferioribus iussa perficiunt, moventes se per tempus, corpus autem per tempus et locum, quantum eorum congruit actioni. » *Theodoretus* (5) inquit: « Ministerium Angelorum hymnorum decantatio est... divinis dispensationibus ministrant. Sed (6) illorum linguae non sensu, sed intelligentia percipiuntur, per quas et universorum Deum laudant et inter se colloquuntur. »

2. Quamvis Filius Dei naturam humanam, angelica inferiorem, assumpserit, nihilominus Angeli etiam Verbum incarnatum adorare ipsique servire obligantur. Hanc obligationem Angelis iniunctam fuisse, patet ex Hebr. I, 6: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit: et adorent eum omnes Angeli Dei* (7): *In nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum:* per genuflexionem hic summus latriae cultus intelligitur; sub nomine autem coelestium absque dubio Angeli, qui sunt in coelo, comprehenduntur. — Angelos sanctos Filio Dei incarnato debitum honorem et cultum praestare, S. Scripturae testantur. Iam in illius nativitate, *Subito facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (8). Postquam Christus ieiunaverat, et daemoniacam tentationem superaverat, *Ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei* (9). Sicut humilem nativitatem (10), ita etiam gloriam resurrectionis (11), et triumphum ascensionis Christi (12) Angeli pervulgarunt. Iidem tanquam ministri comitabuntur Filium hominis, cum ad iudicandum *venturus est in gloria Patris sui* (13).—Imo Angelos Verbum incarnatum continuo laudare, testatur *S. Ioannes*, dicens: *Vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni..... et erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem* (14).

3. De regno Dei, cuius cives sunt Angeli, Apostolus dicit: quod sit *iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto* (15). Secundum *iustitiam*, Angeli Deum super omnia diligunt, et propter Deum etiam omnes eiusdem creaturas secundum dignitatem na-

(1) Hom. in Ps. 7 (2) Hom. 7 in Cant.
(3) De vera Rel. c. 13.
(4) De Gen. ad litt. l. 8, c. 24.
(5) L. 5 de haeret. fab. a. 7.
(6) Epist. ad Orient c 12. (7) Phil. 2, 10.

(8) Luc. 2, 13-14. (9) Matth. 4, 11.
(10) Luc. 2, 10 etc.
(11) Matth. 28, 5 etc. Io. 20, 12.
(12) Act. 1, 10 etc. (13) Matth. 16, 27.
(14) Apoc 5, 11-12. (15) Rom. 14, 17.

turae, quam possident, aestimant atque amant. Dubitari ergo non potest, quod Angeli se invicem ob excellentes, quas a creatore acceperunt dotes, maxime aestimant et amant. Inde oritur *pax* inter ipsos summa, concordia, harmonia et unitas mentium per quam, ut loquitur *S. Gregorius Naz.* (1), sacrosanctam Trinitatem imitantur, huiusque imagines efficiuntur. Nulla ergo inter ipsos invidia, nulla dissensio locum habet, sed quilibet Angelus sicut de propriis, ita et de aliorum excellentiis Dei bonitatem adorans laetatur, et sic habet *gaudium in Spiritu sancto.* — Neque negari potest, Angelos etiam erga se invicem ministeriis fungi. Nam, ait *S. Thomas* (2), « Omnes creaturae ex divina bonitate participant, ut bonum, quod habent, in alia diffundant. Nam de ratione boni est, quod se aliis communicet. Et inde est etiam, quod agentia corporalia similitudinem suam aliis tradunt, quantum possibile est. Quanto igitur aliqua agentia magis in participatione divinae bonitatis constituuntur, tanto magis perfectiones suas nituntur in alios transfundere, quantum possibile est. Unde B. Petrus monet eos, qui divinam bonitatem per gratiam participant, dicens: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei* (3). Multo igitur magis sancti Angeli, qui sunt in plenissima participatione divinae bonitatis, quidquid a Deo percipiunt, subiectis impertiuntur. Non tamen recipitur ab inferioribus ita excellenter, sicut est in superioribus. Et ideo superiores semper remanent in altiori ordine, et perfectiorem scientiam habentes: sicut unam et eandem rem plenius intelligit magister, quam discipulus, qui ab eo addiscit. » Cum *S. Thoma* consentiunt communiter Theologi docentes, Angelos inferiores a superioribus, non autem hos ab illis illuminari. Equidem omnes Angeli *semper vident faciem Patris,* seu Dei substantiam clare et intuitive cognoscunt, et quoniam ea nonnisi tota et integra, tum per se, ac nullius interventu videri potest; nihil ad hanc notitiam superiores Angeli conferre possunt inferioribus, uti *S. Thomas* (4) observat. Quare tota illuminandi functio circa opera divina versatur, quorum rationes non in ipsa Dei essentia continentur, sed ab eo discunt, qui, quibus vult, ac quemadmodum vult, ista significat. Nam Beati, uti Deum ipsum plene ac perspicue contemplantur, sic divina opera, quae non necessario ex ipso profluunt, sed ab eo libere procreantur, non omnia, neque ex aequo intuentur omnes, sed pro cuiusque merito, ac Dei voluntate cum plura, tum evidentius alii aliis intelligunt. « Rationes, ait *S. Thomas* (5), divinorum operum, quae in Deo cognoscuntur sicut in causa, omnes quidem Deus in seipso cognoscit, quia seipsum comprehendit; aliorum vero Deum videntium tanto unusquisque in Deo plures rationes cognoscit, quanto eum perfectius videt. Unde superior Angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoscit, quam inferior, et de his eum illuminat. » Et sicut Angeli superiores lumina sua iuxta voluntatem Dei promptissime communicant, ita Angeli inferiores haec libentissime recipiunt (6).

4. Dantur etiam munera, quae Angeli erga homines obire debent, quia

(1) Or. 6, n. 13.
(2) 1, q. 106, a. 4.
(3) 1 Ep. 4, 10.
(4) 1, q. 106, a. 1 ad 1.
(5) L. c.
(6) Cf. Petav. de Ang. l. 2, c. 4. Staudenmayr § 63.

Deus ipsis utitur tanquam ministris ad hominum salutem promovendam. Fusius de hac Angelorum custodia agendum est. Ut autem doctrina catholica hac de re rite intelligatur, duas propositiones caute distinguere oportet. *Prima* in genere dicit, curam de hominibus a Deo Angelis quoque demandari, atque ideo ad ipsorum ministeria et officia etiam pertinere, ut hominibus opem ferant: haec propositio est dogma catholicum, fide divina credendum. *Altera* in specie pronuntiat, singulis hominibus singulos Angelos deputari: haec propositio non est dogma, et ad fidem non spectat, quamvis sat solidis argumentis fulciatur. Utramque propositionem singillatim probare oportet.

I. *Angeli ad custodiam hominum a Deo destinati sunt.*

§ 171. Custodia angelica non est nisi applicatio efficax et libera maiorum, quibus Angeli boni gaudent, virium ad promovendum hominis bonum et finem creationis ultimum. — Tantum abest, ut doctrina de tali custodia absurdi quid contineat, aut contradictionem quamdam involvat, ut potius ab ipsa ratione non solum ut possibilis admitti, sed etiam ut convenientissima approbari debeat. Et sane - *possibilitas* custodiae angelicae in dubium vocari nequit: *logica* quidem patet inde, quod in conceptu repugnantes sibi invicem notae non coniungantur, *physica* autem ob maiores Angelorum, quae angustis adeo terminis non coarctantur, vires manifesta est (§ 161); et si homo homini in corporalibus et spiritualibus necessitatibus opem ferre potest, cur Angeli, maiori *potentes virtute* (1) id praestare non poterunt? *moralis* denique ex eo innotescit, quod custodia angelica, cum tota ad promovendum bonum morale et physicum tendat, fini ultimo non repugnet, sed istum potius promoveat. Et certe talis custodia est convenientissima *Deo*, qui, licet unico omnipotentiae suae nutu omnia in momento producere possit, tamen in rerum gubernatione causis intermediis utitur ad effectus, quos vult producendos, quamobrem omnino conveniens et sapientiae divinae congruum est, ut etiam nobilissimis suis creaturis, i. e. Angelis utatur ad fines a se prefixos promovendos (2): praeterea Deus per talem custodiam paternam erga homines bonitatem manifestat, ut egregie observat Catechismus romanus (3), dicens: « Ut parentes, si infesta et periculosa via filiis iter faciendum sit, custodes adhibent et periculorum adiutores; sic coelestis parens in hoc itinere, quo ad coelestem patriam contendimus, singulis nobis proposuit Angelos, quorum ope ac diligentia tecti, furtim paratos ab hostibus laqueos vitaremus... iisque ducibus rectum iter teneremus. » Custodia pro hominibus impensa, est etiam convenientissima ipsis *Angelis*, qui, ut ait *S. Thomas*, bonum, quod habent, libenter in alios diffundunt (§ praec. n. 3), et ardenti studio flagrant imitandi Deum, qui plurima beneficia in homines confert, et perfecta charitate repleti nihil vehementius desiderant, quam gloriam Dei et hominum, futurorum aliquando concivium, perfectionem et salutem promovere. Denique eadem custodia angelica convenientissima est *homini*, qui se infirmum, multis necessitatibus obnoxium, et ab inimicis stipatum agnoscens per supernum auxilium a malo arcetur, e periculis eripitur, in confidentiam erigitur, ad bonum incitatur, et sic fa-

(1) Ps. 102, 20. (2) Staudenmayr § 64.

(3) P. 4, c. 9 q. 4.

cilius finem suum consequitur. — Quamvis autem ex his reflexionibus ratio custodiam angelicam non solum ut possibilem, sed ut convenientissimam agnoscat; realis tamen ipsius existentia, quae a liberrima Dei voluntate dependet, ex divina Revelatione, nimirum ex *S. Scriptura*, *et traditione* probanda est.

1. Deum Angelis curam de hominibus demandasse, apertissime constat ex Ps. XC, 11-13, ubi de homine, qui habitat in adiutorio Altissimi, dicitur: *Angelis suis* Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,* quibus verbis tum maxima Angelorum sollicitudo, tum efficacia auxilii ab ipsis praestiti graphice exprimitur. Hebr. I, 14 de Angelis dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis?* Ad homines ergo, quos Filius Dei *excelsior Angelis*, redemit, protegendos, et custodiendos Angeli quoque tanquam ministri Dei mittuntur. Testimonia haec per multa exempla, in S. Bibliis relata, confirmantur. Quovis enim tempore Angeli varia beneficia hominibus contulerunt. Praeter illa quae § 155, n. 1 enumerata sunt, sequentia recenseri merentur. *Iacob* Angeli subsidio a multis periculis liberatus fuit, quod ipse fatetur, dicens: *Angelus eruit me de cunctis malis* (1). Angelorum ministerio Israëlitis lex data dicitur; ait S. Stephanus: *Accepistis legem in dispositione Angelorum* (2). Eidem populo per desertum itineranti Deus Angelum tanquam ducem et protectorem dedit, dicens: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi* (3). Huius Angeli praecipuum officium esse, bonas suggerere cogitationes ad prosecutionem boni, et fugam mali, patet ex mandato divino: *Observa eum, et audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris* (4). Ex historia Tobiae patet, Angelos coërcere daemones, ne hominibus noceant; nam comes Tobiae *Raphaël Angelus apprehendit daemonium, et religavit illud in deserto* (5). Idem liber testis est, Angelos hominum orationes Deo offerre; dixit enim Raphaël: *Ego obtuli orationem tuam Domino* (6). *Iudith* ex Ethnicorum castris reversa, gratias egit Deo pro custodia angelica, dicens: *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus eius, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem; et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari* (7). Angelus *Danielem* in lacu leonum, et tres pueros in fornace ignis protexit (§ 161, n. 13). Angeli *duo Machabaeum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant; in adversarios autem tela, et fulmina iaciebant* (8). — In N. T. Angelus(9), Iosepho dubiis agitato, revelat mysterium incarnationis, eundem monet(10), ut cum Iesu et Maria in Aegyptum fugeret, et ut, defunctis persecutoribus, in patriam rediret (11). Angeli animas iustorum a corpore solutas ad coelum deducunt, dicente Christo: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae* (12). In consummatione saeculi *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio iusto-*

(1) Gen. 48, 16.
(2) Act. 7, 53. — Cf. Gal. 3, 19, Hebr 2, 2.
(3) Ex. 23, 20. — Cf. Ex. 14, 19, 32, 34, Num. 20, 16.
(4) Ex. 23, 21.
(5) Tob 8, 3.
(6) Tobiae 12, 12.
(7) Iudith. 23, 20.
(8) 2 Mach. 10, 30. — Cf. ib. c. 11, v. 6-8.
(9) Matth. 1, 20.
(10) Matth. 2, 13.
(11) Matth. 2, 19 etc.
(12) Luc. 16, 22.

rum (1). Haec et multa alia exempla satis clare ostendunt, Deum Angelis tamquam ministris uti ad hominibus beneficia conferenda, et ad curam de illis gerendam (2).

2. Argumentum biblicum confirmatur per traditionem. Nam semper, et ubique, et ab omnibus creditum est, Angelos ad custodiam hominum deputari. *S. Cyprianus* (3) ait: « Angelos in omnibus actionibus nostris fautores habemus. » *Origenes* (4) docet, Angelos « adiuvare contendentes ad salutem, et Deum invocantes, eorum preces ad Deum deferre in coelum per unicum Pontificem summo Deo. » *S. Hilarius* (5) inquit: « Angeli ad Ecclesiae defensionem vigilant, » et (6) addit: « Fidelium orationibus praeesse Angelos, absoluta auctoritas est, et orationes nostras quotidie Deo offerunt. » *S. Basilius* (7), de Angelis loquens, docet, « Sanctas virtutes spirituales in coelesti loco diversantes alias dici oculos, quod concreditum sit eis munus nos inspiciendi, alias aures, quod nostras preces excipiant. » *S. Gregorius Naz.* (8) asserit: « Angelos nos in bonis operibus adiuvare. » *S. Ephraem* (9) testatur, « Angelos et Sanctos pro nobis Deum deprecari. » *S. Gregorius Nyss.* (10) ait: Angeli post obitum « animas ducunt ad locum refrigerii, ubi quietis est aqua in sinu Ss. Patrum. » *S. Cyrillus Hier.* (11) dicit, Angelos « libro inscribere, qui puritatis propositum concipiunt, et qui stuprum perpetrant ex eo delere. » *S. Ambrosius* (12) inquit: « Mittit Angelos suos Dominus ad defensionem eorum, qui haeredes futuri sunt promissorum coelestium. » *S. Augustinus* (13) haec loquitur: « Angeli beati sunt, et de tanta beatitudine, quia in illa sunt civitate Ierusalem coelesti, unde nos modo peregrinamur, adtendunt nos peregrinos, et miserantur nos; et iussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus, et ibi cum illis fonte Dominico veritatis et aeternitatis aliquando saturemur. Idem (14) scribit de Ecclesia triumphante: Haec in sanctis Angelis beata persistit, et suae parti peregrinanti sicut oportet opitulatur, quia utraque una erit consortio aeternitatis, et nunc una est vinculo charitatis, quae tota instituta est ad colendum Deum » (15). — Constans est ergo Ss. Patrum doctrina, quod Angeli quamvis Deum videntes ineffabili felicitate fruantur, tamen Deo ipso volente, de hominibus curam gerant, et ad eorundem custodiam deputentur.

Nota. Angeli, dum vires agendi in terra exerunt, a Deo *mitti* dicuntur. - Sic duo Angeli, qui venerunt Sodomam, dixerunt: *Dominus misit nos* (16). Raphaël dicit: *Tempus est ergo ut revertar ad eum, qui me misit* (17). Ait Christus: *Mittet Filius hominis Angelos suos* (18). — *Missus est Angelus Gabriel* (19) etc. — Quaestio mota est inter scholasticos, utrum omnes Angeli mittantur? — *S. Thomas*, innixus auctoritati *Dyonisii* (20) ac *S. Gregorii M.* (21), docet, tres ordines primae Hierarchiae, et primum secundae Hierarchiae nunquam mitti, quoniam isti quatuor ordines solum ad Deum colendum et laudandum de-

(1) Matth. 13, 49. (2) Cf. Dobmayr l. 5, § 125, Staudenmayr § 68.
(3) Ep. 78. (4) C. Cels. l. 8.
(5) In Ps. 121, n. 4.
(6) In Matth. c. 18, n. 5.
(7) In Ps. 33, n. 11. (8) Or. 40.
(9) De loc. beat.
(10) In vita S. Macr. (11) Catech. 1, n. 24.
(12) In Ps. 118, Serm. 1, n. 9.
(13) Enarr. in Ps. 62. (14) Enchir. c. 56.
(15) Cf. ib. c. 57-61, et l. 10 de Civ. Dei c. 7.
(16) Gen. 19, 13. (17) Tob. 12, 20.
(18) Matth. 13, 41. (19) Luc. 1, 26.
(20) De coel. Hier. c. 7, et 13.
(21) Hom. 8, in Ez. et Hom. 34 in Evang.

stinantur, missionem ergo tantum ad quinque inferiores choros pertinere: idem sentiunt *S. Bonaventura*, *Richardus a S. Victore*, et communiter Thomistae. Sed *Scotus*, *Durandus*, *Tournely*, et multi alii Theologi docent, omnes Angelos mitti. Nam dicitur: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi* (1) etc. Deus collocavit *Cherubim* (2) ante portam Paradisi. *Seraphim* (3) volavit ad Prophetam, ut eius labia purgaret. *Raphaël* (4), qui ad Tobiam missus fuerat, dicit, se esse unum ex septem, qui astant ante thronum; ex quo recte infertur, etiam illos mitti, qui proxime Deo adsistunt. *Michaël*, qui ab Ecclesia vocatur princeps, et primas coelestis exercitus, et dicitur: *Unus de principibus primis* (5), etiam missus perhibetur, cum ibidem dicatur: *Venit in adiutorium meum* etc. *Omnes Angeli* (6) dicuntur venturi cum Christo ad iudicium, et quidem causa ministerii. quod colligitur ex loco parallelo: *Messores autem Angeli sunt... mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent* (7) etc. Omnes Angelos mitti, docent *S. Athanasius* (8), *S. Chrysostomus* (9), *S. Hieronymus* (10), *S. Ambrosius* (11), *S. Bernardus* (12), et alii Patres, quos citat *Petavius* (13). Ex allatis rationibus haec secunda sententia probabilior est, sed tamen non de fide certa; ideoque errat *Gersonius*, qui priorem sententiam haereticam appellat. Hacc quoque S. Scripturae aperte contraria dici non potest, quia etiam in ista admittitur, de omnibus Angelis dici posse, quod mittantur; distinguunt enim *Thomistae* missionem ad aliquod exterius ministerium *immediatam*, in qua missus per se ipsum opus exequitur, et *mediatam*, vi cuius quis imperio suo movet alium ad opus exequendum: illam Angelis quinque inferiorum ordinum; hanc vero Angelis superiorum Ordinum adscribunt. et sic loca S. Scripturae citata declarant, in quibus e. g. Seraphimo adscribitur, quod hic per inferiorem Angelum fecit (14).

II. *Quilibet homo habet suum Angelum Custodem.*

§ 172. Haec propositio, quamvis ad fidei dogmata non pertineat, solidis tamen argumentis ex *Scriptura* et *Traditione* petitis probatur.

1. In Psalmo XC homines ad confidentiam in Deo reponendam excitantur. In hunc finem paterna Dei charitas et sollicitudo etiam ex eo ostenditur, quod ipsi Angeli hominibus ut custodes dati fuerint. Dicitur enim v. 11 etc.: *Angelis suis Deus mandavit de te; ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Quibus verbis mandatum Dei ad Angelos, ut hominem *in omnibus viis*, i. e. quovis loco et tempore custodiant, tum obsequium Angelorum, qui maxime sollicitam de homine curam gerunt, ac demum fortitudo hominis ita protecti contra gravissima pericula exprimitur. - Exempla quoque de peculiaris Angeli custodia iam in V. T. reperiuntur. *Agar* enim Angelum habuit, qui (15) eam monuit, ut ad dominam suam reverteretur, qui (16) ei Ismaëlis nativitatem et fata praedixit, et ipsi (17) siti cum puero langueuti fontem aquae ostendit. Iacob filiis Iosephi benedi-

(1) Hebr. 1, 14. (2) Gen. 3. (3) Is. 6.
(4) Tob. 12. (5) Dan. 10, 13.
(6) Matth. 25, 31. (7) Matth. 13, 39-41.
(8) Or. 3, c. Arian. (9) In Ep. ad Hebr. c. 1.
(10) Ep. 142 ad Damas
(11) L. 1, de Spir. S. c. 10.
(12) Serm. de S. Benedicto. (13) L. 2, c. 6.
(14) Cf. Billuart D. 8, a. 2.
(15) Gen. 16, 9. (16) Ib. 11 etc.
(17) Gen. 21, 17, etc.

cens Angelum suum invocavit, dicens: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis* (1)... *Iudith* (2) se per Angelum, a Deo sibi deputatum, a periculis ereptam fuisse testatur. Christus, ut homines a parvulorum seductione deterreat, ait: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* (3): ideo ergo Christus parvulos nec contemnendos, nec seducendos esse docet, quia comites et custodes habent Angelos, qui non dicerentur *Angeli eorum*, nisi peculiariter pro ipsorum custodia deputati essent. — Dari Angelos custodes, hominibus peculiariter deputatos, iam aevo Apostolico creditum est. Cum enim liberatus e carcere Petrus ad domum, ubi fideles erant congregati, pulsaret, et ancilla nuntiaret, adesse Petrum, fideles *dicebant*: *Angelus eius est* (4), quod iis in mentem venire nisi ex communi fide non potuit.

2. De peculiari Angelorum custodia etiam Patres frequenter loquuntur. Sic *Origenes* (5) ait: « Ipsi (Angeli) procurationem animarum nostrarum tenent, quibus, dum adhuc parvuli sumus, velut tutoribus et actoribus committimur: » idem (6) scribit: « Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris, qui in coelis est. » *S. Gregorius Thaumat.* (7), debitas Angelo suo tutelari gratias agit, quod a primo ortu sui curam gesserit, et inter alia beneficia ipsum ad Origenis cognitionem et magisterium duxerit. *Eusebius Caes.* (8) e Scriptura didicisse nos ait, « Angelum unicuique ad custodiam divinitus datum. » *S. Basilius* (9) dicit: « Quod autem unicuique fidelium adsit Angelus tanquam paedagogus aliquis et pastor, vitam gubernans, nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis: *Videte, ne contemnatis*, etc. » Idem (10), ad haec verba: *Et dominabuntur eorum recti in matutino*, inquit: « Unicuique fidelium affixus est Angelus, dignus, qui Patrem, qui in coelis est, videat: » et, beneficia huius Angeli explicans (11), ita disserit: « Quemadmodum enim urbium muri, in circuitu omni ex parte circumducti, undecumque hostium assaltus arcent; ita etiam Angelus et praemunit a fronte, et a tergo custodit, nec quidquam incustoditum relinquit » (12). *S. Hilarius* de Angelis ita loquitur (13): « fidelibus cunctis assistunt, » et (14) « praesertim adversus spirituales nequitias; » et (15) « neque infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam Angelis, tot tantisque spiritualium coelestium nequitiis obsisteret. » *S. Ambrosius* (16) inquit: « Mittit Dominus Angelos suos ad defensionem eorum, qui haeredes futuri sunt promissorum coelestium: » idem (17) scribit: « Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt. » *S. Chrysostomus* (18), exponens verba Christi: *Angeli eorum*, etc., ita concludit: « Hinc manifestum est, quia omnes Sancti Angelos habent: » idem Hom. 7 de

(1) Gen. 48, 16. (2) 13, 20.
(3) Matth. 18, 10. (4) Act. 12, 15.
(5) Hom. 8 in Gen.
(6) Hom. 20 in Num. n. 3.
(7) Orat. prosphonetica, quam habuit in Origenem, n. 4
(8) L. 13 praep. evang. (9) L. 3 c. Eunom.
(10) Hom. in Ps. 48.
(11) Hom. in Ps. 33, n. 5.
(12) Cf. in Is. 5. (13) In Ps. 137, n. 5.
(14) In Ps. 65, n. 13. (15) In Ps. 134, n. 17.
(16) Serm. 1 in Ps. 33, n. 9.
(17) L. de viduis c. 9, n. 55.
(18) Hom. 59 in Matth.

laud. Pauli inquit: « Ab omnium Domino Angelum ad cuiusque custodiam esse deputatum, sicut ait unus ex iustis: *Angelus, qui eruit me a iuventute mea* (1); » hinc infert: « Multo magis his, quibus totius orbis cura commissa est, taliumque donorum onera portantibus virtutes adsunt supernae. » *S. Augustinus* (2) pro certo statuit, Angelos « nos adiuvare pro sua sublimitate, dum obtemperant Deo, qui pro nobis etiam unicum Filium suum dignatus est mittere. » *S. Hieronymus* (3), exponens verba Christi Matth. XVIII, 10, exclamat: « Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum: » quod iterum repetit (4), exponens ea verba: *Neque dicas coram Angelo: non est providentia* (5), scribit: « Non enim in ventum dicta transeunt, sed a praesente Angelo, qui unicuique adhaeret comes, statim perferuntur ad Dominum. » *S. Io. Damascenus* (6), ait: « Angelis res nostras gubernant, ac nobis opem ferunt: » idem in Eclogis citat *Methodium*, qui asserit ex Scripturis constare, « unumquemque curatoribus Angelis committi, » et *Didymum*, qui docet, « Sanctos a lucidis Angelis custodiri, improbos autem a tenebricosis. » A *S. Gregorio Naz.* (7) Angeli nuncupantur « Ecclesiae inspectores, hominum praesides, custodes, paedagogi ac morum gubernatores. » *S. Anselmus* (8) pronuntiat: « Unaquaeque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur. » *S. Bernardus* (9) inquit: « Putemus, Angelos dici, qui singuli singulis hominibus dati sunt. » Idem (10) ait: « Si fidem consulas, ea tibi angelicam probat praesentiam non deesse... Adsunt igitur (Angeli), et adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam pro te. Adsunt, ut protegant; adsunt, ut prosint » (11).

Nota 1. Quid praestent Angeli custodes, et in quem usum hominibus in tutelam a Deo sint dati, eleganter more suo describit *Petavius* (12), qui ait, unicuique suum esse comitem custodemque Angelum, « qui illius sospitatis, educationis, vitae tótius ac sempiternae praesertim salutis curam gerat, qui daemonum insidias et imminentia undique pericula propulset, animos ad virtutem faciat, timidos confirmet, moerentes recreet, laborantes adiuvet, lapsos erigat, opportuna monita suggerat, orantibus adsistat, et eorum preces offerat Deo; postremo qui perfunctos huius vitae casibus post obitum excipiat, et ad beatorum societatem transferat. » Haec omnia per exempla et dicta S. Scripturae, ac per Ss. Patrum testimonia ita confirmantur, ut dubitare nobis non liceat, plurima nobis ab Angelis custodibus beneficia conferri, quamvis persaepe illorum conscii non simus. Recte idcirco *Catechismus romanus* (13) ait: S. Litterae « testantur, saepe Dei benignitate factum esse, ut inspectantibus hominibus Angeli mirabiles res efficerent, quibus moneremur, innumerabilia eius generis, quae sub oculos non caderent, a custodibus nostrae salutis Angelis effici utiliter et salutariter. » — Peculiaris Angelus custos homini probabilius non in utero materno existenti, sed statim in nativitate deputatur: nam, ait *S. Thomas* (14): « Puer, quamdiu est in materno utero, non est totali-

(1) Gen. 48, 16. (2) L. 83 qq. q. 67, n. 7.
(3) Comment. in Matth. l. 3.
(4) In cap. 1 Habac. et in c. 5 Ecclesiastes.
(5) Eccl. 5, 5. (6) L. 2 orth. fid. c. 3.
(7) Or. 32. (8) In Elucidar. l. 2, c. 37.
(9) L. 5 de Consid. c. 4, n. 8.
(10) Serm. 12 (al. 16) in Ps. 90.
(11) Cf. Pelav. l. c. c. 7. (12) L. c. n. 7.
(13) P. 4, c. 9, q. 5.
(14) 1, q. 113, art. 5 ad 3.

ter a matre separatus, sed per quandam colligationem est quodammodo adhuc aliquid eius, sicut et fructus pendens in arbore est aliquid arboris. Et ideo probabiliter dici potest, quod Angelus, qui est in custodia matris, custodiat prolem in matris utero existentem. Sed in nativitate, quando separatur a matre, Angelus ei ad custodiam deputatur, ut *S. Hieronymus* dicit. » Quaeritur etiam, utrum Angeli doleant de peccatis hominum, sicut (1) dicuntur gaudere de conversione peccatoris? — *S. Thomas* (2) respondet negative, quia dolor est de his, quae sunt contra voluntatem. Cum autem Angeli habeant suam voluntatem in omnibus divinae voluntati conformem, nihil accidere potest contra eorum voluntatem. Equidem non volunt peccata et mala hominum secundum se, approbant tamen voluntatem Dei ea permittentis et vindicantis. Si legitur: ***Angeli pacis amare flebunt*** (3), id intelligendum est de nuntiis salutis, de praedicatoribus veritatis, qui flent pro peccatis hominum, vel si Angelis adplicatur, « tunc, ait S. Doctor (4), metaphorica erit locutio ad designandum, quod Angeli volunt in universali hominum salutem: sic enim Deo et Angelis huiusmodi passiones attribuuntur. » Quaestionem: utrum Angelus custos quandoque deserat hominem? ita solvit *S. Thomas* (5): « Respondeo dicendum, quod custodia Angeli est quaedam executio divinae providentiae circa homines facta. Manifestum est autem, quod nec homo, nec res aliqua totaliter divinae providentiae subtrahitur. In quantum enim aliquid participat de esse, in tantum subditur universali providentiae entium. Sed in tantum Deus secundum ordinem suae providentiae dicitur hominem derelinquere, in quantum permittit, hominem pati aliquem defectum vel poenae, vel culpae. Similiter etiam dicendum est, quod Angelus custos nunquam totaliter dimittit hominem, sed ad aliquid interdum eum dimittit, prout scilicet non impedit, quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, — secundum ordinem divinorum iudiciorum. Et secundum hoc Babylon (6), et domus Israël (7) ab Angelis derelictae dicuntur, quia Angeli earum custodes non impediverunt, quin tribulationibus subderentur. »

Nota 2. Quemlibet hominem suum habere peculiarem Angelum custodem, non est dogma ad fidem pertinens. Fatendum enim est, nullam esse hac de re Ecclesiae definitionem; quamquam ubi de electis, iustis atque etiam fidelibus agitur, adeo concors est Ss. Patrum consensus, ut saltem sine maxima temeritate negari nequeat, eorum singulis Angelos custodes datos esse. Non ita fortasse res certa est de infidelibus et reprobis; nam etiam *Origenes* (8) refert, suo tempore duplicem hac de re fuisse opinionem; alii enim dicebant, unicuique hominum adesse Angelum custodem a tempore nativitatis, alii dumtaxat, — post baptismum. Insuper etiam aliqui Patres id adserunt de omnibus hominibus, alii vero videntur id restringere ad fideles, alii ad solos iustos, vel electos. Opinio tamen hanc Angelorum custodiam singulis hominibus sine exceptione tribuens, « communis modo est inter Theologos: » ita loquitur P. *Gazzaniga* (9), et cum ipso consentiunt C.

(1) Luc. 15, 10. (2) L. c. art. 7.
(3) Is. 33, 7. (4) L. c. ad 1. (5) Ib. a. 6.
(6) Ierem. 51, 9. (7) Is. 5, 5.

(8) Hom. 6 in Matth.
(9) T. 4 de Ang. diss. 1 c. 15.

Estius, *Iuenin*, *Wiest*, *Liebermann*, etc. — Quamvis autem omnes homines Angelorum custodia gaudeant, et praecipue iusti et electi; id tamen dici non potest de Christo, cui ministrabant Angeli, non vero ipsum custodiebant; Christus etenim etiam ut homo immediate regebatur a Verbo Dei, unde non indigebat custodia Angelorum. Quidam excipiunt etiam B. Virginem; sed cum non esset omnipotens, nec beata, licet confirmata in gratia, non videtur ratio denegandi ipsi custodem ex Angelis praestantissimum, qui et eam sua praesentia recrearet et ministerio iuvaret (1). Communior est etiam Christianorum opinio, Patrum sententiis innixa, non singulis tantum hominibus, sed regnis quoque, provinciis et nationibus peculiares Angelos praepositos esse. Nam in Daniele c. X duorum Angelorum fit mentio, quorum alter Persarum, alter Graecorum imperio praeerat, et Michaëlis, qui populi Iudaici princeps vocatur: ibi enim v. 13 Princeps regni Graecorum sic Danielem allocutus est: *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michaël, unus de Principibus primis venit in adiutorium meum, et ego remansi ibi iuxta regem Persarum*. Ideo *S. Basilius* (2) ait de Angelis disserens: « Ex iis alii quidem praefecti sunt Gentibus, alii vero cuique fideli adiuncti comites sunt. » Similia habent *Origenes* (3) et *S. Ambrosius* (4). — *Theodoretus* (5) inquit: « Cuique genti proprium Angelum praeesse affirmat Scriptura. » *S. Hieronymus* (6) scribit: « Quatuor ventos coeli, quatuor arbitror angelicas Potestates, quibus principalia regna commissa sunt iuxta illud, quod Deut. XXXIII legimus: *Quando dividebat Altissimus terram iuxta numerum Angelorum Dei:* » quae verba ad illud saltem valent, ut quae S. Hieronymi, et illorum temporum opinio fuerit, ostendant. Equidem textum ex Deuteronomio citatum Vulgata aliter, et hebraeo textui magis consentanee ita interpretatur: *Quando separabat filios Adam iuxta numerum filiorum Israël:* confirmat autem sententiam nostram si non ipse textus, at certe LXX interpretum auctoritas, et Patrum plurimorum, qui eos secuti sunt, assensus (7).

Nota 3. Iam Gentilium animis persuasio insita erat, genios hominibus ad tutelam praesidiumque adiunctos esse. Id crediderunt *Chaldaei*, *Aegyptii*, *Graeci et Romani* (8). Etiam veteres Philosophi idem docuerunt. *Platonis* hanc fuisse doctrinam, testatur *Clemens Alex.* (9). *Stoicos* eandem sententiam propugnasse, testis est *Seneca*, qui (10) scribit: « Unicuique nostrum paedagogum dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe deos. Ita tamen hoc seponas volo, ut memineris, maiores nostros, qui crediderunt hoc, stoicos fuisse. Singulis enim - Genium - dederunt. » Referri etiam merentur verba *Epicteti* (11); « Tutorem unicuique assignavit Deus singulorum genium, et huic ipsum custodiendum tradidit, et quidem eiusmodi, qui neque dormiat, neque falli possit. Nam cui tandem alteri praestantiori ac sollicitiori custodi unumquemque nostrum committeret? Itaque quando ianuas occluseritis et tenebras intus induxeritis, memento te, uti nunquam vos solos esse dicatis;

(1) Cf. Billuart de Ang. diss. 8, a. 3.
(2) L. 3 c. Eunom. n. 1.
(3) Hom. 20 in Num. (4) L. 2 in Luc.
(5) Quaest. 3 in Gen. (6) In c. 7 Danielis.
(7) Cf. Petav. l. cit. c. 8.
(8) V. Wiest § 477. (9) L. 5 Strom.
(10) Epist. 110.
(11) Ap. Arrian. diss. l. 1 c. 14

non enim estis soli, sed Deus intus est et vester genius.» — Dubitandum non est, Gentiles hanc de geniorum custodia persuasionem ex vetustissima traditione accepisse; sed haec eadem persuasio, quae etiam ethnicis Philosophis communis erat, ostendit, rationem humanam non solum nihil absurdi in doctrina de custodia angelica invenire, sed hanc convenientissimam agnoscere. Constantem, et universalem fuisse Christianorum de custodia Angelorum persuasionem, testimonia Patrum evincunt. Etiam Novatores plerique hac in re nobiscum consentiunt. *Lutherus* (1) palam professus est, quemlibet infantem natum habere suum Angelum. Ex *Arminianis* idem tuetur *Hugo Grotius* (2). Ex *Socinianis* propugnat *Wolzogenius* (3) proprium, et peculiarem cuivis Angelum. Verum *Calvinus* (4) asserere ausus est: «Falsum est illud commentum, suum cuique singularem Angelum esse» At vero Calvini sectatores plures, deserto magistro suo, Catholicorum sententiam adoptarunt. Nostro autem aevo rationalistae, ut *Kant, Eichhorn, Wegscheider, Ammon, Schleiermacher*, etc., doctrinam de Angelorum custodia nulli solido argumento innixam pronuntiant, aut etiam ut absonam cavillantur. Horum argutiis ne quis decipiatur, praecipuas saltem difficultates, quae contra Angelorum custodiam moventur, solvere decet.

Obi. I. Certum est, in S. Bibliis hincinde homines Angelorum nomine insigniri. Ergo etiam per Angelos, per quos beneficia praestita fuisse leguntur, homines boni intelligendi sunt, qui recte *Angeli Dei* nominantur, quia a Deo ad alteri subveniendum moti, seu missi creduntur. Sic ergo Petrus ab ipso carcerum custode, misericordia in pium virum moto, libertati restitutus est. Cornelium iuvenis quidam ex Ioppe de accersendo Petro admonuit etc. Ita *Eichhorn* et alii.

Resp. Quamvis negari nequeat, homines hincinde Angelos, i. e. nuntios appellari, certum tamen pariter est, Angelos, Spiritus finitos, hominibus praestantiores (5) vere existere (§155). Quo iure ergo per Angelos beneficia praestantes, semper homines, et numquam spiritus sublimiores intelligendi dicuntur? « Non video, ait Cl. *Dobmayr* (6), quale theoreticum aut practicum emolumentum ex hac nova exegesi enascatur. » Certe haec non alio tendit, nisi ut ipsam existentiam Angelorum ex Scriptura eliminet. Quam absona autem sit talis rationalistarum interpretatio, et quam misere ab his textus Scripturae contorqueantur, facile patet saltem aliqua facta biblica consideranti. Sic e. g. an credi potest, Abrahamum ad alterius hominis vocem ab adimplendo mandato divino destitisse, qui eo ipso tempore ut Deum timens laudatur? an *Iudith*, quae cum sola serva ex Betulia egressa est, per aliquem hominem in castris Assyriorum custodita fuit? — An homo quidam excussit flammam ignis, ne tribus pueris in fornace noceret? — Certe haec exempla sufficiunt, ut maximas absurditates ostendant, quas rationalistarum exegesis progignit. Denique S. Scriptura iuxta lineam traditionis exponenda est, quae per Angelos in adductis exemplis non homines, sed spiritus hominibus praestantiores semper intellexit.

Obi. II. Doctrina de Angelorum custodia pugnat contra ipsius Dei di-

(1) Conc. 2 in Fest. Mich.
(2) In Matth. 18
(3) Comment. in Matth.
(4) In Ps. 90
(5) Ps. 8, 6.
(6) § 125 in not.

gnitatem, quia ex illa inferri debet, Deum aut non posse, aut non velle homines per se gubernare. Sed Deus omnipotens est, et ministris non indiget; atque ipsum, tanquam benignissimum Patrem de hominibus curam agere velle, plurima Scripturarum loca ostendunt, unde legitur: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël* (1). Ergo custodia Angelorum supervacanea est, et qui hanc propugnat, rectos de divina providentia conceptus obscurat, et confidentiam erga Deum minuit, uti non immerito *Kant* observavit.

Resp. Catholici qui Angelorum custodiam admittunt et credunt, nullatenus Deum tum posse, tum velle de hominibus curam agere, in dubium trahunt. Omnes norunt omnipotentiam divinam, quae nec ministro, nec adiutore indiget. Sed tum Revelatione, tum ratione edocti sciunt, Deum providentiam suam partim immediate, partim mediate exercere velle. Sic ergo Deus homines praecipue autem electos gubernat tum immediate sua gratia, qua eos illuminat et movet, tum mediate per Angelos, quos suorum beneficiorum ministros esse voluit. Simili modo Ecclesiam suam regit, tum immediate per Spiritus sancti assistentiam, tum mediate per Pastores quos posuit Ecclesiae suae curatores et praesides. Et generatim quamvis Deus infinita sua virtute omnia immediate perficere possit, omnia tamen in mundo ita ordinavit, ut unus ab alio pendeat, et alter alterius indigeat ope. Idcirco a genitoribus filii procreantur et educantur, divitum opibus sustentantur pauperes; potentium viribus fulciuntur inermes, medicorum arte sanantur aegroti, per magistros erudiuntur rudes etc., et tamen Deus omnia gubernare rectissime dicitur. Eodem modo si per Angelos, ab ipso Deo deputatos, homines custodiuntur, tantum abest, ut per hoc quid Deo indignum asseratur, ut potius paterna ipsius providentia in clarissima luce collocetur, et confidentia in ipso augeatur.

Obi. III. Ex proposita doctrina varia absurda sequuntur: Angeli enim hominibus, quibus serviunt et ministrant, inferiores essent: porro ob istud ministerium in terra degentes visione beatifica privarentur, aut saltem per curam, quam gerunt, in sua quiete et felicitate valde turbarentur, praesertim si animas sibi commissas a recto tramite deviantes cernerent: denique ipsis Angelis imputari possent mala, quae hominibus accidunt, quaeque ipsi sua virtute impedire possent, iuxta illud: *Custodi virum istum; qui, si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius* (2).

Resp. Ex doctrina Catholicorum nullum ex his absurdis sequitur. Dum enim Angeli nos custodiunt, Deo inserviunt, non nobis, seu inserviunt nobis propter Deum, sicuti opilio non ovibus, quas custodit, servire dicitur, sed domino, a quo ovibus custodiendis positus est. Ideo Angeli respectu Dei dicuntur *administratorii Spiritus* (3), quod bene observavit S. Chrysostomus (4), dicens: « Angelorum munus esse ministrare Deo ad nostram salutem. » Etiam inter homines ille, qui alium custodit, regit et gubernat, non propterea hoc inferior est; secus pater filiis, magister discipulis, Rex subditis suis inferior dicendus esset. Quod si *S. Bernardus* (5) de Angelis ait: « Plane ministri nostri sunt, non domini nostri: » ex hoc tamen non sequitur, eos esse naturae nobis inferioris, sed, ut idem

(1) Ps. 120, 4. (2) 3 Reg. 20, 39.
(3) Hebr. 1, 14. (4) In hunc locum.
(5) Serm. 11 in Ps. 90.

S. Pater observat: « In hoc Unigeniti formam imitantur, qui non venit ministrari, sed ministrare. » Neque etiam sequitur alterum, nempe eos privari beatifica Dei visione, sed potius credendum est angelicas mentes, quanquam erga homines occupatae videantur, nunquam tamen a beata divinae essentiae contemplatione averti, quod Christus indicavit iis verbis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Inter nos quippe et Angelos magnum discrimen interest; nam, ait *S. Thomas*(1): « In nobis exterior occupatio puritatem contemplationis impedit, quia actioni insistimus secundum sensitivas vires, quarum actiones cum intenduntur, retardantur actiones intellectivae virtutis. Sed Angelus per solam intellectualem operationem regulat suas actiones exteriores, unde actiones exteriores in nullo impediunt eius contemplationem; quia duarum actionum, quarum una est regula et ratio alterius, una non impedit, sed iuvat aliam. Unde *Gregorius* dicit (2), quod Angeli non sic foras exeunt, ut internae contemplationis gaudiis priventur. » Et sane cum Deus ubique sit, ubique etiam Deo frui possunt. — Ipsos propter peccata et mala hominum dolore non affici, iam in nota prima dictum est. Neque putandum est, aliquid ipsis decedere de accidentali illa beatitudine, quam in societate aliorum Sanctorum capiunt, sed potius eam augeri, dum Dei Gloriam suis erga homines officiis augeri vident, iuxta illud: *Gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente* (3). Ideo etiam omnem de commissis sibi hominibus curam ob excellentiam virium cum magna facilitate, et ob voluntatem Dei cum sancta laetitia gerunt. — Denique nunquam Angelis hominum peccata et infortunia imputari possunt: illi enim, sicut peccare, ita etiam officio suo deesse nequeunt, atque ideo hominibus auxilia praebent, voluntati divinae consentanea, quin tamen hominis libertatem tollant, quae saepe resistere solet. Quamobrem *S. Thomas* (4) ait: « Sicut homines a naturali instinctu boni discedunt propter passionem peccati, ita etiam discedunt ab instigatione bonorum Angelorum, quae fit invisibiliter per hoc, quod homines illuminant ad bene agendum. Unde quod homines pereant, non est imputandum negligentiae Angelorum, sed malitiae hominum. »

Obi. IV. Cur, quaerunt nonnulli cum *Kant*, cur Angeli tutelares nunc tam parum se produnt? cur nullae amplius dantur apparitiones Angelorum? Et si isti ad nostram custodiam dati sunt, cur a nobis tot non arcent calamitates, quibus torquemur? — Cur nos a patrandis sceleribus non removent? Ipsa ergo experientia Angelorum custodiam dubiam reddit, et merito dicitur, opinionem de Angelorum tutela ex Ethnicorum fabulis de geniis cuilibet homini assistentibus originem sumpsisse.

Resp. Angeli incorporei sunt, atque ideo invisibiliter operantur. Visibilis eorundem apparitio inter eventos extraordinarios, seu inter miracula computari debet. Ideo *S. Thomas* (5) dicit: « Quando (Angeli) aliquando praeter legem communem hominibus visibiliter apparent, ex speciali Dei gratia est; sicut etiam praeter ordinem naturae miracula fiunt. » Miracula vero non propter fideles, sed propter infideles fieri, Apostolus dixit (6). Fideles autem per ipsam Revelationem de

(1) I, q. 112, art. 1 ad 3
(2) Lib. 2 Mor. c. 2 (3) Luc. 15, 7.
(4) I, q. 113, a. 1 ad 3.
(5) L. c. (6) I Cor. 14, 22.

Angelorum custodia ita certi redduntur, ut visibilibus horum apparitionibus non indigeant; istas tamen etiam variis Ecclesiae saeculis vere contigisse, monumenta ecclesiastica probant, ex. gr. acta *S. Caeciliae M.*, *S. Franciscae Rom.*, *S. Julianae* etc. Neque peccata, in quae labimur, et mala, quibus premimur, eorum custodiam dubiam reddunt. Quemadmodum enim Deus, etsi sine dubio omnium rerum curam gerit, praecipue autem hominum; multa tamen mala permittit, quae impedire utique posset; ita etiam Angeli non ab omnibus nos malis praeservant, a quibus certe virtute sibi indita praeservare nos possent. Quare id contingat, nostrum non est perscrutari, sed humiliter incomprehensibilem divinorum iudiciorum profunditatem adorare debemus. Certum porro est, peccata, ut supra dictum est, non Angelorum negligentiae, sed hominum malitiae, qui eorum pia monita non attendunt, adscribenda esse. Adversitates autem temporales saepe Angeli non removent, quia ad peccatores corrigendos et ad iustos probandos utilissimae sunt. Caeterum fateri debemus, etiam nobis insciis Angelos multa mala a nobis avertere atque beneficia conferre. Absonum autem est, ad experientiam sensibilem in re provocare, quae in via ordinaria sensibus percipi non potest. Denique Christianos ab Ethnicis fidem de custodia angelica hausisse, Rationalistae dicunt, sed non probant. Contrarium patet ex libro antiquissimo Moysis, in quo apparitiones Angelorum narrantur. Hebraei, qui a superstitionibus Gentilium abhorrebant, certe talem doctrinam nunquam recepissent nisi divinitus revelata fuisset. Omni iure autem dicitur, Ethnicos ex antiqua traditione filiorum Noë, aut etiam ex S. Litteris doctrinam de tutela Angelorum hausisse, eandemque sicut et alias doctrinas pedetentim corrupisse (1).

Usus doctrinae de Angelis.

§ 173. 1. Attenta eorum, quae de Angelis pertractata fuerunt, consideratio plurimum valet ad rectam divinorum attributorum cognitionem in nobis promovendam. *Omnipotentia* divina magis ex innumerabilium Angelorum, quam ex rerum visibilium creatione elucet; nam etiam de illis dicendum est: *Ipse dixit*, et facti sunt, *ipse mandavit*, et creati, atque eximiis naturae et gratiae donis ornati sunt. — *Iustitia* divina clarissime apparet ex horrenda poena, qua Angeli refractarii affecti, et ex maxima beatitudine, quam Angeli boni et in servitio divino fideles consecuti sunt. — *Bonitas* Dei paterna erga nos manifestatur in Angelis, quos ad tutelam nobis concessit, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. — *Magnitudo*, et *maiestas* divina conspicua redditur ex immensa Angelorum multitudine, qui thronum divinum circumdant, in conspectu Dei facies velant suas, laudibus divinis incessanter occupantur, et tanquam humilissimi ministri quemlibet divinae voluntatis nutum promptissime exequuntur.

2. Angelos etiam imitari, eorumque exemplis ad charitatem erga Deum et erga proximum excitari debemus. Nam, ait *S. Augustinus* (2): « Angeli quidquid non est Deus contemnunt, ut Deo fruantur; » et (3) addit: « Angeli ea voluntate, qua magis Deum, quam se diligunt, firmi et stabiles manent in illo, et fruuntur maiestate ipsius, et uni libentissime subditi. » Ita etiam nos terrena contemnentes pulcritudinem Dei infinitam contem-

(1) Cf. Gazzaniga de Ang. diss. 1, c. 15.

(2) De civ. Dei. (3) De ver. Relig. c. 3.

plari, hanc summo amore prosequi, et assiduis laudibus extollere, — praecipue autem mandata divina exactissime adimplere debemus, ut *fiat voluntas* Dei a nobis *in terra*, prouti fit ab Angelis *in coelo*. — Praeterea, quia Angeli propter Deum etiam nos homines amant, nobisque, sive nobiles, sive ignobiles, sive divites, sive pauperes, sive sani, sive infirmi simus, ut custodes adsistunt, et plurima tum corporalia, tum spiritualia beneficia praestant, ab iisdem hanc sanctam, universalem et activam charitatem proximis nostris exhibendam addiscere debemus. Praesertim parentes, patresfamilias, et Praelati omnes ab Angelis addiscere debent, quomodo commissas sibi animas custodire oporteat. — Denique ne vilissimum quidem homuncionem contemnere licet, quia magna est dignitas cuiuslibet hominis, eo quod a nativitate deputatum sibi habeat Angelum, qui videt faciem Patris, qui in coelis est.

3. Officia, quae nobis erga Angelos tutelares incumbunt praeclare docet *S. Bernardus*, qui (1), expendens ea Davidis verba, *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis:* « Quantam, inquit, tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam; reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia! » De reverentia Angelo custodi exhibenda hoc monitum cuilibet acclamat: « In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe: tu ne audeas illo praesente, quod vidente me non auderes. » Circa grati animi debitum ita praeclare disserit (2): « Quid retribues Domino pro omnibus, quae retribuit tibi? Siquidem soli ei honor et gloria: quare ei soli? Quia ipse mandavit, et omne datum optimum nonnisi ab illo est. Verumtamen etsi ille mandavit, ipsis quoque, qui et ei ex tanta charitate obediunt, et nobis subveniunt in tanta necessitate, ingratos esse non licet. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus: redamemus eos, honoremus eos quantum possumus, quantum debemus, totus tamen ei reddatur et amor et honor noster, a quo tam ipsis, quam nobis est totum, unde honorare possumus, vel amare, unde amari honorarique merentur. Neque enim Apostolus, ubi ait: *Soli Deo honor et gloria,* prophetico credendus est obviare sermoni, qui sibi etiam amicos Dei nimis honorificatos esse testatur. » — Denique, ut fiduciam pro custodia excitet, mellifluus Doctor invocationem Angeli tutelaris suadet in eodem sermone, dicens: « Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem Angelum tuum, doctorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus et tribulationibus, inclama eum, et dic: *Domine! salva nos, perimus.* » — Equidem de cultu et invocatione Angelorum et Sanctorum alibi fusior sermo erit instituendus. Interim observandum est, Catholicos Angelis cultum duliae, seu relativum, nullatenus autem cultum latriae, seu absolutum cultum exhibere, quia hic soli Deo debetur. Invocatio autem Angelorum custodum certe reprehendi non potest. Si enim licitum est, homines viventes invocare, et ab his auxilium petere, cur non licebit, auxilium et intercessionem illorum implorare, quos Deus nobis ut comites et custodes destinavit? — Inter ipsos Protestantes Cl. *Michaelis* (3) ait: « Aude-

(1) Serm. 12 in Ps. 90. (2) Ibid. n. 8.

(3) Dogmat. art. 7 § 94

musne Angelorum intercessionem implorare? omnino; sicut hominem audemus rogare, ut pro nobis roget: » et *Döderlein* (1) dicit: « Angelorum intercessionem implorare licitum esse non dubitamus, non enim, quod minime superstitiosum iudicamus, si praestemus homini nobis simili, id si beatiori et sanctiori spiritui tribuamus, vitiosum erit ac impium. »

ARTICULUS VI.

De Angelorum malorum, seu daemonum existentia.

§ 174. Quamquam Angeli omnes boni, in veritate recti, integri, ad imaginem Dei creati, et gratia supernaturali praediti fuerint (§ 164), non tamen omnes in veritate naturae illius integrae perstiterunt, sed tempore probationis libertate sua abusi a Deo defecerunt, peccarunt, et propter peccatum in malo obdurati, e coelo expulsi ac aeternis poenis addicti sunt. Infelicissimi isti spiritus communissimo nomine *daemones* appellantur, qui recte definiuntur Angeli, qui peccaverunt, et propter peccatum sempiternas poenas luunt. Istorum iam 1° *existentiam* probare, 2° *qualitatem peccati* ab iisdem commissi investigare, 3° huiusque *funestos effectus* ostendere oportet.

Nota 1. In S. Litteris Angelis lapsis varia nomina tribuuntur. Vocantur enim *daemonia* (2), *daemones* (3), *spiritus nequam* (4), *spiritus immundi* (5), *mundi rectores tenebrarum harum, spiritualia nequitiae* (6). *Angeli eius*, i. e. diaboli (7). — Unus enim ex illis tanquam eorundem dux et caput, in S. Bibliis specialibus nominibus insigniri solet: hic nominatur *princeps huius mundi* (8), *Deus huius saeculi* (9), *princeps daemoniorum* (10), *Beelzebub* (11), *mendax*, et *homicida* (12), *Satan* (13), *Diabolus* (14), *Belial* (15), *draco magnus, serpens antiquus* (16), *Lucifer* (17).

Nota 2. Quamquam tota antiquitas spiritus malos, seu daemones admiserit; recentioribus tamen temporibus non pauci eorundem existentiam impugnarunt: sicut enim, uti scite observat *Comes Leop. de Stolberg*, daemon per multa saecula humanum genus ad vanissimam et impiissimam superstitionem pellexerat, ita tandem homines in tale incredulitatis barathrum praecipitavit, ut modo ne in ipsum quidem crederent. Nonnulli enim quasi ex tripode pronuntiarunt, repugnare rectae rationi, ac anilibus fabulis accensenda esse omnia, quaecunque de daemonibus apud Christianos circumferuntur: isti cum *Voltaire* ipsam S. Scripturam vellicant, quod tam absurdam doctrinam proponat, quam Iudaeos ex Aegyptiorum, Chaldaeorum et Persarum figmentis hausisse contendunt. — Alii, ut viderentur S. Litteras revereri, affirmarunt, in illis vestigium nullum extare de doctrina, quam Christianorum plerique de daemonibus sibi imbibitam habent; quandoquidem vocabula *diaboli, Satanae, daemonum*, quae in sacratioribus paginis obvia sunt, non designent personam aliquam, sed mala moralia, aut physica etiam, sintque abstractae notiones. — Alii contra, rati istiusmodi interpretationes nimis esse contortas, in aliud latus se ver-

(1) Inst. theol. lib. 1, c. 2.
(2) Deut. 32, 17. Ps. 105, 37. Luc. 8, 33.
(3) Matth. 8, 31, Iac. 2, 19.
(4) 1 Reg. 16, 14. Luc. 11, 26. Act. 19, 12.
(5) Luc. 8, 29. (6) Ephes. 6, 12.
(7) Matth. 25, 41.
(8) Io. 12, 31, 14, 30, 16, 11.
(9) 2 Cor. 4, 4.
(10) Matth. 9, 34, Marc. 3, 22
(11) Matth. 12, 24. Luc. 11, 15.
(12) Io. 8, 44.
(13) Iob 1, 7. 1 Reg. 11, 4. Luc. 11, 18.
(14) Matth. 25, 41. Hebr. 2, 14. Apoc. 12, 9 etc. (15) 2 Cor. 6, 15.
(16) Apoc. 12, 9. (17) Isa. 14, 12.

terunt, confessique sunt, testimoniorum perspicuitate convicti, revera agi de personis; has autem non esse nisi animas hominum e corpore solutas, atque Ethnicorum superstitione in numerum Deorum relatas, et exinde fieri, ut persaepe in S. Bibliis per daemonia idola gentium intelligantur. — Extiterunt etiam, qui dictitare non vererentur, Christum et Apostolos nullatenus daemonum existentiam aut credidisse, aut docuisse, sed ideo tantum de his hincinde sermonem habuisse, ut erroneae vulgi persuasioni dicta sua accommodarent. — Philosophi critici, duce *Kant*, asseruerunt, ideale moralitatis summae in Filio Dei, et ideale maximae malitiae in diabolo nobis exhiberi; adeoque existentiam huius non physicam, sed moralem esse admittendam, atque ita Scripturam non exponi modo posse, sed et debere. — Novissimi Rationalistae et Pantheistae, qui cum *Hegelio* ipsi Deo personalitatem denegant, neque Angelos bonos admittunt, multo magis Angelorum malorum, seu daemonum existentiam penitus reiiciunt. Contra tot adversarios nostris temporibus prorsus necesse est, ut daemonum existentia solide probetur.

I. *Angeli mali, seu daemones vere existunt.*

§ 175. Angelos quosdam existere, qui a primaeva iustitia defecerunt, et propter peccatum sempiternis poenis addicti fuerunt, in utroque Revelationis fonte, nimirum *in S. Scriptura* et *Traditione* clare traditur.

1. Iam in V. T. pro existentia daemonum haud obscura testimonia inveniuntur. In historia *Iobi* tanquam persona agens occurrit *Satan*, sub quo nec Angelus bonus, nec mortalis homo intelligi potest; ille etenim a filiis Dei secernitur, ipsi invidia et nocendi cupido tribuitur, et tales de ipso actiones praedicantur, quae humanas vires longe superant. — Iob IV, 18 legitur: *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem:* quae verba non possunt intelligi de sola imperfectione Angelorum si Deo comparentur; tum quia solus defectus maioris perfectionis non solet *pravitas* nuncupari; tum quia Angeli dicuntur *non stabiles*, seu defecisse, non autem a iustitia infinita, quam nunquam habuerunt; tum quia Eliphaz exemplo Angelorum probare voluit, Iobum, quamvis antea iustum, tamen non solummodo imperfectum, sed et magnum peccatorem fieri potuisse. — I Reg. XVI, 14 narratur: *Spiritus Domini recessit a Saül et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino. Dixeruntque servi Saül ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te* etc. III Reg. XXII, 22, spiritus malus dicit: *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius* (Achabi). In historia Tobiae daemon Asmodaeus dicitur septem viros Sarae iugulasse, et narratur: *Tunc Raphaël Angelus apprehendit daemonium, et religavit illud in deserto superioris Aegypti* (1). Zach. III, 1 etc. legitur: *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, et Satan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan* etc. In his exemplis certe per *spiritum nequam*, per *daemonium*, per *Satanam* neque Angelus bonus, neque simplex homo intelligi potest. Sap. II, 24 dicitur: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum:* ille autem, cui invidia et seductio adscribitur, certissime veram personam constituit.

(1) Tob. 8, 3.

2. In N. T. Christus ipse testatur, diabolum a iustitia defecisse seu peccasse; ait ad Iudaeos: *Vos ex patre diabolo estis; et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est* (1): haec verba ostendunt, diabolum aliquando in veritate, seu rectitudine et iustitia fuisse, sed hanc deseruisse, atque ideo malum factum esse, ita ut nulla ipsi insit voluntas vera loquendi, sed cupido fallendi, prout per mendacia Protoparentes decepit, hisque causa mortis extitit: huius diaboli filii, seu imitatores dicuntur Iudaei, veritati pertinaciter resistentes: quam indigna Filio Dei esset talis assertio, si diabolus ne existeret quidem? — Imo Christus non solum peccatum refert, a diabolo commissum, sed etiam poenam aeternam rebellibus Angelis infligendam declarat, referens verba supremi Iudicis in extremo iudicio ad reprobos dicentis: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius* (2): qualem autem sensum ista verba haberent, si Angeli non existerent, qui peccaverunt, et ideo suppliciis aeternis iustissime subiiciuntur? — Praeterea Christus de eodem diabolo apertissime loquitur, dum dicit: *Iam non multa loquar vobiscum; venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quidquam* (3). *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras* (4). *Princeps huius mundi iam indicatus est* (5). Per principem huius mundi, qui Christi adversarius declaratur, per eius mortem et exaltationem eiiciendus, et iam iudicatus dicitur, non Angelum bonum, neque principem terrestrem intelligi posse, sed diabolum seu satanam designari, de quo Christus saepius loquitur (6), satis utique manifestum est. — Cum effatis Christi consonant testimonia Apostolorum. Insignis est locus Petri, qui tum peccatum Angelorum, tum latam in ipsos poenam clarissimis verbis proponit, dicens: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (7): loquitur hic Petrus de falsis doctoribus, ac adversus hos pronunciat (8): iis iam dudum poenam decretam esse; nam, pergit (9), quomodo impii isti poenam evadent, si Deus nec Angelis, qui ab eo defecerunt pepercit? — Princeps Apostolorum hic exemplum certum et satis notum proponit ad homines perversos ab aliorum seductione deterrendos. Conveniunt cum his Petri verbis ea, quae leguntur in Epistola Iudae v. 6. Deus *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservavit:* Apostolus hic testatur, Angelos *suum principatum* seu (ut habetur in textu graeco: ἀρχήν, suum initium) non servasse, i. e. in statu suo primaevo non perseverasse, sed ab hoc peccando defecisse, atque ideo ipsos e suo domicilio, i. e. e coelo expulsos, *vinculis aeternis* ligatos, i. e. omni libertate privatos esse, et *sub caligine*, seu sub tenebris reservari, quae apud populos Orientales sunt symbolum miseriae et calamitatis, sicut lux laetitiae. — Paulus de Ephesiis (10) dicit, quod aliquando daemoni subditi fue-

(1) Io. 8, 44. (2) Matth. 25, 41.
(3) Io. 14, 30. (4) Io. 12, 31.
(5) Io. 16, 11.
(6) Matth. 12, 24. Luc. 10, 18 etc.
(7) 2 Ep. 2, 4. (8) V. 3. (9) V. 4.
(10) C. 2. v. 2

rint, et eos ad assiduam luctam *contra spiritualia nequitiae* (1) exhortatur. — Iacobus II, 19 inquit: *Daemones credunt et contremiscunt;* ipsos ergo tanquam veras personas, sed reatui culpae, et poenae subiectas proponit. Ioannes ait: *Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat* (2), i. e. quicunque peccat, imitator est diaboli, qui primus peccatum commisit. Apoc. XII, 7. etc. legitur: *Factum est praelium magnum in coelo: Michaël, et Angeli eius praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli eius. Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo: et proiectus est draco ille magnus, qui vocatur diabolus, et Satanas, qui seducit universum orbem; et proiectus est in terram, et angeli eius cum illo missi sunt.* S. Ioannes hic describit triumphum Ecclesiae Christi de plurimis persecutoribus: ast dirae, quae ipsam exagitant, persecutiones instigationibus diaboli, et angelorum eius adscribuntur, contra quos Angeli boni, Ecclesiae defensores, pugnant, eosque vincunt: quapropter secunda daemonum ruina lineamentis, et coloribus primae eorundem ruinae describitur, ut scite observat Cl. *Klee* (3). His S. Scripturae testimoniis, quibus existentia daemonum abunde probatur, addi possunt multa alia, in quibus verae actiones personales daemonibus attribuuntur: haec autem loca biblica inferius citabuntur, dum de infestatione daemoniaca sermo erit.

3. Daemones existere, seu Angelos dari, qui per peccatum mali facti sunt, et ideo aeternis suppliciis afficiuntur, perpetua fuit Ecclesiae catholicae fides. Hanc contestantur antiquissimi Patres. *Athenagoras* (4): « Sicut, ait, homines libertate donati aut virtutem, aut vitium eligunt; ita etiam inter Angelos contigit, ut aliqui liberi, et in iis, quae a Deo acceperunt, fideles manserint; alii vero conditione suae naturae abusi fuerint; » et (5) « isti e coelo expulsi sunt - neque amplius in coelum se extollere possunt. » *Tatianus* (6) cum dixisset, tum homines, tum Angelos per liberam electionem aut bonos, aut malos fieri, addit de principe daemoniorum, seu de Lucifero: « Primogenitus coepit propter transgressionem et insipientiam diabolus esse, et qui eius vesaniam imitati sunt, facti sunt exercitus daemoniorum. » *Origenes* (7) de diabolo ait: « Serpens non semper fuit serpens, primo quidem a Deo bonus creatus, sed propriae voluntatis pravitate daemon effectus. » Idem (8) scribit: « Apud plurimos ista habetur opinio, quod diabolus apostata effectus, quam plurimos Angelos secum declinare persuaserit, qui et nuncusque Angeli eius nuncupantur, » quo in loco non doctrina de existentia daemonum, sed sententia de aliquo antesignano, qui caeteros seduxit «opinio» vocatur. *S. Chrysostomus* (9) inquit: « Diabolus non naturae nomen, sed praesumptionis est... non enim diabolus factus est a principio, sed Angelus creatus est. » *S. Ambrosius* (10) aperte dicit, « Diabolum, qui, quoniam sua, quam a Creatore suo acceperat, potentia, dignitate sibi placuit, cum his Angelis, quos in consensum suae impietatis traxerat, a coelesti sublimitate deiectum esse. » *S. Augustinus* (11) ita loquitur: «Diabolus spiritus immundus est, et utique quoniam spiritus est natura, immun-

(1) C. 6, v. 12. (2) I Ep. 3, 8.
(3) T. 2, pag. 249. (4) Legat. n. 21.
(5) N. 25. (6) Adv. Graec. n. 7.
(7) Hom. in Ezech. (8) L. I Periarch.
(9) Hom. de patientia Iob.
(10) Ep. 55 ad Demetriam.
(11) L. I de nupt. et concup. c. 23.

dus est de vitio, bonum, quod spiritus, et malum, quod immundus: quorum duorum illud a Deo, hoc ab ipso.» S. Io. *Damascenus* (1) docet, «principem malorum Angelorum adversus opificem suum Deum se extulisse, et rebellare contra eum in animum induxisse» — et inferius subdit: « una cum eo avulsa est, eique comitem se adiunxit, simulque corruit innumerabilis subiectorum sibi Angelorum multitudo. » Sicut Ss. Patres, ita etiam Concilia contra Manichaeos docuerunt, omnes Angelos bonos creatos, daemones autem per peccatum malos factos fuisse. In Concilio *Carthaginensi IV* inter alia fidei dogmata, interroganda ab eo, qui Episcopus creatur, unum est, an credat, quod *diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus.* Concilium *Bracarense I* (2): *Si quis dicit, diabolum non fuisse prius Angelum bonum, a Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam eius, sed dicit eum ex tenebris emersisse, nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium, atque substantiam mali, sicut Manichaeus, et Priscillianus dixerunt, anhatema sit.* Concilium *Lateranense IV* definivit (3): *Diabolus a Deo quidem natura creatus est bonus, sed ipse per se factus est malus*: Dubitari ergo non potest, doctrinam de existentia daemonum, seu Angelorum, qui peccaverunt, et ideo puniuntur, ad fidei dogmata pertinere.

Nota. Difficultates quae contra existentiam daemonum moveri solent, ad sequentes potissimum reducuntur.

Obi. I. Ideae, quas Catholici de daemonibus habent et venditant, absonae, ridiculae et rationi contrariae sunt. Aperta quoque contradictio in illorum doctrina continetur, cum ex una parte dicunt, Angelos omnes excellentissimis donis tum naturalibus, tum supernaturalibus exornatos fuisse, et ex altera parte asserunt, quosdam statim ab initio gravissime peccasse. Entia enim rationalia naturali nisu in bonum feruntur, et ab hoc non deficiunt, nisi vel malum sub specie boni eligant, vel bonum sub specie mali reiiciant. Ast Angeli, perspicacissimo intellectu praediti, tali modo decipi non poterant, atque ideo peccatum in ipsis concipi nequit.

Resp. Negari non potest, absonas esse opiniones, quas hincinde homines simplices et idiotae de daemonibus tenent, quibus colorem nigrum, cornua, pedes hircinos etc. affingunt. Sed tales opiniones longe distant a doctrina Ecclesiae catholicae. Haec enim tradit, daemones esse spiritus, qui peccaverunt, et ideo sua beatitudine privati, iustis poenis subiiciuntur. In hac daemonum notione certe nihil est, quod rectae rationi contradicat. Magnis quidem donis omnes Angeli in creatione exornati fuerunt, ast ideo infiniti facti non sunt, sed finiti manserunt, libertate quoque probationis tempore praediti. Quidquid autem finitum est, iuxta conditionem suae naturae crescere, et decrescere, atque etiam a rectitudine deficere potest. Quamobrem solus Deus infinitus ex natura sua impeccabilis est. Id S. *Thomas* (4) ita probat: « Peccare nihil aliud est, quam declinare a rectitudine actus, quam debet habere. — Solum autem illum actum a rectitudine declinare non contingit, cuius regula est ipsa virtus agentis. Si enim manus artificis esset ipsa regula incisionis, nunquam posset artifex nisi recte lignum incidere; sed, si recti-

(1) L. 2 de orth fide c. 4.
(2) Can. 7 (3) Cap. 1 Firmiter.
(4) 1 q. 63, art. 1.

tudo incisionis sit ab alia regula, contingit, incisionem esse rectam et non rectam. Divina autem voluntas sola est regula sui actus, quia non ad superiorem finem ordinatur. Omnis autem voluntas cuiuslibet creaturae rectitudinem in suo actu non habet, nisi secundum quod regulatur a voluntate divina, ad quam pertinet ultimus finis; sicut quaelibet voluntas inferioris debet regulari secundum voluntatem superioris, ut voluntas militis secundum voluntatem ducis exercitus. Sic igitur in sola voluntate divina peccatum esse non potest, in quali bet autem voluntate creaturae potest esse peccatum secundum conditionem suae naturae. » Ex his patet, peccatum Angelorum nullatenus impossibile dici posse. Neque difficultas in eo invenitur, quod Angeli perspicacissimo intellectu praediti in cognitione boni et mali errare non potuerint. Nam intellectus eorum, quomodocunque perspicax, tamen finitus fuit, et ideo a veritate deficere potuit. *S. Thomas* (1) distinguit duplicem errorem, qui peccatum producere potest, crassiorem, dum quis malum ut sibi bonum adprehendit, « sicut homo peccat eligendo adulterium, quod secundum se est malum; » et subtiliorem, dum quis bonum non secundum debitum ordinem adprehendit et eligit. Priori modo Angelus errare non potuit, sed tamen posteriori modo. Ideo S. Doctor ait: « Alio modo contingit peccare per liberum arbitrium eligendo aliquid, quod secundum se est bonum, sed non cum ordine debitae mensurae, aut regulae: ita quod defectus inducens peccatum sit solum ex parte electionis, quae non habet debitum ordinem nisi ex parte rei electae: sicut si aliquis eligeret orare non adtendens ad ordinem ab Ecclesia institutum. Et huiusmodi peccatum non praeexigit ignorantiam, sed absentiam solum considerationis eorum, quae considerari debent. Et hoc modo Angelus peccavit convertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonum absque ordine ad regulam divinae voluntatis. » Caeterum tota difficultas circa modum versatur, quo Angeli peccaverunt. Sed ignorantia modi nunquam tollit certitudinem facti. Etiam in naturalibus multa facta admittere debemus, quorum rationem intrinsecam explicare non valemus. Multo magis peccatum Angelorum admittendum est, de quo nos infallibilis Revelatio certos reddit, quamvis pro nobis captu difficile sit, quomodo spiritus tam praestantes ad tantam malitiam pervenire potuerint.

Obi. II. Nomina *diaboli, satanae, daemonum* etc., quae in S. Bibliis occurrunt, non designant personas aliquas, sed mala moralia et physica, suntque notiones abstractae. Recte etiam *Kant* dicit, in diabolo nobis ideale maximae malitiae exhiberi. Realiter ergo tanquam personae Angeli mali non existunt.

Resp. Haec sententia, quae a nonnullis recentioribus sine solida ratione ex tripode profertur, legibus iustae interpretationis manifeste repugnat. Nam regulae hermeneuticae exposcunt, ut litterali sensui proprio inhaereat interpres, nisi vel rectae rationi verba secundum litteram accepta adversentur, vel clarior suppetat locus, qui sensum improprium explicet. Sed daemonum existentiam rectae rationi non adversari, iam probatum est. Frustra quoque hactenus laborarunt, qui daemonem mundo, aut rerum natura eliminatum cupiunt, ut proferant locum clariorem,

(1) L. c. ad 4.

qui persuadeat, esse discedendum a sensu litterali proprio. Contrarium potius ex ipsis S. Bibliis clare eruitur. Quandoquidem Scriptores sacri disertam faciant mentionem de satana, diabolo, daemonibus etc. tanquam de personis intelligendi, volendique facultate praeditis. Sic legitur: *Daemones credunt, et contremiscunt* (1), anne malis physicis, vel moralibus, aut notionibus abstractis fides et tremor attribui possunt? Et: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (2); anne Deus notiones abstractas, an mala physica, quae non sunt nisi inordinationes in natura, vel an mala moralia sine spiritu, seu persona peccante in tartarum praecipitavit? — Igitur haec neoterica interpretatio clarissimis S. Scripturae locis aperte repugnat, atque ideo nullo modo admitti potest. — Ex eadem ratione reiicienda est sententia Kantii, qui diabolo non physicam et personalem, sed moralem, seu idealem existentiam tribuit. Nam non quaeritur hic, quemnam sensum ratio narrationibus biblicis supponere queat, sed quem auctores sacri intenderint. Ipso Kantio arguente, a sensu grammatico et litterali, quem exegesis elicit, recedere nefas est, si is nec theoreticae, nec practicae rationis functionibus adversatur. Existentia autem spirituum, hominibus praestantiorum, sed tamen lapsorum, neutri repugnat. Accedit, quod nova haec interpretatio etiam lineae, iuxta quam S. Scriptura exponenda est, nimirum Traditioni adversetur, quae in daemonibus semper personas realiter existentes agnovit.

Obj. III. Per daemones intelligendae sunt animae humanae e corporibus solutae, et in Deorum numerum relatae: has etenim Ethnici *Lares, Manes, Lemures, Daemones* etc. appellare consuoverunt. Ipsa S. Scriptura per *daemonia* nonnisi idola gentium intelligit, ut: *Omnes Dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit* (3); *Quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo* (4); sicut ergo Dii gentium non existunt, ita neque daemonibus realis existentia tribui potest.

Resp. Per daemones tantum animas humanas e corporibus solutas, intelligi, ex S. Bibliis nullatenus ostendi potest. Contrarium eruitur ex illis locis, in quibus diabolo actiones personales attribuuntur, positas antequam anima quaedam humana a corpore soluta fuit. Sic diabolo adscribitur seductio Protoparentum (5). I Io. III, 8 dicitur: *Ab initio diabolus peccat:* apertissime demum diabolus cum Angelis suis, seu daemonibus distinguitur ab animabus humanis tum electis, tum reprobis, dum divinus Iudex his acclamat: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius* (6). — Nec ullo modo probari potest, per daemones in S. Scriptura semper idola gentium intelligi. Illi enim ab his apertissime distinguuntur. Nam satanae, diabolo, daemonibus verae actiones personales adscribuntur, uti ex variis Scripturae locis iam allatis patet, et ex aliis inferius afferendis clarius apparebit. Ast de idolis dicitur: *Os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt... manus habent, et non palpabunt* (7) etc. Et Paulus dicit: *Scimus quia nihil est idolum in mundo* (8) — Ideo autem idola hincinde daemonia vocantur

(1) Iac. 2, 19. (2) 2 Petr. 2, 4.
(3) Ps. 95, 5 (4) 1 Cor. 10, 20.
(5) Gen. 3. Cf. Sap. 2, 24. etc
(6) Matth. 25, 41. (7) Ps. 113, 5 etc.
(8) 1 Cor. 8, 4.

tum quia Angeli lapsi saepius, Deo permittente, in idolis agebant, tum quia iidem generatim homines ad idololatriam seduxerunt, et cultum superstitiosum idolis exhibitum sibi attribuerunt: quapropter etiam Christus, praedicens abolitionem idololatriae, inquit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras* (1).

Obi. IV. Iudaei in captivitate babylonica constituti a Chaldaeis notiones de daemonibus hauserunt, et secum in patriam reportarunt. Christus autem et Apostoli, quae de diabolo, de spiritibus immundis, de daemonibus locuti sunt, non ex persuasione propria pronuntiarunt, sed hac in re opinioni vulgi se accommodarunt.

Resp. Doctrina de daemonibus iam in libris sacris ante captivitatem babylonicam exaratis invenitur, ut Deut. XXXII, 17; Iob I et II, IV, XVI; I Reg. XVI, 14 etc., ergo illa Iudaeis nota erat, priusquam in captivitatem abducerentur. Neque adversarii hucusque ostenderunt, quales ideas de daemonibus Chaldaei habuerint, istas autem absonas fuisse, et cum ipsorum idololatria intime cohaesisse, dubitari non potest. Certum est autem, Iudaeos in captivitate constitutos ab erroribus Chaldaeorum, inter quos versabantur, ita declinasse, ut post reditum ex captivitate nunquam in idololatriam ad quam antea maxime proclives erant, relapsi sint. — Tolerari autem nullo modo potest insulsa non minus quam impia et blasphema sententia eorum, qui dicunt, Christum se erroneae vulgi opinioni accommodasse. Agitur hic sane de facto historico, quoniam quaeritur, qua mente, seu persuasione Christus de daemonibus locutus sit. Facta vero historica non ex vanis ratiociniis, sed ex monumentis ostendi debent. Ast adversarii pro sua sententia ne umbram quidem argumenti ex S. Scriptura et Traditione proferre possunt, sed utraque ipsis penitus contraria est. Et sane - S. Scriptura testatur, Christum erroneas opiniones, et falsas traditiones, etiam Pharisaeorum et Sadducaeorum, ita libere et publice increpasse, ut etiam ipsius adversarii infensissimi ad ipsum dicerent: *Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces: et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum* (2). Veritatem huius asserti tota historia evangelica confirmat. Abhorret ergo omnino a Christi divini praeceptoris charactere dissimulasse eum; aut non refutasse palam, sed probasse potius iisdem loquendi formulis ac latius disseminasse erroneam illam, quae Iudaeorum mentibus insedisset, de daemonibus opinionem. Nonne blasphemum est dicere, ex sola erga populum conniventia erronei quid ex ore illius prodiisse, qui ipsa Veritas est? — Accedit, quod Christus persaepe etiam coram solis Apostolis de daemonibus locutus sit: hisce enim suam tentationem patefecit (3), — his solis dixit: *Inimicus autem qui seminavit ea* (zizania) *est diabolus* (4). *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum* (5). *Signa, autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient* (6) etc. Ideo etiam Apostoli, Spiritu sancto repleti, non ad Iudaeos, sed ad Christianos loquentes palam confirmarunt magistri sui sententiam, et daemones existere satis clare adseverarunt, uti patet ex I Petr. V, 8; Ephes. II, 2, VI, 12; I Io. III, 8 etc. — Dubitari ergo non potest, Chri-

(1) Io. 12, 31. (2) Matth. 22, 16. (3) Matth. 4. (4) Matth. 13, 39. (5) Luc. 22, 31. (6) Marc 16, 17.

stum et Apostolos de daemonum existentia vere persuasos fuisse.

II. *De qualitate peccati ab Angelis patrati.*

§ 176. Quamvis omnino certum sit, aliquos Angelos peccasse, non tamen eadem certitudine determinari potest, quale fuerit primum ipsorum peccatum, propter quod gratia et gloria privati, mali et miseri facti sunt. Variae circa hoc peccatum inter ipsos Ss. Patres sententiae inveniuntur. Probabilior tamen, et communior sententia haec est, quod primum Angelorum malorum peccatum fuerit superbia. Sententia ista sequentibus probatur argumentis.

1. Ipsa S. Scriptura haud obscure innuit, Angelos malos per superbiam praevaricatores factos fuisse. Nam dicitur: ***Initium omnis peccati superbia*** (1); et: ***Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*** (2). Ex quibus locis recte infertur, etiam Angelorum malorum praevaricationem et perditionem a superbia initium sumpsisse. Idem innuitur Is. XIV, 11 etc.: ***Detracta est ad inferos superbia tua... Quomodo cecidisti de coelo, lucifer, qui mane oriebaris? . . . Qui dicebas in corde tuo: in coelum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen in infernum detraheris, in profundum laci.*** Haec verba equidem ad Regem Babyloniae diriguntur: sed huius insolens fastus a Propheta cum superbia Luciferi comparatur, atque ideo illi etiam similis poena praedicitur: idcirco non pauci Patres, ut *Origenes*, ***Athanasius***, *Eusebius Caes.*, *Theodoretus*, *Bernardus*, et alii citatum locum Isaiae de peccato et poena Luciferi, Angelorum malorum ducis, exposuerunt (3). Denique Paulus docens Timotheum, quis in Episcopum eligendus sit, ait *Non neophytum: ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli* (4): quibus verbis satis clare ostendit, ideo diabolum iudicatum esse, quia superbus fuit, et in simile iudicium incidere illos, qui superbia efferuntur. Hnc spectat etiam dictum Christi: *Videbam Satanam sicut fulgur de coelo cadentem* (5), et quidem ob superbiam, quod ex eo patet, quia Christus his verbis nonnihil superbientes discipulos reprimere voluit.

2. Angelos malos per superbiam lapsos esse, est communior Ss. Patrum doctrina. *S. Athanasius* (6) ait: « Satanas non propter fornicationem, aut adulterium, aut furtum de coelo deiectns est, sed superbia ipsum in inferiores abyssi partes praecipitavit. » *S. Gregorius Naz.* (7) dicit, « primum Angelum ob splendorem prius appellatum Lucifernm propter superbiam caliginem effectum esse et nominatum. » *S. Chrysostomus* (8) inquit, diabolum peccasse, « cum maiora sibi, quam pro merito, arrogaret. » *S. Hieronymus* (9) nominat « superbiam proprium diaboli primumque peccatum: unde Apostolus ait: ne inflatus superbia in iudicium incidat diaboli, propter quam de coelo corruit. » *S. Augustinus* (10) de diabolo scribit: « *In veritate non stetit*, sed a luce sua superna, quam de Deo habebat, superbiae merito abscissus est. » *S. Ephraem* (11) ait: « Diabolus propter

(1) Sap. 10, 15. (2) Tob. 4, 14.
(3) V. Calmet in h. l. (4) 1 Tim. 3, 6.
(5) Luc. 10, 10. (6) Or. de Virgin.
(7) Or. 38 (8) Hom. 22, in Gen.
(9) In cap. 16 Ezech.
(10) L. 22 c. Faust. c. 87.
(11) Serm. in eos, qui male vivunt.

cupantur. Ideo etiam *Onkelos, Symmachus, interpres Arabs*, et *Samaritanus* per *Elohim* in textu citato non Angelos, sed homines intelligunt. Versio LXX per *Angelos Dei*, homines religiosos designat, quod infrequens in Scriptura non est (§ 152 not.). Et notandum est, teste *S. Augustino* (1), non omnes praedictae versionis codices habere *Angelos Dei*, sed nonnullos habere *Filios Dei*: et hoc invenimus in codice Complutensi, et in prima LXX editione, Argentorati anno 1526 procusa. Concinne Cl. *Perrone* (2) ait: « Non posse allatum textum sumi de Angelis proprie dictis, evidens est; vel enim fuissent boni, vel mali: neutrum vero dici potest; non boni, quia cum Dei visione iam fruerentur, non potuerunt illecebris carnalibus affici, praesertim cum de his dicat Christus: *non nubent, neque nubentur:* non mali, alioquin daemones dicendi essent filii Dei, quod est absurdum, et nullibi sane in Scripturis hoc nomine compellantur. » Patres, qui Angelos per luxuriam peccasse arbitrati sunt, sententiam hanc non ex sensu Ecclesiae, seu ex Traditione hauserunt, sed vel ex versione LXX, vel ex apocrypho libro Henoch decepti fuerunt: his opponimus Patres et Doctores, qui Angelos per superbiam peccasse dicunt, et quorum numerus et auctoritas longe maior est. *S. Ambrosius* fluctuans tantum sententiam priorem proposuit; nam (3) ipsemet innuit, Gen. VI, 2 Angelorum nomine intelligi posse homines, qui vitae probitate Angelorum gratiam imitarentur: idem (4) ad illud: *vidi impium superexaltatum*, et (5) ad versum, *increpasti superbos*, et ad istum, *superbi inique agebant usquequaque*, non obscure indigitat, daemones per superbiam peccasse: imo haec sententia clare proponitur in Epist. ad Demetriadem, de qua autem, an vere S. Ambrosii sit, non certo constat.

Nota 2. Nonnulli putarunt, primum diaboli peccatum fuisse invidiam, quia legitur: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum* (6). Hanc sententiam amplexus est *S. Cyprianus* (7), qui (8) ita loquitur: « Diabolus, Deo acceptus et carus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit, non prius alterum deiiciens instinctu zeli, quam ipse zelo ante deiectus. » Similia habent *S. Irenaeus* (9), *S. Gregorius Nyss.* (10), *S. Epiphanius* (11). — Certum sane est, diabolum per invidiam deliquisse, quod S. Scriptura aperte testatur, sed admitti non potest, hoc fuisse primum ipsius peccatum. Cum enim in creatione praestantioribus quam homines dotibus exornatus fuerit, vix intelligi potest, quomodo erga creaturas inferioris conditionis (12) invidiam conceperit. Ipse ergo prius per superbiam supernaturales gratias perdidit, et ideo etiam hominem ad imaginem Dei factum indigne tulit. Id docet *S. Augustinus* (13) dicens: « Nonnulli dicunt, hunc diabolo fuisse casum a supernis sedibus, quo inviderit homini facto ad imaginem Dei, sed invidia sequitur superbiam, non praecedit. Non enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia. » Hoc idem asserit, et probat *S. Thomas* (14). Certum pariter

(1) L. 15 de Civ. Dei c. 23.
(2) De Deo Creat. p. 1, c. 2, n. 25.
(3) Serm. 4 in Ps. 118, n. 8.
(4) In Ps. 36. (5) In Ps. 118.
(6) Sap. 2, 24.
(7) In tract. de zelo, et livore.
(8) Cf. S. August. l. 4 de bapt. c. Donat. c. 8.
(9) L. 4 adv. haer. c. 78.
(10) Or. Catech. c. 6. (11) Haer. 64, n. 21.
(12) Ps. 86. (13) L. 11 de Gen. ad litt. c. 11.
(14) 1, q. 63, art. 2.

est, diabolum mendacium protulisse (1), quod *Tatianus* adv. Graec. ut primum ipsius peccatum assignare videtur: sed, iuxta Ss. Patres et Theologos, istud mendacium fuit effectus superbiae et invidiae, non autem primum ipsius peccatum.

Nota 3. Quamvis plerique Patres et Theologi Angelos per superbiam peccasse contendant, non tamen consentiunt in huiusce superbiae natura explicanda. Nonnulli putarunt, Luciferum vere eo devenisse, ut Deo aequalis esse, et cum ipso gloriam, adorationem et dominationem sibi arrogare voluerit, quod Is. XIV, 12 innui videtur. At hoc sine summa caecitate ac stoliditate persuadere sibi ne mortalis quidem homo posset, nedum Angelus, longe perspicaciori intellectu praeditus. Ideo alii cum *Guillelmo Paris.* arbitrantur, diabolum non quidem Deo aequalem, sed neque Deo subiectum esse, verum potius rebus omnibus a Deo conditis summo ac nulli obnoxio iure dominari, et pro Deo haberi et adorari voluisse, quod ipse cum Angelis suis a gentibus obtinere magno deinde studio conatus est. *S. Thomas*, quem plerique Theologi sequuntur, docet superbiam Luciferi in eo fuisse, quod beatitudinem, ad quam factus fuerat, vi sua, et non aliena, assequi voluerit, in eoque expetiverit fieri similis Altissimo; ait enim (2): « Diabolus in hoc appetiit indebite esse similis Deo, quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suae naturae poterat pervenire: avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quae est ex gratia Dei. Vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudinem, quae datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suae naturae, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem. » — Non defuerunt etiam Theologi, qui idcirco lapsos Angelos dixerint, quod patefacto ipsis futuro incarnationis mysterio, invidia et superbia tumentes, renuerint Deum, hominem factum, adorare, quamvis id Deus ipsis praeceperit (3).

Nota 4. Inter Angelos apostatas unum fuisse principem et ducem, qui suo exemplo, aut etiam hortatu alios ad peccatum seduxit, ex ipsa S. Scriptura colligitur, quae commemorat *Beelzebub principem daemoniorum* (4), et loquitur de igne, qui paratus est *diabolo et angelis* (5) eius, atque dicit: *Draco pugnabat et Angeli eius* (6). Ideo *Origenes* (7) dicit: « Apud plurimos ista habetur opinio, quod diabolus apostata effectus, quam plurimos Angelos secum declinare persuaserit, qui et nunc usque Angeli eius vocantur. » Hoc idem Patres passim docent. Sunt etiam qui putant, Luciferum inter omnes Angelos primarium, et nobilissimum fuisse. Sic *Tertullianus* (8) dicit, Satanam Tyriorum principi comparari, « quia erat eminentissimus Angelorum et Archangelus omnium sapientissimus. » *Arnobius Iunior* (9) scribit: « Primus omnium Angelorum in suo corde peccavit. » *S. Gregorius M.* (10) ait: « Apostata Angelus, qui ita conditus fuerat, ut Angelorum caeteris legionibus emineret, superbiendo occubuit. » *S. Bernardus* (11) inquit: « Superbia non modo Angelum, sed Angelorum principem in diabolum commutavit. » Alii tamen, ut *S. Gregorius Nyss.* (12) et *S. Damascenus* (13), eum collocant in infi-

(1) Gen. 3, 4. Io. 8, 44.
(2) 1, q. 63, a. 3.
(3) Hebr. 1, 6
(4) Matth. 12, 24.
(5) Matth. 25, 41
(6) Apoc. 12, 7. — Cf. § 174, not. 1.
(7) L. 1 Periarch.
(8) L. 2 c. Marcion c. 10.
(9) L. 2 de Deo.
(10) L. 4 Mor. c. 13.
(11) S. de Adventu.
(12) Or. Catech. c. 6.
(13) L. 2, c. 4.

mo Angelorum ordine, cui rerum terrenarum procuratio commissa fuerat. - Communis est Theologorum sententia, Angelos statim post creationem peccasse. Iuxta *S. Augustinum* (1), primo Angeli in propria natura creati sunt, postea se in propria substantia noverunt, tum aliqui conversi sunt in Dei amorem et laudem, caeteri vero superbia inflati absque relatione ad Creatorem propria delectatione capti sunt. *S. Thomas* (2) docet, Angelum peccasse « post primum instans suae creationis. » — Numerus Angelorum lapsorum nobis revelatus non est. Iuxta communem autem sententiam, plures Angeli permanserunt in gratia, quam peccaverunt, quod *S. Thomas* (3) probat ex IV Reg. 6 ubi dicitur: *Plures nobiscum sunt, quam cum illis*, quod exponitur de bonis Angelis, qui sunt nobiscum in auxilium et de malis. Idem addit rationem theologicam, dicens: « Plures Angeli permanserunt quam peccaverunt: quia peccatum est contra naturalem inclinationem (scilicet in Angelis in gratia creatis): ea vero, quae contra naturam fiunt, ut in paucioribus accidunt, natura enim consequitur suum effectum vel semper, vel ut in pluribus. » Sunt, qui putant, tertiam partem Angelorum a Deo defecisse, quia de dracone magno legitur: *Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum coeli, et misit eas in terram* (4); sed hic de lapsu Angelorum sermonem esse, vix solide probari potest; contrarium potius ex contextu colligendum esse videtur.

III. *De funestis effectibus peccati Angelorum.*

§ 177. Peccatum ab Angelis desertoribus commissum, funestissimos in ipsis effectus produxit, nimirum *obcaecationem intellectus*, *indurationem voluntatis in malo*, *amissionem gratiae sanctificantis, et beatitudinis*, ac demum *inflictionem poenarum aeternarum*.

1. Per peccatum equidem natura, seu substantia Angelorum mutata non fuit; daemones ergo spiritus etiam post lapsum manent, intellectu, et voluntate praediti. Consentiunt enim sat communiter Theologi cum *Dionysio*, qui (5) de Angelis lapsis dicit: « Naturalia in ipsis integra manent. » Quomodo autem per peccatum ipsorum intellectus obtenebratus fuerit, ita declarat *S. Thomas* (6). — « Duplex est cognitio veritatis, una, quae habetur per gratiam, alia, quae habetur per naturam. Et ista, quae habetur per gratiam, est duplex: una, quae est speculativa tantum, sicut cum alicui aliqua secreta divinorum revelantur: alia vero, quae est affectiva, producens amorem Dei; et haec proprie pertinet ad donum sapientiae. Harum autem trium cognitionum prima in daemonibus nec est ablata, nec diminuta. Consequitur enim ipsam naturam Angeli, qui secundum suam naturam est quidam intellectus, vel mens. Propter simplicitatem autem suae substantiae a natura eius aliquid subtrahi non potest, ut sic per subtractionem naturalium puniatur, sicut homo punitur per subtractionem manus, aut pedis, aut alicuius huiusmodi. — Secunda autem cognitio, quae est per gratiam in speculatione consistens, non est in eis totaliter ablata, sed diminuta, quia de huiusmodi secretis divinis tantum revelatur eis, quantum oportet vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia divinae virtutis ef-

(1) V. Berti l. 10, c. 15, prop. 2
(2) L. c. art. 6. (3) Ib. art. 9.
(4) Apoc. 12, 4. (5) De div. nomin. c. 4.
(6) 1, q. 64, art. 1.

fecta, - non autem sicut ipsis sanctis Angelis, quibus plura, et clarius revelantur in ipso Verbo. A tertia vero cognitione sunt totaliter privati, sicut et a charitate. » — Id sane confirmatur per dictum Apostoli: *Daemones credunt, et contremiscunt* (1): daemones ergo Deum cognoscunt, at non ut per amorem cum ipso uniantur, sed ut ipsius infinitae excellentiae, omnipotentiae, sanctitatis et iustitiae consideratione timore concutiantur. Qua ratione autem daemones in nonnullorum secretorum divinorum cognitionem venire possint, praeclare explicat *S. Augustinus* (2), qui observans, daemones aliquo modo cognovisse Christum, ita prosequitur: « Clarum est, quod in eis et tanta scientia erat, et charitas non erat... tantum vero eis innotuit, quantum (Christus) voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed innotuit, non sicut Angelis sanctis, qui eius secundum id, quod Dei Verbum est, participata aeternitate perfruuntur, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit. Innotuit ergo daemonibus non per id, quod est vita aeterna, et lumen incommutabile, quod illuminat plos, cui videndo per fidem, quae in illo est, corda mundantur, sed per quaedam temporalia suae virtutis effecta et occultissima signa praescientiae, quae angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius, quam infirmitati hominum possent esse conspicua. » Quamvis autem naturalis intelligendi facultas in Angelis lapsis permanserit, ita ut maiori quam homines perspicacia gaudeant: attamen, ut observat Cl. *Billuart* (3) in usu illius deficere et errare possunt, excaecante eos superbia, invidia, odio in Deum et obstinatione in malo. Atque ideo quamvis eorum natura, seu substantia per peccatum non fuerit mutata, ipsorum tamen cognitio practica et effectiva valde videtur esse imminuta. Hoc idem docet *S. Augustinus*, qui (4), loquens de peccati effectibus, ait: « Dein etiam iam nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum et concupiscentia noxiarum, quibus comites subinferuntur error et dolor, » et post panca (5) addit: « Haec communia mala sunt et hominum, et Angelorum, pro sua malitia Dei iustitia damnatorum. » Idem (6), disserens de cognitione Angelorum bonorum et malorum, ait: « Denique saepe isti, nunquam illi omnino falluntur. »

2. Voluntas daemonum in malo obstinata est, ita et ne unum quidem opus exerceant, quod vel moraliter bonum sit; semper enim operantur vel ex odio, quo contra divinam maiestatem flagrant, vel ex affectione ad malum finem, vel cum aliqua alia prava circumstantia, adeo ut etiam tunc, quando aliquod opus ex obiecto bonum faciunt, male agant, non bene id, quod bonum est, facientes. Ideo Angelus rebellis per antonomasiam *diabolus*, *satanas*, i. e. adversarius nuncupatur, quia consiliis Dei continuo se opponere conatur. Christus de ipso dicit: *Non est veritas in eo; cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est* (7). — Paulus eundem *nequissimum* (8), Ioannes *malignum* (9) vocat, Iacobus zelum amarum, et spiritum contentionis *diabolicum* (10) nominat. — Omnes Theologi in hoc consentiunt, quod voluntas daemonum in malo indurata sit; dissentiunt autem, dum

(1) Iac. 2, 19. (2) L. 9 de Civ. D. c. 21.
(3) De Angel. Diss. 6, a. 1, § 1.
(4) Enchir. c. 24. (5) C. 25.

(6) L. 9 de Civ. Dei c. 22.
(7) Io. 8, 44. (8) Eph. 6, 16.
(9) 1 Ep. 2, 13 etc. (10) 3, 14 etc.

quaeritur, unde in eis haec induratio et obstinatio in malo sit repetenda. — *S. Thomas* (1) id repetit ex eo, quia, « Liberum arbitrium Angeli est flexibile ad utrumque oppositum (bonum et malum) ante electionem, sed non post. Sic igitur et boni Angeli semper adhaerentes iustitiae sunt in illa confirmati, mali vero peccantes sunt in peccato obstinati. » Sed haec inflexibilitas voluntatis angelicae post electionem factam multis Theologis non probatur § 160 n. 1. *Scotus* obdurationem daemonum in malo repetit ex privatione divini auxilii ad fructuosam poenitentiam necessarii; sed per hanc privationem declaratur quidem, cur non salubriter resipiscant, non autem cur ad omne malum proni sint. Dictae ergo privationi iungenda est cum *Suarez, Tournely* et aliis miserrima daemonum conditio, ad quam ex iusto iudicio Dei pervenerunt; videntes enim se maxima beatitudine privatos ac aeternis suppliciis addictos, sic in odium Dei commoventur, ut voluntas eorum male affecta et omni gratiae auxilio destituta semper ad malum determinetur. Huius sententiae est etiam *S. Bonaventura* (2), qui ita disserit: « Quia voluntas angelica est extra meriti statum, idcirco abest ab ea omnis gratia; et quia est in statu damnationis, ideo ipsi adest desperatio certissima, quae duae sunt conditiones omnino disponentes voluntatem ad impossibilitatem rectitudinis. » Paucis verbis rem proponit *Soto* (3), dicens: « Sicut ex visione Dei sequitur in Beatis confirmatissimus ipsius amor, ita in damnatis ex consideratione suae miseriae sequitur obstinatissimum Dei odium, quo velut hostem eum perpetuo prosequuntur. » Quapropter legitur: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper* (4). — Quaesitum inter Theologos, an et qua libertate daemones gaudeant? an male operantes in statu damnationis vere peccent? et an per haec peccata novas poenas mereantur? — Varii varia ad has quaestiones reposuerunt, sed optime illas solvit *Card. Bellarminus*, qui, confutans *Calvinum* libertatem negantem (5), ita disserit: « Ad tertiam (Calvini rationem) de peccatis daemonum et bonis operibus Angelorum respondeo, tam Angelos sanctos, quam malos daemones respectu finis ultimi non habere liberum arbitrium a necessitate sed solum a coactione: tamen respectu mediorum liberum arbitrium etiam a necessitate habere, quia multa faciunt, quae possent non facere et contra: et in huiusmodi daemones vere peccare, et bonos Angelos opus vere laudabile facere; quamvis nec poena, nec praemium essentiale crescere possit, cum utrique sint in termino, et omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriae sempiternae pertineant. Itaque propositio illa Calvini: daemones semper necessario male agunt, in aliquo sensu falsa est, in aliquo vera. Verum siquidem est in genere, eos non posse nisi male agere; falsum tamen est in particulari, omnia mala, quae faciant, illos necessario facere: possent enim ut diximus, multa non facere, quae faciunt, et ideo non necessitate, sed voluntate peccata committunt. » Huic sententiae adhaeret Cl. *Tournely*, et cum eadem fere ex integro etiam consentiunt *Estius, Suarez, Petavius, Sylvius* et alii (6).

3. Maxime funestus peccati ab Angelis commissi effectus fuit amissio gratiae sanctificantis coelestisque bea-

(1) 1, q. 64, a. 2. (2) In 2, dist. 7, a. 1, q. 1. (3) 4, Dist. 50, a. 4 et 5. (4) Ps 73, 23.

(5) L. 5 de grat. et lib. arbit. c. 14.
(6) V. Tournely de Ang. q. 10, a. 3, c. 3.

titudinis. Illa enim, quae in charitate Dei consistit, cum peccato mortali nequit coniungi, dicente Psalmista ad Deum: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem* (1). Angeli ergo rebelles dona gratiae, quibus ornati fuerant, perdiderunt, et ex amicis inimici Dei facti sunt. Idcirco etiam e coelo, sede Beatorum, expulsi sunt, quod testatur Apostolus, dicens: *Michaël et Angeli eius praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et Angeli eius: et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo* (2); et in Ep. Iudae, v. 6 dicitur: *Angeli non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium* (3). Ideo *S. Augustinus* (4) scribit: « Daemones de coeli superioris sublimitate deiecti, merito irregressibilis transgressionis, in hoc sibi congruo velut carcere praedamnati sunt. » Imo Ss. Patres, quamvis non conveniant in loco assignando, ad quem rebelles Angeli statim post lapsum detrusi sunt, in hoc tamen omnes consentiunt, quod e coelo eiecti, et visione Dei beatifica privati fuerint. Et haec poena damni, quae in iactura infiniti boni summaeque felicitatis consistit, tanta est, ut a mente humana explicari et intelligi non possit.

4. Praeter privationem coelestis beatitudinis daemones etiam poenam ignis sustinere debent, quod Christus ipse testatur, commemorans: *Ignem aeternum, qui paratus est diabolo et Angelis eius* (5). Hunc vero ignem non metaphorice, sed in sensu proprio intelligendum, et vere materialem, ac corporeum, quamvis a nostro terreno distinctum esse, patet ex plurimis Scripturae locis parallelis. Sic Deus dicit: *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (6). *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis* (7)? *Consummatio illorum flamma ignis* (8). *Reus erit gehennae ignis* (9). *In flamma ignis dantis vindictam* (10). *Igni reservati in diem iudicii* (11). *Ignis aeterni poenam sustinentes* (12). *Diabolus missus est in stagnum ignis* (13). Tam constans autem loquendi modus Scripturae sensum metaphoricum minime redolet; nam, iuxta regulam a *S. Augustino* (14) traditam, verba Scripturae proprio et naturali sensu intelligi debent, quoties naturalis sensus nec absurditatem aliquam praesefert, nec cum aliis Scripturae locis pugnat: neutrum autem circa ignem paratum diabolo et angelis eius ostendi potest. Ex hac ratione etiam Ss. Patres docent, damnatos vere et proprie dicto igne materiali torqueri. *S. Iustinus M.* (15) conceptis verbis asserit, « Ignem aeternum peccatoribus esse paratum. » *S. Cyprianus* (16) ita infernum describit: « Saeviens locus, cui gehennae nomen est... eructantibus flammis per horrendam spissae caliginis noctem saeva semper incendia camini fumantis expirant, globus ignis arctatus obstruitur, et in varios poenae exitus relaxatur etc. *S. Basilius* (17), verbis istis: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, significari credit ignem corporeum, quo cruciantur daemones: « Ut quoniam, inquit, duae sunt in igne vires, urendi et illuminandi, prior, quae est acerrima, et ad puniendum idonea, iis

(1) Ps. 5, 7 (2) Apoc. 12, 7 etc.
(3) Cf. 2, Petr. 2, 4.
(4) L. 8 de civ. Dei c. 22
(5) Matth. 25, 41. (6) Deut. 32, 22.
(7) Is. 33, 14 (8) Eccli. 21, 10.
(9) Matth. 5 22. (10) 2 Thess. 1, 8.

(11) 2 Petr. 3, 7. (12) Iud. v. 7.
(13) Apoc. 20, 15.
(14) L. 3 de Doctr. Christ. c. 10.
(15) Apol. 2 (16) De laud. martyr. c. 12.
(17) Hom. 1 in Ps. 28.

attributa sit, qui exustione digni sunt; illuminandi vero splendida vis ad eos exhilarandos, qui gaudio perficiuntur, attineat. » *S. Hieronymus* (1) arguit *Origenem*, quod ignem inferni metaphorica translatione explicaverit. *S. Augustinus* (2) scribit: « Gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, et cruciabit corpora damnatorum, et hominum, et daemonum... Unus quippe utriusque ignis erit, sicut veritas dixit. » *S. Gregorius M.* (3) ait: « Ignem gehennae corporeum esse non ambigo. » Ideo communis est inter Catholicos sententia, in inferno vere et proprie dictum ignem materialem adesse. Fatentur tamen Theologi, hanc sententiam ad dogmata fidei referri non posse, quia nulla extat de igne corporeo Ecclesiae definitio neque expressa illorum damnatio, qui contrarium senserunt (4). — Alia quaestio movetur, an Angeli rebelles statim post lapsum in infernum detrusi sint, et modo iam poena ignis torqueantur, vel an haec solum post diem iudicii ipsis infligenda sit? — Hoc veteres plurimi censuerunt, tum quia supremus Iudex nominat ignem, qui non inflictus, sed *paratus est diabolo et angelis eius* (5), tum quia in citatis Petri et Iudae testimoniis daemones *in iudicium reservari* dicuntur; tum quia satan dicitur *circuire terram* (6), et daemones variis modis homines infestant; tum quia Paulus Satanam vocat *principem potestatis aëris huius* (7), et in genere daemones nominat *mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiae in coelestibus* (8), i. e. in aëre, quem in locum *S. Hieronymus* scribit: « Haec autem omnium Doctorum opinio est, quod aër iste, qui coelum et terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus. » His rationibus adducti etiam ex Ss. Patribus non pauci docuerunt, daemones nondum ignibus inferni cruciari, sed in quodam caliginoso aëris loco detineri, ex quo nonnisi permittente Deo, exire possunt. Inter Theologos recentiores hanc sententiam amplexus est *Card. Caietanus* (9), et nuperrime Cl. *Dieringer* (10). — Loca Patrum pro eadem sententia refert *Petavius* (11). — Sed his non obstantibus, communis tamen modo et constans est Theologorum sententia, daemones illico post peccatum fuisse supplicio infernalis ignis punitos. Haec sententia, licet non de fide certa, gravibus innititur argumentis: nam *a*) S. Petrus expresse dicit: Deus Angelos *rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (12); ergo post peccatum statim in tartarum, i. e. in infernum deiecti sunt, et ibi actu iam cruciantur. Consonat dictum Iudae v. 6, qui asserit, daemones *vinculis aeternis sub caligine* reservari, per caliginem autem ipsum infernum intelligi patet ex locis parallelis, in quibus Christus infernum nuncupat *tenebras exteriores* (13). Huc etiam pertinet istud Isaiae: *Detracta est ad inferos superbia tua*, et infra: *Verumtamen ad inferos detraheris usque ad profundum laci* (14). - *b*) Angeli boni statim habuerunt suae perseverantiae mercedem aeternam scilicet beatitudinem, qui actu iam *in coelis vident faciem Patris* (15); haud

(1) Ep. 59. (2) L. 21 de civ. Dei c. 10.
(3) L. 4 Mor. c. 29.
(4) Cf. Petav. l. 3 de Ang. c. 5, Tournely de Ang. q. 11 a. 2, Berti l. 10, c. 17.
(5) Matth. 24, 41. (6) Iob 1, 7, 1 Petr. 5, 8.
(7) Ephes. 2. 2. (8) Ib. 6, 12.

(9) Comment. in 2 Petr. 2, 4
(10) Dogm. § 45, n. 7.
(11) De Ang. l. 3, c. 4. (12) 2 Ep. 2, 4
(13) Matth. 8, 12, 22, 13, 25, 30.
(14) Cap. 14, v. 11 et 15. (15) Matth. 18.

immerito ergo ex opposito infertur, etiam malis Angelis suae apostasiae poenam illico fuisse inflictam, ignem scilicet infernalem. *c*) Certum est, animas hominum, si in lethali culpa decedant, sine dilatione detrudi in infernum, sicuti in Concilio Florentino definitum fuit: ast nulla potest assignari ratio, cur animae hominum peccato inquinatae deterioris debeant esse conditionis, quam daemones; « Melius, ait *S. Thomas* (1), est dicendum quod idem iudicium sit de malis animabus et malis Angelis, sicut idem iudicium est de bonis animabus et de bonis Angelis. » *d*) Neque demum nostrae sententiae suffragatores desunt aliqui Ss. Patres, quorum nomine *V. Beda* Comment. (2), de daemonibus loquens, ait: « Ubicumque vel in aëre volitant, vel in terris, aut sub terris vagantur, sive detinentur, suarum semper secum ferunt tormenta flammarum, instar febricitantis, qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, fervorem tamen, vel frigus insiti sibi languoris vitare non potest. Sic ergo daemones, etsi in templis colantur auratis, etsi per aëra sua discurrant, igne semper ardent gehennali. » Consentit etiam *Prudentius* (3) dicens: « Confitens ardere se; nam gehennae est incola. » — Ex his rationibus Theologi censent, daemones actu iam inferni ignibus torqueri. — Neque difficile est, contrariae sententiae, quam *Petavius* (4) reiici et damnari non posse dicit, *Bellarminus* autem (5) ab errore haud vindicat, argumenta enervare. Christi enim verba sic intelligenda sunt, quod eadem poena ignis, quae Angelis peccantibus statim post lapsum parata fuit, reprobis sit infligenda: et sane, si quis dicit, hic esse carceres pro malefactoribus paratos, non ideo negat, iam aliquos ex his in illis detineri. — In iudicium daemones reservari dicuntur, ut ibi publice iudicati maximam confusionem experiantur, et poenae ipsis inflictae iustitia cunctis pateat. — Negari non potest, daemones in aëre versari, terram circuire, homines infestare: ast id nostrae sententiae non opponitur, quod *S. Thomas* (6) ostendit docens, omnes quidem Angelos desertores statim post rebellionem suam in infernum esse demissos; sed postea eorum Principi Deum permisisse, ut ex illo carcere exiret ad tentandos primos parentes; post horum vero peccatum aliis quoque daemonibus datam esse licentiam, ex inferorum claustris erumpendi, ut homines ad peccatum sollicitarent, donec expletis fidei christianae triumphis, amissa penitus evagandi et nocendi potestate, in destinatum sibi locum detrudantur. — Quod Ss. Patres attinet, *Estius* (7) putat, eorum testimonia, qui malorum Angelorum damnationem ad extremi iudicii diem differunt, intelligi et explicari posse de poena quadam secundaria, quam subire cogentur post finem mundi, quaeque sita est primo in confusione, quam superbissimi illi spiritus patientur in iudicio universali, eorum nequitia omnibus gentibus patefacta; secundo in maxima ignominia et rabie, quando non solum a Deo et ab Angelis, sed etiam ab hominibus iudicabuntur et condemnabuntur; tertio, quia ipsis nocendi potestas auferetur; et demum quia omni eo cultu privati erunt, quem malis artibus ab hominibus modo extorquent (8).

(1) 1, q. 64. art. 4 ad 3.
(2) In cap. 3 Ep. S. Iacobi.
(3) Hymno I de diabolo.
(4) De Ang. l. 3, c. 4, n. 21.
(5) L. 1 de Beatitud. Sanctorum c. 6
(6) 1, q. 64, a. 4. (7) L. 2 sent. dist. 6, c. 13.
(8) Cf. Bellarmin. lib. 1 de Beatit. Sanctorum c. 6. Tournely q. 11 de Angel. a. 1.

5. Daemonum supplicia aeterna sunt, ita ut nunquam ex illis liberentur. Haec propositio est dogma catholicum. Circa istud, teste *S. Epiphanio*(1) et *S. Hieronymo* (2), aberravit *Origenes*, docens: « Omnium impiorum hominum, ipsorumque etiam daemonum tormenta finem habitura, atque impios et daemones in priorem suum statum restitutum iri. » Eundem errorem amplexi sunt *Sociniani*, qui aeternitatem poenarum neque pro hominibus impiis, neque pro Angelis malis admittunt. Contra istos aberrantes dogma catholicum ex divina Revelatione probandum est. — *a*) *S. Scriptura*, damnatorum poenas aeternas esse, claris verbis docet. Is. XXXIII, 14 legitur: *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Marc. IX, 43 de impiis ter repetitur: *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*, scilicet ne quis, uti observat *S. Augustinus*, dubitet, verum omnino esse, quod ibi exprimitur. Matth. XXV, 41 Iudex asseritur dicturus reprobis: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius*, et infra addit: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam*. Nec valet dicere, ignem quidem fore aeternum, non vero combustionem aeternam; istud enim effugium invicte refellit *S. Augustinus* (3), dicens: « neque illud dici hic potest ignem aeternum dictum, non item combustionem aeternam..... ut videlicet ignis aeternus sit, combustio vero eorum, hoc est, operatio ignis, non sit in eos aeterna: cum et hoc praevidens Dominus sententiam suam conclusit, ita dicens: Sic ibunt illi in combustionem aeternam; iusti autem in vitam aeternam: » in aeternum ergo durabit supplicium, seu combustio, sicut ignis. Idem confirmatur Apoc. XVI, 11, ubi de damnatis dicitur: *Fumus tormentorum eorum ascendit in saecula saeculorum*, et XX, 10: *Cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum*. - *b*) Poenas daemonum aeternas esse, est universalis et constans Ss. Patrum doctrina. *S. Iustinus M.* (4) de diabolo scribit: « Quem una cum sua militia, et hominibus eum sequentibus in ignem missum, et per saeculum infinitum excruciatum iri, praemonstravit Christus (5). » — *S. Irenaeus* (6) ait: « Quibuscunque dixerit Dominus: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum*, isti erunt semper damnati. » Et (7): « Aeterna autem et sine fine sunt a Deo bona; et propter hoc et amissio eorum aeterna et sine fine est. » *Tertullianus* (8) animam, ait, « pro meritis aut cruciatui destinari, aut refrigerio, utroque sempiterno. » (9) Ipse *Origenes* (10) scribit: « Quidam eorum, qui libenter contentiones reperiunt, adscribunt nobis et nostrae doctrinae blasphemiam, super qua ipsi viderint, quomodo illud audiant: neque ebriosi, neque maledici regnum possidebunt: licet patrem malitiae et perditionis eorum, qui de regno Dei eiiciuntur, dicunt posse salvari, quod ne mente quidem quis captus dicere potest. » *Lactantius* (11) ait de diabolo: « Ad poenam damnabitur, cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus perpetuo igne cremabitur in aeternum. Haec est doctrina Ss. Prophetarum, quam *Christiani sequuntur*. » *S. Ambrosius* (12) inquit: « Tu te a diabolo creatum,

(1) Ep. ad Ioann. Hierosol.
(2) Ep. 65 ad Pammachium.
(3) L. de fide c. 15. (4) Apol. 1, n. 28.
(5) Cf. Apol. 2, n. 8 (6) L. 4 adv. haer. c. 47.
(7) L. 5, c. 27.
(8) L. de Testimonio animae c. 4.
(9) Cf. Apologet. c. 45.
(10) Ep. ad Fabian. n. 6.
(11) L. 7, inst. c. 26. (12) L. 2 de fide c. 4.

Manichaee, arbitraris: ad illius ergo festina sedem, ubi ignis et sulphur, ubi non restinguitur eius incendium, nec unquam poena moritur. » *S. Gregorius Naz.* (1), varias distinguens ignis species, in fine dicit: « Ille omnibus his formidabilior est, qui cum insomni illo verme coniunctus est, nec unquam extinguitur. » *S. Basilius* (2) damnatae ac sero resipiscentis animae, querelam hanc memorat: « Ob brevem peccati voluptatem aeternum crucior. » *S. Chrysostomus* (3) dicit: « Non est parva, quae proponitur quaestio, sed et de maxime necessariis, et quae quaerunt homines omnes, an finem habeat ignis gehennae? Nam quod non habeat, Christus pronuntiavit dicens: *Ignis eorum non extinguetur.* » — *S. Hieronymus* (4) ait: « Prudens lector adverte, quod et supplicia aeterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum: » et (5) contra eos invehitur, qui diabolo poenitentiam promittunt, dicens: « Ubi sunt ergo, qui dant diabolo poenitentiam, et dicunt, illum posse mutari? » — *S. Augustinus* (6) testatur: « Quod esse diabolum et angelos eius tam malos utique, ut eis ignis praeparetur aeternus, nullus fidelis ignorat. » *S. Fulgentius* (7): haec habet: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, ex ore Dei iusti aeternique Iudicis sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniquos omnes ituros in combustionem aeternam: iustos autem in vitam aeternam: iniquos semper arsuros cum diabolo, iustos autem sine fine regnaturos cum Christo » (8).

Nota 1. Quaestio moveri solet, quomodo daemones, qui naturam habent mere spiritualem, torqueri possint per ignem materialem? — Hanc difficultatem Theologi variis modis enodare conati sunt. Communior inter Doctores Scholasticos sententia propugnat, daemones ab igne torqueri per alligationem ad eundem ignem, in quo tanquam in carcere inviti tenentur, ita ut se neque inde liberare, neque libere actiones, ubi et quomodo voluerint, exercere possint, ex quo maxime affliguntur et torquentur. Nonnulli Theologi poenam ignis in hac sola alligatione consistere autumant; plures autem, ut *S. Thomas*, *Suarez*, *Estius*, *Sylvius* et alii contendunt, praeter alligationem daemones etiam alio quodam speciali passionis modo per ignem cruciari. Fatentur autem hunc modum a nobis cognosci et explicari non posse. Ideo *S. Augustinus* (9) ait, « daemones torqueri ab igne miris et ineffabilibus, veris tamen modis. » Ignorantia autem modi non tollit certitudinem facti: quapropter recte dicit *Hugo Victorinus:* « Quomodo animae sine corporibus a rebus corporalibus patiantur, — ecce dicamus: nescimus: numquid hoc verum non est, quia nescimus quomodo est? » — Maxime profecto absonum esset, si quis in daemonibus, quia spiritus sunt, cruciatus per ignem contradictorios et impossibiles dicere vellet. Nam, uti egregie observat *S. Augustinus* (10): « Si consideremus diligentius, dolor, qui dicitur corporis magis ad animam pertinet. Animae enim est dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi causa existit a corpore, cum in eo loco dolet, ubi laeditur corpus... Corpus autem nec exanime dolet, nec animatum sine anima dolet. » Si ergo Deus efficere potuit, ut anima corpori

(1) Or. 40. (2) Exhort. ad bapt. sub finem.
(3) Hom. 9 in 1 Cor.
(4) Comm. in Matth. 25, 46.
(5) In Isaiam 14, 20 (6) In Ps. 77, n. 28.
(7) L. de fide, c. 43.
(8) Cf. Petav. de Ang. l. 3 c. 8.
(9) L. 21, de Civ. Dei c. 10.
(10) L. 21, de Civ. Dei c. 3.

alligata per corpus dolorem ignis sentiat, an efficere non poterit, ut anima a corpore soluta, aut spiritus incorporeus, qualis est daemon, alio quodam modo limitatae nostrae menti impervio, poenam ignis sentiat? — id qui negaret, omnipotentiam divinam limitaret et sententiam proponeret, tum Revelationi tum rectae rationi repugnantem. — An autem etiam daemones, qui extra infernum in aëre versantur, poenam ignis sentiant, non convenit inter Theologos. Nonnulli dixerunt, daemones secum asportare particulam ignis, qua alligentur et incarcerentur. Ast, ut observat Cl. *Billuart* (1), id foret multiplicare miracula sine necessitate, quod enim iste ignis a nobis non videretur, esset miraculum, et aliud miraculum, quod corpora vicina non combureret, aut calefaceret. Ideo alii Theologi negant, daemones extra infernum commorantes igne torqueri. *S. Thomas* (2) hac de re ita disserit: « Daemones, licet actu non alligentur gehennali igni, dum sunt in aëre isto caliginoso: tamen ex hoc ipso, quod sciunt, illam alligationem sibi deberi, eorum poena non diminuitur. Unde dicitur in quadam glossa in Iac. III, quod portant secum ignem gehennae quocumque vadant. Nec est contra hoc quod rogaverunt Dominum, ut non mitteret eos in abyssum: ut dicitur Luc. VIII, quia hoc petierunt reputantes sibi poenam si excluderentur a loco, in quo possunt hominibus nocere: unde Matth. VIII, dicitur, quod deprecabantur eum, ne expelleret eos extra regionem. »

Nota 2. Sociniani, recentioresque Rationalistae clamitant, doctrinam propositam admitti nullatenus posse, quia iustitiae divinae adversatur, ut daemones propter unicum et momentaneum peccatum tam diris atque aeternis poenis affligantur: gravitas enim supplicii debet esse proportionata peccato, quod ipsa S. Scriptura innuit, dicens: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus*(3); non possunt ergo pro unico peccato tam dirae et multiplices, nec pro temporaneo aeternae poenae infligi. Ad difficultatem hanc tollendam sequentia observanda sunt. *a*) Poenas diras atque aeternas Deus in daemones decrevit, uti ex divina Revelatione iam solide probatum est: quidquid autem Deus decernit, iam ideo, quia vult, et solum ideo quia vult, iustum, sanctum et bonum est, cum iustitia divina non sit nisi ipsa omnino independens voluntas Dei (§ 48); ergo poenae daemonibus inflictae sicut voluntati, ita iustitiae divinae apprime conformes sunt. Criminatio adversariorum potius divinae adversatur iustitiae, quam humanae rationis censurae subiicit, et a legibus seu regulis superioribus dependentem pronuntiat. *b*) Ut quis de iustitia poenae reo inflictae rectum iudicium ferat, omnino necesse est, ut gravitatem criminis ab ipso commissi perfecte cognoscat. Quis autem mortalium gravitatem peccati ab Angelis patrati perfecte pensare valet? ad hoc opus esset, ut tum naturam angelicam excellentissimis dotibus praeditam, tum modum, quo Angeli mali contra Deum creatorem et benefactorem suum rebelles extiterunt, intime perspiceremus: ast talis perfecta cognitio a nullo homine haberi potest. Deus ergo solus gravitatem peccati ab Angelis commissi recte iudicare valet, et non sine horrenda temeritate ipsius iudicium ab homine caecutiente carpitur. *c*) Falsum prorsus est, quod Sociniani dicunt, non posse pro uno peccato multiplices, nec pro tem-

(1) De Ang. Diss. 6, art. 3.

(2) 1, q. 64, art. 4 ad 3.

(3) Deut. 25, 2.

porali aeternas poenas infligi. Nam etiam in iustitia humana hincinde pro uno crimine plures, et pro delicto, quod brevissima temporis mora commissum fuit, diuturnae poenae statuuntur, quin ideo a Socinianis, aut Rationalistis Iudices de iniustitia arguantur. Et quomodo Deum daemones iudicantem et punientem de iniustitia arguere praesumunt, Deum, cuius voluntas legibus et regulis subiecta non est? — Iam tempore *S. Augustini* nonnulli extiterunt, qui dicerent, daemones pro momentaneo peccato non posse in aeternum damnari: quibus S. Doctor respondit (1): « Nulla unquam iustitia, nec lex decrevit, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur, admisit. Octo genera poenarum in legibus esse scribit Tullius, — damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. Quid horum est, quod in breve tempus pro cuiuscunque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum? » — Gravitas supplicii debet equidem esse proportionata gravitati peccati, ita ut pro graviori peccato maior, leviori minor poena infligatur, quod Deut. XXV, innuitur; sed in nullo iudicio requiritur, ut poena adaequetur culpae secundum durationem. - *d*) *S. Gregorius M.* (2), rationem affert, cur peccatum, quamvis in brevi temporis mora patratum, tamen iustissime per totam aeternitatem puniatur. Docet enim peccatum mortale aeternum esse atque infinitum ratione affectus peccantis, quatenus nimirum, qui peccat, sic animo affectus est, ut peccatum cupiat esse perpetuum: porro iustum est, ut qui affectum habet, et voluntatem in aeternum peccandi, poenis etiam plectatur aeternis, seu, ut loquitur ibidem S. Doctor, « iustum est, ut qui in suo aeterno (affectu scilicet) peccavit contra Deum, in aeterno Dei puniatur. » In quae verba *S. Thomas* (3) ait: « Dicitur aliquis in suo aeterno peccasse, non solum secundum continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso, quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in aeternum peccandi. » Ipsemet *S. Gregorius M.* (4) sententiam suam clarius explicat, dicens: « At inquiunt, sine fine non debet puniri culpa cum fine: iustus nimirum est omnipotens Deus, et quod non aeterno peccato commissum est, aeterno non debet puniri tormento. Quibus respondemus, quod recte dicerent, si iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo tum cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere... Ad districti ergo Iudicis iustitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, et nullus datur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, noluit habere terminum criminis. » Etsi autem S. Doctor de damnatis dumtaxat hominibus loquatur, nihilo minus quae ibi asserit, daemonibus etiam adaptari possunt; isti enim quamdiu fuerunt in via, ita pertinaciter peccato adhaeserunt, ut ab eo resilire noluerint, et in ea prava ac perduelli voluntate perpetuo stetissent, si perpetuus fuisset eorum viae status.

Nota 3. Ex tradita doctrina varia documenta moralia deducere licet. *a*) Si Angeli, excellentissimis dotibus exornati miserrime defecerunt, quis

(1) L. 21 de Civ. D. c. 11.
(2) L. 34, Mor. c. 16.
(3) 1, 2 q. 87, a. 3, ad 1.
(4) L. c.

a lapsu securus est? Etiam qui perspicaci intellectu praeditus et magna scientia imbutus est, aberrare, et qui pietate eminet, ab hac deficere et in gravissima peccata ruere potest. Nunquam ergo se homo securum putet, nunquam de suis meritis et viribus praesumat, sed semper memor sit apostolici moniti: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*(1). — *b*) Angeli mali ob unum et momentaneum peccatum dirissimis atque aeternis poenis subiecti sunt: quis exinde non cognoscet, quam grave malum sit offensa Dei infiniti, quantusque sit rigor iustitiae divinae? Poena in daemones lata fortissimum nobis semper incitamentum esse debet, Deum timendi et peccatum fugiendi. Ad salutarem hunc timorem Christus ipse nos excitat, dicens: *Dico vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis: hunc timete*(2). — *c*) Angelorum lapsus nos praecipue commonet, quantopere cavendum sit a superbia, quae si cor inficit, omnia bona corrumpit et omnia mala progignit. Ideo *S. Augustinus* (3) inquit: « Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, et superbia ex Angelis daemones facit. Superbia est omnium peccatorum initium, et finis, et causa, quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. » Quilibet ergo menti suae alte imprimat praeclarum Tobiae IV, 14 monitum: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

(1) I Cor. 10, 12. (2) Luc. 12, 4 etc.

ARTICULUS VII.
De infestatione daemoniaca.

§ 178. Sicuti Angeli boni, qui nihil nisi gloriam Dei quaerunt, hominibus bene volunt eosque ad virtutem dirigunt ac multis amoris officiis prosequuntur, ita Angeli mali pro perversa sua indole in nostram perniciem conspirant, nec quidquam intermittunt, quo malos nos efficere possint et infelices. Neque ad hoc ipsis vires desunt; nam facultates eorum naturales per lapsum destructae non fuerunt, et quoniam non ita infernali carceri alligati sunt, ut nunquam ex illo egredi queant, sed hincinde, Deo permittente, in aëre et in terra circumvagantur, certe etiam in homines, aliasque res sublunares vires suas exerere possunt (§ 161). Multo minus quam potentia ipsis nocendi voluntas deest, maximo enim odio in Deum feruntur, cui animas eripere et cuius offensas multiplicare anhelant, atque praeterea funestissima erga homines redemptos invidia tabescunt, quos gratiis privare et miseriae suae socios reddere quaerunt. Exinde oritur *infestatio daemoniaca*, per quam in generali suo conceptu intelliguntur omnes impii conatus daemonum, vires suas naturales applicantium ad mala moralia et physica in mundo promovenda. Haec infestatio vel est *moralis*, si ad peccatum, vel *physica*, si ad mala physica dirigatur. Modus eius, etsi a nobis perfecte explicari nequeat, tamen duplex concipi potest, nempe *immediatus*, si ipse daemon vires suas ad damna hominibus inferenda applicet, et *mediatus*, si vires easdem iuxta arbitrium aliorum hominum exerat (4). Triplex autem communiter a Theologis infestationis daemoniacae genus

(3) In Epist. ap. Wiest. T. 4, § 553.
(4) V. Dobmayr T. 5 § 128.

distinguitur, vel enim daemon in animam hominis agit, eamque ad peccatum allicere tentat; vel in hominis corpus intrat, idque obsidet, vel alio quovis modo in rebus terrenis vires suas manifestat. Ut appareat, quid de hoc triplici infestationis genere sentiendum sit, agendum est 1° *de tentatione diabolica*, 2° *de obsessione*, 3° *de magia*.

Nota. In hac tractatione probe attendendum est, agi de materia, quae ex sola revelatione cognosci potest. Ratio enim, sibi relicta, neque existentiam, neque lapsum, neque praesentem statum, viresque agendi Angelorum malorum cognoscere et determinare valet. Haud ergo, dum de infestatione daemoniaca agitur, nimium humanis ratiociniis et philosophicis disquisitionibus indulgendum est, sed genuinam Revelationis doctrinam indagare oportet. Id tamen recta Philosophia praestat, ut ostendat, ea, quae hisce de rebus in Revelatione traduntur, sanae rationi non repugnare, sed logice, physice et moraliter possibilia esse. Eadem etiam nos dirigit, ut ipsam doctrinam revelatam recte cognoscamus, et Ecclesiae dogmata ab inanibus fabulis et hominum commentis probe discernamus.—Negari enim non potest, retroactis saeculis nimium hincinde influxum in res terrenas daemonibus adiudicatum esse, et varia hac in re praeiudicia et erroneas opiniones inter homines viguisse: at nostro saeculo plurimi ne inveterata vulgi superstitione contaminarentur, in oppositum huic errorem prolapsi sunt, omnem daemoniacam infestationem penitus negantes. Quamobrem ut a veritate non aberremus, inter indigitatos duos scopulos media via incedendum est, quae invenietur, si genuina Revelationis et Ecclesiae doctrina audiatur.

I. *De tentationibus diabolicis.*

§ 179. Homo tentari dicitur, dum per inordinatos stimulos, qui excitantur, per fallacia motiva, quae suggeruntur, per blandas occasiones, quae suppeditantur, ad peccandum allicitur. Multiplices dantur hac in vita tentationes, quibus etiam Sancti hincinde vehementer agitati sunt. Negari autem non potest, plurimas tentationes ex ipsa natura per peccatum originale corrupta, seu ex concupiscentia oriri, quae hominem a bono retrahit, et ad malum inclinat. Ideo legitur: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus* (1). Hoc idem testatur S. Paulus, de seipso scribens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius* (2)?—Frequentes sunt etiam tentationes mundi; saepe enim perversi homines per mala verba et exempla aliis ruinam spiritualem parant; quapropter Christus exclamat: *Vae mundo a scandalis. Necessse est enim ut veniant scandala; verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit* (3). — Ast praeter tentationes carnis et mundi dantur etiam tentationes diabolicae; nam etiam daemones multifarios conatus adhibent, ut homines a bono retrahant, et in malum praecipitent. Talium tentationum existentiam ipsa divina Revelatio contestatur.

1. *S. Scriptura* varia tentationum daemoniacarum *exempla* refert. Gen. III legitur, serpentem Evam in statu innocentiae constitutam ad transgressionem mandati divini induxisse;

(1) Iac. 1, 14. (2) Rom. 7, 23. (3) Matth 18, 7.

hunc vero tentatorem et seductorem fuisse daemonem, ex argumentis inferius afferendis apparebit. Historia Iobi c. I et II plura exhibet conamina, quibus satan fidelem Dei servum a virtutis stadio abstrahere, et in peccata pertrahere studuit. 1 Paral. XXI, 1 legitur: *Consurrexit satan contra Israël: et concitavit David, ut numeraret Israël.* David ergo ad hoc superbiae et vanae gloriae peccatum, quod graviter a Deo punitum fuit, a diabolo tentatus et seductus fuit. — Christus ipse, ut daemonem Adami victorem vinceret, et nos quoque eum vincere doceret, se tentari passus est (1); ab hac autem narratione, nisi ipsi contra omnes regulas hermeneuticas vis inferatur, diabolus excludi nequit; recte idcirco Ss. Patres et saniores interpretes omnes in illa veram tentationem daemoniacam agnoverunt. Ast diabolus divinum Redemptorem nonnisi externo modo tentare potuit; tentationis vero internae exemplum nobis S. Scriptura suppeditat in mortaliumomniuminfelicissimoIuda, de quo ait Evangelista: *Cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas* (2); seu ut clarius habetur in graeco fonte: *Diabolo iam iaculato in cor Iudae Iscariotae, ut eum traderet.* Daemonem tentationis iacula etiam in caeteros Apostolos direxisse, ut ipsos perverteret, testatur ipse Christus dicens ad eos: *Ecce, satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum* (3), quae verba sic exponit *Theophylactus*: « *Petivit cribrare,* hoc est turbare, nocere, tentare. » — Christus etiam futura in Ecclesia scelera et scandala diabolo adscribit; exponens enim parabolam zizaniorum agri dicit: *Zizania autem filii sunt nequam... Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus* (4). — Daemon ceu causa assignatur, ob quam verbum Dei saepe inutile redditur; ait enim Christus: *Venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant* (5). — Denique diabolus dicitur consilium suggessisse Ananiae, ut fallere vellet mendacio Spiritum sanctum; quoniam Petrus inquit: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto* (6)? seu, ut habet textus graecus: *Propter quid implevit satanas cor tuum?* ita hunc textum legerunt etiam quidam Patres latini, ut *Hieronymus*, *Fulgentius* et *Beda*. Haec exempla, a divinis eloquiis relata, satis ostendunt, daemonem non solum ante, sed etiam post Christum homines infestare, ut eos a bono retrahat, vel ad malum impellat, tentationesque diabolicas vere existere.

2. Idem confirmatur *ex monitis S. Scripturae*, quibus ad tentationibus diabolicis fortiter resistendum excitamur. Celebris est hanc in rem locus 1 Petr. V, 8-9, ubi Princeps Apostolorum ita Christianos exhortatur: *Sobrii estote, et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Eodem modo Paulus fideles monet: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem: sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus* (7). Per principes et potestates ac mundi rectores, qui carni et sanguini opponuntur, non possunt homines intelligi; quapropter necessario infertur, de lucta contra daemones hic sermo-

(1) Matth. 4, 1-11, Marc. 1, 13, etc., Luc. 4, 1, etc. (2) Io. 13, 2. (3) Luc. 22, 31.

(4) Matth. 13, 38, etc. (5) Luc. 8, 12. (6) Act, 5, 3. (7) Ephes. 6, 11.

nem esse. Huc spectat etiam monitum eiusdem Apostoli: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram* (1); idem indulgentiam concedendam esse pronuntiat, *ut non circumveniamur a satana; non enim ignoramus cogitationes eius* (2). S. Iacobus monet: *Resistite autem diabolo, et fugiet a vobis* (3). Ad quid autèm inservirent haec monita, si diabolus nos tentandi potestatem nullam haberet? non solum frustranea, sed et ridicula, atque absona illa dicenda forent: quod ne dicatur, fatendum est, tentationes diabolicas vere existere.

3. *Ss. Patres* quoque existentiam tentationum diabolicarum contestantur. — *Tatianus* (4) ait: « Daemones pro sua malitia homines aggrediuntur, eorumque animas deorsum inclinatas multis et falsis illusionibus seducunt, ut ad viam, quae in coelum ducit, non perveniant. » *Athenagoras* (5) ait: « homines a daemonibus variis modis agitari et moveri » et (6) addit: « Qui homines ad cultum idolorum impellunt, pariter daemones sunt. » *Tertullianus* (7) de daemonibus scribit: « Operatio eorum est hominis eversio: sic malitia spiritalis a primordio auspicata est in hominum exitium; » et inferius de diabolo dicit: « Illi accuratior pascua est, ut hominem a cogitatu verae divinitatis avertat. » *Lactantius* (8) ita de daemonibus loquitur: « Ili spiritus contaminati et perditi per omnem terram vagantur, et solatium perditionis suae perdendis hominibus operantur: itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent. » *S. Athanasius* in vita S. Antonii Abb. tentationes describit, quibus vir sanctus a daemonibus exagitatus fuit. *S. Basilius* in suis regulis pro monachis et alibi frequenter docet, orationibus insistendum esse, ut daemones fugentur et vincantur. *S. Gregorius Naz.* (9) ita diaboli, quem alloquitur, fraudes describit: « Venisti, scelerate, tuas intelligo fraudes, ut me de recto virtutis tramite pulsum, sedibus aethereis et dulci lumine prives. Tu minimis primo vitiis in pectora nostra influis, ac velut exiguis illaberis undis: at simul atque tibi datus est locus, illico magnus irrumpis rapideque fluens latissimus amnis. » *S. Gregorius Nyss.* (10) haec habet: « Est sermo, ex maiorum traditione fidem sibi vindicans, qui dicit, posteaquam natura nostra in peccatum decidit, Deum hunc lapsum nostrum providentia sua minime destituisse, sed Angelum quemdam ex iis, qui naturam corporis expertem sortiti sunt, adhibuisse ad uniuscuiusque vitae tutelam et praesidium: at ex adverso naturae corruptorem pari machinatione contra niti, ac pravo quodam ac malefico adiuncto daemone humanae vitae perniciem afferre. » *S. Chrysostomus* (11) inquit: « Diabolus, cum sit astutus, scit, quia in tempore orationis grandia postulemus, et saepius impetremus: ideo tunc impedire festinat improvidas mentes. » *S. Ambrosius* (12) in illa verba: *Reliquit eum diabolus*, astutiae daemonis adscribit, quod illos tentare cesset, a quibus fortiter superatus fuit: « Diabolus, ait, instare formidat, quia frequentius refugit triumphari. » *S. Augustinus* (13) dicit: « Diabolus omnibus modis instat die ac nocte sagittas venenatas contra nos dirigens,

(1) 1 Cor. 7, 5. (2) 2 Cor. 2, 11.
(3) Ep. 4, 7. (4) Exh. c. Graec. n. 16.
(5) Legat. n. 25. (6) N. 26 (7) Apol. c. 22.
(8) L. 2. div. inst. c. 15
(9) Poëm 19 (10) L. 1 de vita Mosis.
(11) Hom. de Chananaea.
(12) In c. 4 Luc.
(13) Solil. c. 16.

ut interficiat animas nostras. » *S. Hieronymus* in vita Hilarionis tentationes quoque enarrat, quas praeclarus Eremita a daemone passus est. *S. Petrus Chrysologus* (1) ait: « Diabolus mali author, nequitiae origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus; ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, immittit iras, errores serit, discordias parit, pacem turbat, etc. » *S. Leo M.* (2), considerans tentationem Christi in deserto, exclamat: « Quem tentare non audeat, qui nec ab ipso Domino nostro Iesu Christo conatus suae fraudis abstinuit? » — *S. Gregorius M.* (3) diaboli tentationes et aspidi et viperae morsibus assimilat scribens: « Quid per aspides parvos nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius persuasione surripiunt? — quid vero per linguam viperae nisi violenta diaboli tentatio designatur? prius enim leniter surripit, postmodum vero etiam violenter trahit. »

Nota 1. Circa tentationes daemoniacas duo probe sunt attendenda. *Primo* certum est, daemones non posse tentare homines nisi permittente Deo. Id iam clare apparet ex historia Iobi, c. I et II. Deus enim dicitur satanae permisisse, ut ipsius bona diripiat, et dein ut etiam eiusdem corpus affligat, ipsum necandi prohibitione addita. Et certe, saepe, uti observat *Michaëlis*, historia Iobi renovaretur, si daemon pro libitu homines infestare posset. Providentia divina ita omnia gubernat, ut nec unus ex passeribus cadat super terram sine voluntate Dei: multo minus homini sine voluntate Dei permissiva aliquid contingere potest (4). — Etiam Patres et Theologi in hoc consentiunt, quod homines solum permittente Deo, a daemone tentari possint. Audiendus est hac de re *S. Gregorius M.*, qui (5) haec habet: « Diabolus licet afflictionem iustorum semper appetat; tamen, si ab Auctore nostro potestatem non accipit, ad tentationis articulum nullatenus convalescit. Unde et omnis voluntas diaboli iniusta est, et tamen, permittente Deo, omnis potestas iusta est. Ex se enim tentare quoslibet iniuste appetit, sed eos, qui tentandi sunt, prout tentandi sunt, nonnisi tentari Deus iuste permittit. » - *Secundo* notandum est, daemonem nos quidem tentare, seu ad peccatum allicere, non autem nobis libertatem adimere et ad praevaricationem nos cogere posse. Deus enim nunquam permittit tales tentationes, quas divina gratia adiuti vincere non possimus. Id testatur Apostolus, scribens: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (6). — Hoc idem docent Ss. Patres. *S. Hieronymus* (7), exponens illa verba, dicta a daemone ad Christum: *Mitte te deorsum*, inquit: « Vox diaboli est, qui semper omnes cadere deorsum desiderat: sed persuadere potest, praecipitare non potest. » *S. Chrysostomus* (8) ostendit, tentationes satanae, quas vincimus, magnam nobis utilitatem afferre, neque malitiam peccatorum nostrorum excusari per tentationes, quas superandi media sufficientia habemus: ideo (9) concludit: « Non ergo culpam in satanam transferamus sicut Eva, sed nos ipsos agnoscamus. » Hoc idem (10) practice

(1) Serm. 11. (2) Serm. 2 in Quadr. c. 3.
(3) L. 15, Moral. c. 15, n. 19.
(4) Matth. 10, 30. (5) L. 18 Mor., c. 2, n. 4.
(6) 1 Cor. 10, 13. (7) In c. 4 Matth.
(8) Hom. 2 de daemone. (9) N. 5.
(10) Hom. 3 de daem.

ostendit: hunc enim sermonem habuit, cum ante duos dies aliqui ad eum audiendum convenissent, sed longe plures in theatris sedentes diaboli pompam spectassent: ideo priores sic affatur: « Quomodo non idem vestrum eorumque iudicium? quis vos a sacro ovili segregavit? num illos quoque diabolus decepit? quomodo igitur et vos non decepit? - et vos et illi homines estis... eadem utrique natura praediti estis; sed non eadem utrisque voluntas: ideo illi decepti sunt, vos autem non item. » *S. Augustinus*, aut probabilius *S. Caesarius* (1), inquit: « Venit Christus et alligavit diabolum. Sed dicet aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantum praevalet? - Verum est, - quia multum praevalet, sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timenbus dominatur. Alligatus est enim tanquam annexus canis catenis, et neminem potest mordere nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit: — latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet a nobis consensum, sed petit. » *S. Bernardus* (2) inquit: « Videte, fratres, quam debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentem: » idem mellifluus Doctor fusius id explicat Serm. 7 in Ps. 90.

Nota 2. Extiterunt, qui dicerent, quod quilibet homo, sicut ad sui custodiam habet Angelum bonum, ita etiam ad pugnam habeat Angelum malum. Prima huius opinionis origo invenitur apud *Hermam*, qui (3) se ab Angelo didicisse asserit, « duos esse genios cum homine, unum aequitatis et unum iniquitatis. » Haec eadem opinio ab *Origene* (4), a *Tertulliano* (5), a *Lactantio* (6), a *S. Gregorio Nyss.* (7), a *Cassiano* (8), et a nonnullis aliis adoptata est. Eidem *Petrus Lombardus* inhaesit, eamque defendit Cl. *Berti* (9); sed ita, ut dicat, malum Angelum non a Deo, sed a principe daemoniorum delegari et sine permissione Dei hominem vexare haud posse. Eiusdem fere sententiae est *Thomas ex Charmes*, qui (10) dicit: « Valde probabile est, Luciferum, qui propter superbiam et aemulationem opera Dei audet usurpare, cuilibet homini daemonem tentatorem deputasse, ut colligi posse videtur ex I Petr. V. » — Plures autem Theologi, ut *Tournely* (11), *Billuart* (12), *Gazzaniga* (13), *Wiest* (14), istam opinionem penitus reiiciunt, quia solidum fundamentum nec in S. Scriptura nec in Traditione habet, sed ortum habuisse videtur ex superstitione Gentilium, qui duos genios homini affingebant. Caeterum pro praxi tota quaestio parvi est momenti; certum enim est, sine speciali privilegio divino quemlibet hominem tentari, nec refert, an ab eodem, vel a diversis daemonibus infestationem patiatur.

Nota 3. Ad finem saeculi praecedentis, et etiam nostro aevo praecipue inter Protestantes multi extiterunt, qui omnia, quae de infestatione daemoniaca semper a Christianis credita fuerunt, non solum in dubium vocarunt, sed etiam tanquam prorsus falsa et commentitia pronuntiarunt, omnem propemodum daemonibus agendi vim et operationem adimentes. Isti etiam contra doctrinam de ten-

(1) Serm. 37 inter op. S. August. t. 5.
(2) Ap. Rodrig. Ex. perf. T. 2, Tract. 4, c. 11.
(3) In Pastore l. 2, mandat. 6.
(4) L. 3 de princ. c. 2.
(5) L. de anima c. 39 (6) L. 2 Inst. c. 15.
(7) L. c. (8) Collat. 8, c. 17.
(9) L. 10, c. 8 Pr. 2.
(10) De Ang. Diss. 1, c. 7.
(11) Tr. de Ang. in fine.
(12) Diss. 8 de Ang. in fine
(13) T. 2, Diss. 1, c. 19 (14) T. 4, § 180.

tationibus daemoniacis varias difficultates movent, quas solvere decet.

Obi. I. Tentationes daemoniacae rectae rationi repugnant; nam nullo modo concipi et explicari potest, quomodo daemon in animam hominis agat, eamque ad malum alliciat. Praeterea sapientiae, sanctitati et bonitati Dei, qui hominis moralitatem et beatudinem vult, penitus opponitur, ut permittat, hominem, iam per concupiscentiam debilitatum et corruptum, etiam a daemonibus spiritibus astutissimis et fortissimis impugnari, in malum pertrahi et a fine suo impediri. Tentationes diabolicae ergo tum physice, tum moraliter impossibiles dicendae sunt. Ita *Stäudlin*, *Iunge*, *Ammon* et alii.

Resp. Vehementer errant, qui tentationes daemoniacas impossibiles, et rectae rationi repugnantes dicunt. Sunt enim istae vere possibiles *physice*, quia ad eas perficiendas vires sufficientes in Angelis lapsis adsunt (§ 177, n. 1). Id potius rectae rationi repugnaret, si quis contenderet, spiritus non posse immediate in alios spiritus agere, sensa sua manifestare, motiva suggerere etc. Modus quidem, quo haec fiant, nos latet, quia de natura spirituum perfectam cognitionem non habemus; sed ex eo, quod nesciamus modum, res ipsa neganda non est. Etiam id perfecte concipere et explicare non valemus, quomodo anima in corpus et corpus in animam agat, et tamen hoc mutuum commercium nullus sapiens negat. Multo magis ergo ob ignorantiam modi internas tentationes et suggestiones daemonis admittere debemus, praecipue cum ipsa Revelatio nobis earundem exempla promat: quod autem factum est, certe fieri potest. Neque *moralis* possibilitas tentationum daemoniacarum negari quit. Istae enim indoli daemonum, qui odio in Deum feruntur et eius consilia destruere tentant, apprime conveniunt, et neque attributis divinis, neque fini hominis, ut adversarii volunt, opponuntur. Deus enim ex sanctissimis finibus tentationes permittit, nempe prout breviter *S. Ambrosius* (1) asserit, « ut boni probentur, impii puniantur. » Deus enim vult moralitatem et beatitudinem hominis, sed simul sanctissime et iustissime vult, ut ipsius virtus probetur, et ut per luctas et victorias aeternas coronas promereatur. Idcirco Deus tentationes permittit; ast, ut iam dictum est, non permittit, ut homo supra vires suas tentetur, sed eundem dummodo se non indignum faciat, gratia sua ita adiuvat, ut fortissimas quoque tentationes vincere et maxima praemia promereri possit. Deus ergo hac in re bonitatem, sanctitatem et sapientiam suam manifestat, et gloriam suam ex eo vel maxime promovet, quia efficaciam gratiae suae ostendit, qua muniti etiam homines imbecilles spiritus astutissimos et fortissimos feliciter vincunt. Exinde etiam patet, tentationes daemoniacas fini hominis haud opponi, quia libertas ipsi non adimitur, et quia ad peccatum cogi non potest. Imo per praedictas tentationes homo ad vigilantiam, ad orationem et ad virtutis exercitia stimulatur, per quae gratia divina obtinetur, victoria contra daemonem reportatur, virtus perficitur, merita augentur, et sic moralitas et beatitudo maxime promoventur. Ex sola ergo hominis negligentia, et culpa contingit, ut in lucta cum daemone succumbat, quod Deus hincinde permittit, ut homo suam infirmitatem cognoscens, a tepore suo resurgat. Ideo Cl. *Liebermann* (2),

(1) L. 4 in Luc.

(2) T. 3, lib. 3, c. 4, § 2, Tr. 1.

eandem obiectionem confutans, egregium monitum apponit, dicens: « Satis superque admonemur in Scripturis, ut solliciti simus ad praecavendas daemonum molitiones, ut fortiter resistamus in fide, nec socordia, aut ignavia torpeamus. Tentationis hic locus est, hic probanda virtus, hic promerenda corona est. Multa certantibus parata sunt auxilia; praemia vincentibus magna nimis. Vires quidem nostrae in tam pertinaci certamine non sufficiunt, sed facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam. Fortis est, quem Deus adiuvat; aderit autem Deus, si viribus nostris diffidentes, et omni spe incolumitatis nostrae in Deo collocata, pie casteque a Deo petimus, ne nos tentari sinat supra id, quod possumus, sed faciat etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere » (1).

Obi. II. Christus per passionem et mortem suam omnem potestatem daemoni ademit; hunc enim *Fortem armatum* (2) nominat, et dein de seipso inquit: *Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet* (3). Christus dicit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras* (4). Ideo etiam Paulus gratias agit Deo: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae* (5). Idem testatur, Christum venisse, *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum* (6). I Io. III, 8 legitur: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Denique (7) draco, serpens antiquus, qui est diabolus, et satanas ligatus dicitur. Haec omnia ostendunt, daemones nullam amplius nos tentandi et infestandi potestatem habere.

Resp. Loca citata tanquam divinae veritatis oracula veneramur, et ideo libenter profitemur, Christum morte sua satanam vicisse, et de illo triumphum egisse, qui habebat mortis imperium. Sed tanquam infallibilia Spiritus sancti effata etiam illa loca agnoscimus, quibus monemur, ut tentationibus daemonis fortes in fide resistamus. Haec autem monita absona essent, si daemones nos nullatenus tentare possent, et deridendus esset Paulus, dum scribit: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli* (8). Imo alias quoque infestationes daemoniacas etiam post Christi mortem, et ascensionem in coelum dari, inferius probabitur. Non possunt ergo loca in obiectione adducta, in sensu adversariorum accipi; sed dicendum est, satanam a Christo victum, eiusque potestatem imminutam et debilitatam, sed ex rationibus mox expositis non penitus ei ademptam esse. Ipse Christus innuit (9), fortem armatum, si a fortiori victus et expulsus fuerit, omnem conatum adhibere, ut in animam, quam reliquit, redire possit, eumque, si admittatur, efficere, ut fiant *novissima hominis illius peiora prioribus*. Id, quod Christus dicit de eiiciendo principe huius mundi, rectissime a plerisque de abolitione idololatriae exponitur, per quam satan ante praedicationem Evangelii longe lateque in mundo dominabatur. In hoc sensu etiam intelligenda sunt verba Pauli et Ioannis, ad Gentiles conversos scribentium. — *S. Augustinus* (10) docet, principem huius mundi eiiciendum dici, quia per fidem et gratiam Salva-

(1) I Cor. 10. (2) Luc. 11, 21.
(3) Ibid. v. 22. (4) Io. 12, 31.
(5) Colos. 1, 13. (6) Hebr. 2, 14.
(7) Apoc. 20, 1. (8) Ephes. 6, 11.
(9) Luc. 11, 26.
(10) Tract. 52 in Io., n. 7 etc.

toris ex animis eiicitur hominum, qui auxiliis divinis ita roborantur, ut in ipsos daemon dominari nequeat, nisi sponte se ipsi subiiciant. -Denique non inepte dicitur, Luciferum, seu principem daemoniorum per Christum penitus e mundo eiectum et inferno alligatum esse, ut dicitur in Apocalypsi: id vero non impedit, quominus, ipso etiam instigante, alii daemones homines tentent atque infestent.

Obi. III. Concilium Ephesinum negat, « quod diabolus in cor hominis ingrediatur, et addit: Si quis haec dixerit, anathema sit. » Hunc canonem citat *Gregorius M.* (1). Ergo omnino illicitum est, tentationes daemoniacas credere et propugnare.

Resp. Difficultas, ex isto canone mota, primo aspectu gravis esse videtur. Sed negari nequit, verba canonis obscura esse, et in vario sensu sumi posse. Per haec autem tentationes daemonis internas non negari, iam ex eo patet, quia has admiserunt duo summi Pontifices *Leo M.* et *Gregorius M.* (Cf. n. 3), qui decreta Concilii Ephesini non solum agnoverunt, sed etiam ut normam fidei proposuerunt. Verba ergo canonis in alio sensu accipienda sunt, quem optime attigit doctissimus *P. Michaël Le-Quien* in notis ad librum S. Io. Damasceni de haeresibus (2), ubi perspicue ostendit, canone illo fuisse condemnatum errorem Messalianorum, qui « duas in quolibet homine animas ponebant, communem unam, coelestem alteram, qua per peccatum exclusa mortuus homo censeretur: insuper diabolum cum homine peccatore consubstantialiter coniungi, nec ulla Baptismi alteriusque Sacramenti virtute abigi, nisi per orationem. » Tam stupidum errorem Concilium anathemate perculsit, non autem tentationes daemoniacas negavit (3).

II. *De obsessione.*

§ 180. Si quid est in Religione nostra perniciosis abusibus obnoxium, certe haec doctrina est de daemonibus corpora hominum obsidentibus seu possidentibus. Multorum enim ignorantia, superstitione ac malitia persaepe factum est, ut daemoniacorum numerus temere et falso auctus sit, multique pro obsessis ex levibus coniecturis habiti fuerint, unde non parvae inordinationes ortae sunt. Quinimo et tales extiterunt, qui omnes aegrotos a daemone obsessos, aut saltem vexatos esse autumarent. Superstitiosam hanc opinionem ipse *Lutherus* tenuit, qui omnes morbos a daemonibus repetiit, et medicis succensuit, illos causis naturalibus adscribentibus (4). Idem fere sensit *Melanchthon*, quod patet ex eius declamat. (5). — Exinde factum est, ut praecipue apud Protestantes ex levissimis causis et frivolis rationibus homines ut obsessi haberentur et tractarentur, quod *Laur. Moshemius* (6), *Thommasius* et alii testantur. — Recentioribus autem temporibus multi, ut superstitiosam populi opinionem effugerent, in oppositum errorem prolapsi sunt, obsessionis existentiam penitus negantes; plerumque enim, uti observat Cl. *I. M. Sailer* (7), agens de praeiudiciis, homines dum unum praeiudicium deponunt, alterum adsumunt. — Iam saeculo decimo septimo ad finem vergente *Orchardus* Anglus et *Balth. Bekker* Calvinianus obsessionis existentiam impugnarunt. Praecipue vero saeculo decimoctavo

(1) L. 8 Epist. 20 ad Eulogium. (2) N. 80.
(3) Cf. Gazzan. c. 18, Dobmayr § 130.
(4) Luth. op. P. 22, p. 1171, 4 Hal. 1743.
(5) Vol. 4. pag. 646.
(6) In hist. scient. M. Brandenb. Christ
(7) In sua Logica practica.

Io. Sal. Semler scriptis suis daemoniacos e mundo eliminare conatus est, et non solum plurimos inter Protestantes, sed etiam ex Catholicis nonnullos inter quos nominandus est *Iahn*, sectatores invenit. — Non autem omnes, qui obsessos negant, eodem modo in sua negatione procedunt. Nonnulli enim obsessionem omnino impossibilem et a recta ratione abhorrentem dicunt, atque ideo cum *Voltaire* et aliis incredulis ipsas S. Litteras cavillantur, eoquod de daemoniacis et de eorum curatione testimonia ferant. — Alii equidem eodem modo obsessionis possibilitatem negant, verum, ut auctoritatem S. Scripturae tueantur, negant, in hac de obsessis sermonem haberi, sed per *daemoniacos* nonnisi epilepticos, lunaticos, mania, aut alio morbo laborantes intelligendos esse. — Tandem aliqui, probe perspicientes, per priorem expositionem verba Scripturae nimium contorqueri, et ipsi Christo maximam iniuriam inferri, tertiam sententiam in medium protulerunt, dicentes, ante Christum et tempore Christi veros obsessos extitisse, sed tales post mortem Christi, per quam daemon victus et e mundo eiectus est, amplius existere non posse. — Contra hunc triplicem errorem tres propositiones propugnandae sunt, quibus *obsessionum possibilitas*, eorundemque *existentia*, tum *tempore Christi*, tum etiam *post mortem Christi*, evincatur.

Nota. Antiquiores Theologi *circuminsessionem*, *obsessionem* et *possessionem* distinguebant, quasi varios gradus, quibus daemon corpus vel exterius infestat, vel interius minorem, aut maiorem influxum in illud exercet. Recentiores autem Theologi communiter obsessionis nomine utuntur, et per eam idem intelligunt, quod per possessionem. Iam Cl. *Estius* (1) scripsit: « Non distinguimus inter *obsessos* et *possessos* quod quidam faciunt, quasi plus aliquid sit *possessum* esse a daemone, quam *obsessum*. Nam Scriptura quidem neutrum habet vocabulum. Patres autem utrolibet indifferenter utuntur. Iidem vocantur etiam graeco vocabulo *energumeni*, quasi *inoperati*, id est, ab inoperante spiritu acti. »

A. *Obsessionum possibilitas.*

§ 181. Nonnulli quasi ex tripode pronuntiant, obsessiones impossibiles esse et rectae rationi penitus repugnare: ast pro suis adsertis solida argumenta non afferunt, et certe nunquam afferre poterunt. Facile enim ostenditur, obsessionem et *logice*, et *physice*, et *moraliter* possibilem esse. Nam: 1. Obsessio est actio daemonis, qui corpus hominis intrat, in illo habitat, et in illo agit turbando sensus et membra, torquendo hominem variis modis aut ei etiam praebendo insolitas vires. Haec definitio a quolibet intelligi et cogitari potest, neque in ipsa termini occurrunt, qui sibi opponantur, aut se mutuo excludant: quapropter de *logica* possibilitate obsessionis dubitari nequit.

2. Sed neque *physica* possibilitas eiusdem in dubium pertrahi potest. Nam ad eam perficiendam ex parte daemonis sufficientes vires adsunt. Quamvis enim corpora se invicem penetrare nequeant, id tamen de daemone, qui est naturae spiritualis, dici non potest; quodsi aër, calor et materia electrica corpus hominis permeant, multo magis possibile declarandum est, ut simplex spiritus illud ingrediatur. Et quia daemoni vires maiores quam animae humanae insunt, ideo etiam ille in corpus agere,

(1) In 2 sent. Dist. 8, § 11.

et varios effectus producere potest. Nescimus quidem modum, quo spiritus in materiam agat, sicuti etiam modum, quo anima nostra in corpus agat, perfecte comprehendere non valemus; sed ideo tamen nullus sanae mentis Philosophus dicet, impossibile esse, ut Spiritus in materiam, seu in corpora agat. Sicut autem ex parte daemonis ad obsessionem perficiendam sufficientes vires adsunt, ita adest passibilitas ex parte hominis, qui vi fortiori cedere debet, et cuius corpus sicut exterius a fortioribus hominibus ligari et cruciari, ita et interius a daemone teneri, moveri et torqueri potest: hinc patet *physica* possibilitas obsessionis. Eodem fere modo hanc probat *S. Bonaventura* (1), scribens: « Daemones per naturam suae subtilitatis, et spiritualitatis possunt quaecunque corpora penetrare, et in eis sine aliquo obstaculo et impedimento subsistere; ratione vero suae potestatis possunt ea corpora, in quibus sunt, commovere et conturbare; sicut enim spiritus spiritui penetrabilis esse non potest, sic nec corpus potest resistere spiritui: ideo daemones quantum est de potestate et subtilitate naturae possunt corpora humana intrare, possunt etiam ea vexare, nisi prohibeantur a superiori virtute: et cum permittantur introire et vexare, tunc dicuntur corpora obsidere. »

3. Obsessiones etiam *moraliter* possibiles sunt, quia neque *attributis Dei*, neque *fini hominis* repugnant. *a*) Et sane per obsessiones dominium Dei in res creatas non imminuitur, nec gubernatio ipsius perturbatur. Daemones enim sine permissione Dei nec humana corpora ingredi, nec minimum ipsis nocumentum inferre possunt. Deus autem ex sanctissimis rationibus hincinde obsessiones permittit. Prima est illa *S. Ambrosii* (2), « ut boni probentur, improbi puniantur. » Non enim putandum est, solos impios tradi *satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit* (3); sed hinc inde Deus etiam iustos obsideri permittit, ut per maximam banc afflictionem purgentur, in virtutibus perficiantur, et meritis impleantur, seu, prout habet *Cassianus* (4), « ut discedentes ex hoc mundo vel purgatiores ad aliam vitam transferantur, vel poena leviore plectantur. » Sicuti ergo divinis attributis non repugnant naturales tribulationes, quibus iusti et iniusti premuntur, ita nec daemonum obsessiones et vexationes, quas ex iisdem rationibus permittit; nam in istis quoque ostendit suam bonitatem erga probos, suam iustitiam erga impios, imo etiam suam summam sapientiam, cum efficiat, ut ipsius inimici infensissimi eius consilia promoveant. Altera ratio, ob quam Deus obsessiones permittit, est, ut homines ex iis malis, quae inimicus diabolus infert corpori, discant ea multo maiora timere, quae animae inferre conatur; et ut, quanto magis ex una parte crudelitatem et rabiem daemonum contra se cognoscunt, eo magis ex altera parte Dei benignitatem et misericordiam videant et laudent, quae ipsos contra plurima saevientis inimici molimina tuetur: idcirco *S. Chrysostomus* (5) inquit: « Utrumque in his daemoniacis cernere licet, et Dei benignitatem et daemonum improbitatem. » Tertia demum ratio est, ut virtus Iesu Christi Domini nostri, qui vincit diabolum, magis eluceat; quamobrem *Tertullianus* (6) aliique Veteres veritatem

(1) In 2 dist. 8. P. 1, art. 2, q. 7.
(2) L. 6 in Luc.
(3) 1 Cor. 5, 5.
(4) Coll. 6 c. 28.
(5) Hom. 1 de daemons a. 6.
(6) In Apologet. c. 23.

Religionis christianae ex liberatione daemoniacorum per invocationem nominis Iesu demonstrabant. — *S. Bonaventura* breviter easdem fere rationes enumerat, ob quas Deus permittit, humana corpora a daemone obsideri; ait enim (1): « Permittit hoc Dominus sive ad gloriae suae ostensionem, sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correptionem, sive ad nostram eruditionem: sed ex qua istarum causarum determinate permittat, latet hoc humanam industriam, propter hoc, quod occulta sunt Dei iudicia: hoc tamen planum est, quod non fiant iniuste, et ideo non permittit talia sine causa. » — *b*) Etiam fini hominis obsessio non repugnat; nam, quamvis corpus a daemone possideatur, anima tamen hominis ab usu rationis et liberi arbitrii non impeditur; atque ideo iustus in tanta afflictione maxime meritorios actus patientiae, conformitatis in voluntatem divinam, confidentiae in Deum etc., impius vero per poenam, quam sustinet, ad horrorem peccati et ad resipiscentiam provocari potest: et sic finis hominis non solum non impeditur, sed potius promovetur.

Nota. Multi obsessiones reiiciunt, quia ipsam existentiam daemonum negant: alii obsessiones impossibiles dicunt, quia modum, quo perficiuntur, comprehendere haud valent, quin pro sua adsertione rationes afferant: nonnulli contra obsessionum possibilitatem sequentes difficultates movent.

Obi. I. Duo spiritus nequeunt eundem locum definitivum occupare: sed anima totum corpus occupat: ergo daemon non potest ipsum occupare: et si hoc admitteretur, dicendum foret, hominem daemoniacum duabus quasi animabus instructum esse, vel saltem duo habere suarum actionum principia, quod Manichaeismum sapit, sicut illud renovat errorem Messalianorum.

Resp. Si etiam concedatur, duos spiritus non posse eundem locum definitivum occupare secundum eundem existendi modum, omnino negandum est, quod non possint eundem locum definitivum occupare secundum diversum existendi modum. Et hoc circa obsessionem affirmatur. Aliter enim anima, et aliter daemon in corpore eodem existit. Anima corpori substantialiter et personaliter est unita, et ipsa sola potest corpus vivificare, vegetare et sensitivum efficere: daemon vero non est substantialiter et personaliter corpori unitus, sed in hoc adest velut motor adsistens, illudque movens et vexans, ita ut tales motus et operationes non animae, sed solum daemoni imputari queant. Longe ergo distat doctrina de obsessione a sententia Manichaeorum, qui ipsam animam in se malam, et in substantia sua corruptam dixerunt: neque ibi occurrit error Messalianorum, quia omnino negatur, daemonem obsidentem substantialiter adinstar animae corpori uniri.

Obi. II. Si testimoniis Veterum fides habeatur, etiam infantes baptizati hincinde a daemone obsidentur, et vexantur. Sic *S. Hieronymus* (2) scribit: « Saepe bimuli, trimulique, et ubera materna lactentes a daemonio corripiuntur. » Hoc autem sapientiae et bonitati divinae omnino contrarium, ac ideo moraliter impossibile est, quia tales infantes rationis usu carentes neque puniri, neque probari possunt.

Resp. Ad hanc obiectionem diluendam primo quaeri potest eadem ratione, cur Deus illos innocentes infantes naturalibus morbis tam dire

(1) L. cit. (2) Ep. 39 ad Paulam n. 2.

hincinde conflictari permittat, quibus nec puniri possunt, nec probari? et certe adversarii nobiscum illud S. Pauli repetere debent: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius* (1)! et cum *S. Hieronymo* addere (2): « Bonus est Deus, et omnia, quae bonus facit, bona sint, necesse est. » Dein, quamvis infantes obsessi nec puniri, nec probari possint, tamen eorum afflictio in gloriam Dei redundare potest. Ut refertur Io. IX, 2 etc., cum discipuli vidissent hominem caecum, interrogarunt Christum: *Quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut caecus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccavit, neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Ita dicere possumus et nos, aliquando infantes a daemonibus infestari, *ut manifestentur opera Dei* in illis. Et sane cum infantes neque fidem elicere teneantur, neque obicem ponere possint, facilius in iisdem virtus nominis Iesu cum fiducia ab exorcista invocati illucescit. — Denique licet infantes baptizati nec puniri, nec probari possint, attamen obsessio eorum sapientissime permitti potest, ut parentes, qui illos maxime amant, vel puniantur, vel probentur, et ut ad Deum confugiant, efficaciter adigantur.

B. *Obsessionum existentia tempore Christi.*

§ 182. In Ss. Evangeliis saepe tales commemorantur, qui daemonia habebant, et Christus haec ex hominum corporibus eiecisse dicitur: ergo tempore Christi obsessiones vere extiterunt. Contendunt equidem multi ex recentioribus exegetis, etiam per daemoniacos nonnisi naturaliter aegrotos, aut insanos intelligendos esse. sed talem interpretationem nullo modo admitti posse, gravissima argumenta demonstrant.

1. Ss. Evangelistae ita de daemoniacis loquuntur, ut manifestum sit, eos homines intellexisse a malis Angelis infestatos. Nam expressis verbis dicunt, eos habuisse daemonia, ut: *Obtulerunt ei omnes male habentes... et qui daemonia habebant* (3); *Obtulerunt ei multos daemonia habentes* (4); *Magdalene, de qua septem daemonia exierant* (5), *occurrit illi vir quidam, qui habebat daemonium* (6). Similia loca plurima dantur. Necessario ergo tempore Christi *daemonia habentes*, seu obsessi admittendi sunt, nisi adversarii ostendant, per daemonia habentes, seu per daemoniacos, vel mere naturaliter aegrotos in genere intelligi, vel quemdam mere naturalem morbum in specie designari. Sed neutrum probare valent: non primum, quia Evangelistae male habentes, seu mere naturaliter aegrotos diserte ab illis, qui daemonia habebant, distinguunt; sic, *obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos, et paraliticos, et curavit eos* (7). *Afferebant ad eum omnes male habentes, et daemonia habentes* (8). *Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et daemonia multa eiiciebat, et non sinebat ea loqui quoniam sciebant eum* (9). *Multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis* (10). *Mulieres erant curatae a spiritibus malignis, et infirmitatibus* (11). Ne ergo Evangelistae de inani tautologia, sibi in caeteris

(1) Rom. 11, 33. (2) L. c.
(3) Matth. 4, 24. (4) Matth. 8, 16.
(5) Luc. 8, 2. (6) Ibid. v. 27.
(7) Matth. 4, 24. — Cf. Matth. 8, 16.
(8) Marc. 1, 32. (9) Ibid. v. 34.
(10) Luc. 7, 21.
(11) Luc. 8, 2. — Cf. Luc. 6, 18, etc. 13, 32.

nullo modo consueta, hac in re accusentur; iuxta regulas hermeneuticas dicendum est, eos, qui daemonia habuisse dicuntur, distingui ab illis, qui mere naturaliter male habentes, aut languoribus comprehensi appellantur. Neque etiam admitti potest, per daemonium habentem specialem aliquem morbum, e. g. comitialem, maniam, aut phrenesin designari. Praeterquam quod enim id neque ex S. Scriptura, neque ex aliis fontibus probari possit; contrarium potius ex Ss. Scriptoribus elucet, qui non eosdem, sed varios morbos illis, qui daemonia habebant adscribunt. Sic dicitur: *Erat eiiciens daemonium, et illud erat mutum* (1): *mulier, quae habebat spiritum infirmitatis, annis decem et octo: et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere* (2). *Magdalene, de qua septem daemonia exierant* (3), peccatrix dicitur, quin de aliquo morbo, quo afflictaretur, sermo occurrat. Puella *spiritum pythonem* (4) habuisse dicitur, qui per ipsam divinabat. Nullatenus ergo dici potest, nomine daemoniacorum specialem quemdam morbum designari, sed fateri oportet, per daemonia vere malos Angelos intelligi, qui dum corpora obsident, varios morbos aliosque effectus producunt.

2. In Ss. Evangeliis talia obsessionum exempla occurrunt, quae, nisi S. Scripturae loca contra omnes regulas hermeneuticas contorqueantur, non possunt de morbis mere naturalibus exponi. Tale exemplum invenitur Matth. VIII, 28 etc., ubi haec de Christo narrantur: *Cum venisset in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes daemonia, de monumentis exeuntes, saevi nimis, ita, ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt dicentes: quid nobis et tibi, Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Daemones autem rogabant eum, dicentes: si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare; et mortui sunt in aquis.* Inter istos duos daemoniacos probabilius unus alterum saevitie superabat, magisque notus erat, de quo loquuntur Marcus V, 1 etc., et Lucas VIII, 27 etc. eandem historiam referentes, et nonnullas circumstantias, notatu dignas addentes. Iam quis narrationem istam de morbo mere naturali, quin textui vim inferat, interpretari poterit? — Vires insolitae, quibus isti *daemonia habentes* alios homines invadebant, ita, *ut nemo posset transire per viam illam*, non possunt morbo naturali adscribi, qui potius homines debilitat, aut saltem non per longius tempus insolitum robur praebet. Amentes equidem et furiosi maximo robore praediti esse solent; sed tamen de mere naturaliter insaniente tale exemplum ostendi nequit, quale a S. Marco V, 3 etc. refertur, de uno ex praedictis dicente: *Neque catenis iam quisquam poterat eum ligare: quoniam saepe compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare* (5). Tam extraordinariae vires nonnisi daemonibus corpora obsidentibus adscribi possunt. Praeterea daemones, mandatum Christi e corporibus exeundi praesentientes clamasse, et ne torqueantur, rogasse dicuntur Iesum filium Dei praedicantes: quae verba nonnisi inepte

(1) Luc. 11, 14.
(2) Luc. 13, 11. — Cf. v. 16.
(3) Luc. 8, 2.
(4) Act. 16, 16.
(5) Cf. Luc 8, 29.

ipsis hominibus tribuuntur, qui vel Iesum omnino non noverant, vel si de fama miraculorum eius quid audierant, non tormentum, sed liberationem ab ipso sperare debebant. Insuper legitur: *Interrogavit autem illum Iesus, dicens: quod tibi nomen est? At illi dixit: Legio: quia intraverant daemonia multa in eum* (1). Quis hic per daemonia, quae aperte ab homine distinguuntur, morbos intelliget? anne istos Christus allocutus est, et ab ipsis responsum accepit? et quomodo cum legione morborum ingens robur in homine adesse poterat? - Denique post petitionem factam et permissionem obtentam daemones ex hominum corporibus exierunt et abierunt in porcos. Si de morbis tantum sermo esset, qui non sunt nisi inordinationes naturae, quaeritur, quid exierit ex hominibus et abierit in porcos, hosque uno impetu in mare praecipitaverit? hanc quaestionem adversarii solvere nequeunt, quin ipsi characteri Christi iniuriam afferant et narrationem Evangelistarum penitus corrumpant. Ideo inter ipsos Acatholicos Cl. *Michaëlis* fatetur, hanc historiam non posse nisi de veris obsessis a daemone exponi.

3. Per daemoniacos non posse mere naturali morbo laborantes intelligi, alia narratio evangelica invicte commonstrat, quae legitur Luc. XI, 14 et seq. Hic dicitur de Christo: *Erat eiiciens daemonium, et illud erat mutum: et cum eiecisset daemonium locutus est mutus, et admiratae sunt turbae.* — Inepte sane haec vox, *eiicere*, bis adhiberetur, si solum de curatione naturalis defectus aurium, vel linguae sermo esset; quid etenim in tali casu ab homine eiectum fuisset? - Ipsi Pharisaei non diffitebantur, Christum revera daemonem eiecisse; dixerunt autem: *Hic non eiicit daemones nisi in Beelzebub, principe daemoniorum* (2); a qua gravissima calumnia, ut Christus se defenderet, ait: *Si Satanas satanam eiicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? Et si ego in Beelzebub eiicio daemones, filii vestri, in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Si autem ego in spiritu Dei eiicio daemones igitur pervenit in vos regnum Dei* (3). Christus hisce verbis ostendit, absurdam esse criminationem Pharisaeorum, quia satanas, qui dominium suum dilatare nititur, satanam non eiicit; sed haec absurditas non sequeretur, si morbus mere naturalis curatus fuisset: quid ergo de argumentatione Christi censendum foret? — Praeterea Christus ex ipsa daemonum expulsione infert, regnum satanae destrui, et regnum Dei in terra stabiliri, quod ut confirmet, daemonem *fortem armatum* (4) appellat, se autem *fortiorem eo* (5) dicit. Haec omnia qualem sensum haberent, si non daemon eiectus, sed solummodo naturalis morbus curatus fuisset? anne hic dici potest *fortis armatus*, cuius *universa arma*, *in quibus confidebat*, auferuntur? — Prosequitur dein Christus, dicens: *Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem, et non inveniens dicit: revertar in domum meam, unde exivi. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus* (6). Qui haec de morbis mere naturalibus explicare tentant, non confutationem, sed derisum merentur. Denique probe attendendum est, quod in hac narratione variae voces pro-

(1) Luc. 8, 30. (2) Matth. 12, 24.
(3) Matth. 12, 26 etc. (4) Luc. 11, 21.
(5) Ibid. v. 22. (6) Ibid. v. 24-26.

miscue sumantur, *ut daemonia, Beelzebub, satanas, immundus spiritus, spiritus nequam:* quae nomina omnia malis Angelis conveniunt; morbis vero mere naturalibus certe adaptari non possunt. Quapropter, si una vox alteram explicat, iuxta regulas hermeneuticas per daemonium, quod Christus eiecit, non morbus mere naturalis, sed malus Angelus est intelligendus.

4. Si obsessiones verae non extitissent, Christus absque dubio erroneas de iis Iudaeorum opiniones correxisset, quoniam sine impietate dici non potest, divinum Redemptorem contra suam internam persuasionem locutum esse, ut se vulgi praeiudiciis accommodaret (§ 175, nota Obi. 4.). Sed tantum abest, ut fidem Iudaeorum de obsessionum existentia reprehenderit, et ex eorum cordibus evellere conatus sit, ut potius eandem ubique et dictis et factis confirmarit, prout ex locis iam citatis liquido constat. Imo non tantum spectante et audiente populo, ita locutus est, sed et privatim cum solis discipulis agens, quibus datum erat nosse mysteria regni Dei, et quos ideo diligentius erudiebat. Cum his quoque ita de obsessionibus locutus est, ut de earundem existentia dubitare non potuerint. Sic narratur, Christum ex puero daemonem expulisse his verbis: *Surde, et mute spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo; et amplius ne introeas in eum* (1). Interrogantibus autem discipulis, cur hominem illum sanare nequiverint, respondit Iesus: *hoc genus* (daemoniorum) *in nullo potest exire, nisi in oratione, et ieiunio.* — Quando discipuli peracta praedicatione ad magistrum suum reversi cum gaudio dixissent: *Domine, etiam daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo* (2), Christus non tantum eorum opinionem non correxit, sed confirmavit potius, cum, ut ipsos a superbia praeservaret, respondit: *Videbam Satanam sicut fulgur de coelo cadentem... Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur* (3). Denique Christus discipulis suis: *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos* (4), et praedixit: *In nomine meo daemonia eiicient* (5). Recte idcirco Cl. *Liebermann* (6) dicit: « Si opinio de malorum spirituum infestatione merum fuisset iudaicae superstitionis commentum, Christus ipse non sui tantum temporis, sed omnium sequentium temporum homines in crassissimum errorem induxisset, ita enim in hac re se gessit, ita palam locutus est, ut omnes, qui in eum crediderunt, hanc opinionem, si non habuissent, ab eo accepissent... Quanta impietas, eiusmodi quidquam de Christo cogitare! »

5. In S. Scripturae interpretatione summi momenti est Traditio. Ast in Ecclesia catholica semper, ubique et ab omnibus creditum est, in Ss. Evangeliis per daemoniacos vere intelligi obsessos a malis Angelis, et Christum hos ex hominum corporibus eiecisse. Testes sunt Ss. Patres, qui in suis homiliis et commentariis satis clare loquuntur, ita ut eorundem consensum ne ipsi quidem adversarii in dubium trahere audeant.

Nota. Recentiores exegetae, qui obsessionum existentiam tempore Christi negant, pro sententia sua varias, sed nullius ponderis rationes congerere studuerunt. Inter Catholicos praecipue *Iahn* (7) pro eadem

(1) Marc. 9, 24 etc.
(2) Luc. 10, 17
(3) Ibid. 18 et 20.
(4) Matth. 10, 1.
(5) Marc. 16, 17.
(6) Lib. 3, c. 4 § 2. Prop. 3, n. 2.
(7) In sua Archaeologia biblica § 194 etc.

sententia decertavit, cuius argumenta confutavit Cl. *Perrone* (1). — Nonnullas saltem difficultates, quae nobis opponuntur, hic adducere et enodare oportet.

Obi. 1. In Ss. Libris V. T. vix mentio de obsessis occurrit, aut saltem paucissima infestationis daemoniacae exempla referuntur: mirum ergo et paradoxum cuivis videri merito debet, quod praecise tempore Christi tantus daemoniacorum numerus in populo Dei extiterit. Rationi ergo magis consonum est etiam tempore Christi per daemoniacos non obsessos a malo Angelo, sed naturaliter aegrotos intelligere.

Resp. Silentium Ss. Librorum V. T. de obsessis non efformat nisi argumentum negativum, quod argumenta positiva iam adducta enervare nequit. Ss. Scriptores V. T. speciales rationes non habuerunt, loquendi de obsessis suo tempore existentibus prouti etiam de naturaliter aegrotantibus pauca scripserunt, qui tamen certe quovis tempore extiterunt. Etiam in Ss. Evangeliis non tam frequenter de obsessis, et infirmis sermo occurreret, nisi Christus in his et illis omnipotentiam suam manifestasset. Caeterum etiam in V. T. obsessos extitisse, et ad hos a daemone liberandos exorcismos adhibitos fuisse, testis est *Iosephus Flavius*, qui (2) haec refert: « Concessit ei Salomoni etiam Deus, ut disceret artem contra malos daemones ad utilitatem et coniurationem hominum. Et cum incantationes composuisset, quibus leniantur morbi, etiam formas adiurationum reliquit, quibus vincta daemonia ita eiiciunt, ut nunquam revertantur. » Idem ibidem etiam testatur, se praesente per praedictam adiurationem daemonem ex hominis cuiusdam corpore expulsum fuisse. Dubitari ergo non potest, etiam in V. T. obsessos a daemone extitisse, si autem maior eorundem numerus tempore Christi adfuit, huiusce rei ratio assignari potest. Cum enim eo tempore lugenda morum corruptio etiam in populo Dei inveniretur, et maxima hominum pars diabolum sensu animi interno sequeretur, permisit etiam Deus, ut diabolus cum Angelis suis frequentius hominum corpora occuparet, et diris morbis afficeret. Praeterea non indignum putamus divina Providentia, ut eo praecise tempore maior diabolo potestas daretur in hominum corpora, quo Christus apparuit. Hac siquidem ratione Christus se victorem diaboli palam probavit, et visibili operatione invisibilem victoriam et Incarnationis saluberrimum finem indicavit, prout dicitur: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli* (3).

Obi. 2. Apud Graecos vocabulum: δαιμονί ζεσθαι significavit homines aegros mania, aut simili infirmitate correptos. Ideo sapientiores Iudaei, ut *Philo* et *Maimonides*, daemones pro morbis habuerunt: etiam *Ios. Flavius* negat, per daemones malos Angelos intelligi, ait enim (4) « quae daemonia vocantur, haec malorum hominum spiritus sunt. » In ipsa S. Scriptura vox: *daemonium* sumitur pro morbo naturali, nam dicitur, confidenti in Deum non esse timendum *a daemonio meridiano* (5), i. e. a certo morbi genere a vento meridionali pestifero, vel ex aestu solis meridiei tempore oriri solito. Ergo etiam in Evangeliis per daemonia habentes, seu daemoniacos naturaliter aegrotantes sunt intelligendi.

(1) De Ang. c. 5 diffic. n. 88, et seq.
(2) Archaeol. l. 8, c. 2, § 5. (3) 1 Io. 3, 8.
(4) L. 7, de bello iud. c. 6, § 3.
(5) Ps 90, 6.

Resp. Graecos per daemones genios, seu spiritus ab hominibus distinctos intellexisse, indubium est. Quodsi etiam nonnulli graeci Scriptores per daemoniacos naturaliter aegrotantes intellexerunt; nullo tamen modo ostendi potest, eundem loquendi modum apud iudaeos tempore Christi invaluisse. Contrarium ex S. Scriptura patet, in qua pro *daemoniis* tanquam synonima *satanas, spiritus immundi* etc. sumuntur, ac praeterea tales circumstantiae referuntur, quae morbis naturalibus non conveniunt. Testimonia *Philonis*, qui cum religione iudaica philosophiam platonicam coniunxit, *Maimonidis*, qui serius vixit et singulares opiniones sectatus est, et *Ios. Flavii*, qui a Gentilibus romanis, quibuscum conversatus est, multas erroneas opiniones hausit, nullius hac in re sunt auctoritatis. — Quod est ad *daemonium meridianum* non est plane, cur allatae expositioni mox subscribamus; nam multo solidius dici potest, per illud vere Angelum malum intelligi, quoniam subiungitur: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* (1). Daemonium vero appellatur *meridianum*, ut occasio indicetur, qua hominibus magis quam alio tempore insidietur daemon, quia multi, circa meridiem cibo ac potu repleti, incautiores et somnolenti redditi, facilius a maligno spiritu superantur. Ita diabolus etiam Iobi filios (2) tempore meridiano oppressit. Huic expositioni subscribit *Theodoretus* cum aliis. Nullis ergo solidis argumentis adversarii probare possunt, per daemoniacos non intelligi nisi homines, mere naturali morbo correptos.

Obi. 3. In omnibus illis, qui daemonia habuisse dicuntur, talia indicia reperiuntur, quae morbum naturalem produnt. Sic Marc. IX iuvenis, qui spiritum immundum habuisse dicitur, modo in terram, modo in aquam, modo in ignem exclamans, detrudebatur, ex ore spumam emittebat, dentibus frendebat, quae omnia sunt signa morbi comitialis, seu epilepsiae. Duo homines in terra Gerasenorum, saevi nimis, apertissime amentes et furiosi erant. Sic et in caeteris daemoniacis naturalis morbi indicia, iuxta ipsam Evangelistarum narrationem, inveniuntur.

Resp. Non negamus in illis, qui daemonia habuisse leguntur, naturalium morborum signa apparuisse. Ipsi enim contendimus, daemonem corpora, quae obsidet, vario modo vexare, dolores, morbos aliosque effectus in ipsis producendo. Non quaeritur ergo an in praedictis hominibus infirmitates et miseriae adfuerint, sed quaeritur, undenam istae ortae sint? Etiam Ioh naturali lepra afflictus fuerat, quae tamen a daemone producta fuerat. Sic daemon, Deo permittente, in corporibus, quos possidet, naturales morbos producere potest et producere solet. Tota ergo cavillatio adversariorum contra obsessionum existentiam nec minimum probat. Accedit, quod tales effectus in obsessis producti a daemone leguntur, qui naturaliter nullo modo explicari possunt, prouti iam ostendimus de homine, in terra Gerasenorum saeviente. Eodem modo de morbis dici nequit, quod clament, responsa dent, exeant, alia corpora intrent, aut per loca inaquosa circumvagentur etc. Falsum quoque est, quod semper in illis, qui daemonia habuisse dicuntur, naturalis morbi indicia assignentur; nam de Magdalena, de qua Iesus septem daemonia eiecit, nullum prorsus naturalis mor-

(1) Ps. 90, 11. (2) Iob 1, 19.

bi signum indigitatur. - Etiam Ss. Patres naturalium morborum signa daemoniacis adscripta, non ignorarunt, et tamen de daemonis infestatione non dubitarunt. Sed neoterici interpretes, linea traditionis relicta, per praeconceptas suas opiniones in devia abripiuntur, et dum de puriori exegesi gloriantur, regulas hermeneuticas pedibus terere non verentur.

C. Obsessionum existentia post mortem Christi.

§ 183. Christus per mortem suam perfectissime de inferno triumphavit, pro peccatis nostris satisfecit, nobisque aeternam beatitudinem promeruit. Quia autem vult, ut virtus nostra probetur, et *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (1), idcirco daemonibus non omnem nos tentandi, atque infestandi potestatem ademit; § 179, R. ad Obi. 2. Igitur etiam post Christi mortem, resurrectionem et ascensionem in coelum obsessiones verae non solum semper dari possunt, sed vere etiam extiterunt. Utrumque ex *S. Scriptura* et *ex Traditione* probatur.

1. Matth. X, 1: *Convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem*: apertissime hoc in loco potestas eiiciendi spiritus immundos, seu daemones, distinguitur a potestate curandi morbos, et absonus omnino sensus foret, si Christus dixisset: Ego do vobis potestatem sanandi morbum epilepticum, seu maniam, et potestatem curandi omnes morbos. Christus duplicem potestatem Apostolis dedit, nimirum eiiciendi daemones et curandi infirmos, ut per talia signa in Evangelii praedicatione, ad quam destinati fuerunt, divinam suam missionem ostenderent. Inutiliter autem Christus Apostolis Evangelium praecipue post adventum Spiritus sancti praedicantibus, potestatem eiiciendi daemones dedisset, si post ipsius mortem obsessi non amplius futuri fuissent. Christus ergo per ipsam potestatem Apostolis collatam ostendit, obsessiones ob suam mortem cessaturas non esse. Id confirmatur ex eo, quia divinus Redemptor immediate ante suam ascensionem praedixit: *Signa eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient* (2) etc.; quomodo autem haec verba, obsessis haud amplius existentibus, verificari potuissent? — Ast vaticinium Christi vere impletum fuisse ipsa S. Scriptura testatur. Narratur: *Concurrebat* (ad Petrum) *multitudo viciniarum civitatum Ierusalem, afferentes aegros; et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes* (3). — Cum Philippus diaconus Samariae praedicaret, *intendebant turbae his, quae a Philippo dicebantur, unanimiter audientes et videntes signa, quae faciebat. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos clamantes voce magna exibant* (4). — Cum Paulus Ephesi versaretur: *Ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria, et semicinctia: et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur* (5). — Ne autem dubium maneret, de daemonibus hic agi eorumque infestatione, statim additur (6), quid Iudaeis quibusdam exorcistis contigerit, qui nomen Iesu invocabant super eos, qui habebant spiritus malos; et: *Respondens spiritus nequam dixit eis: Iesum novi, et*

(1) Act. 14, 21. (2) Marc. 16, 17.
(3) Act. 5, 16. (4) Act. 8, 6-7.
(5) Act. 19, 12 etc (6) Ibid. v. 13.

Paulum scio: vos autem qui estis? et insiliens in eos homo, in quo erat daemonium pessimum, et dominatus amborum invaluit contra eos (1). Memoratu digna est etiam historia, quae legitur: *Factum est autem, euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quae quaestum magnum praestabat dominis suis divinando... Dolens autem Paulus, et conversus spiritui dixit: Praecipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora... et exivit spes quaestus eorum* (2). Nemo dubitare potest, hanc puellam, cui nullus morbus adscribitur, a daemone obsessam fuisse, cuius ope divinabat: clare id in sacro textu exprimitur, et per praeceptum Pauli, eiusque effectum confirmatur. — Adducta exempla abunde ostendunt, etiam post mortem Christi obsessos vere extitisse, ac ideo hos etiam subsequis temporibus inveniri posse.

2. Ss. Patres unanimi consensu testantur, etiam post mortem Christi obsessos dari, et invocato nomine Iesu daemones ex hominum corporibus expelli. *S. Iustinus M.* (3) asserit, « plurimos esse daemoniis agitatos in toto orbe, et in urbe multos ex christianis, cum per nomen Christi sub Pontio Pilato crucifixi adiurarent, ab aliis adiuratoribus, incantatoribus ac veneficis non sanatos sanavisse, atque etiamnum sanare, fractis et eiectis daemonibus homines detinentibus. » *S. Irenaeus* (4) recensens extraordinaria dona, quibus veri Christi discipuli insigniuntur, ait: « Nonnulli in veritate et absque omni dubio daemones expellunt, ita ut saepe etiam a malis spiritibus liberati credant atque Ecclesiam ingrediantur. » *Tatianus* (5) scribit: « Daemones hincinde per impetum malitiae suae corpus nostrum conturbant, sed Verbo potentiae Dei perculsi trementes fugiunt et infirmus sanatur. » *Tertullianus* (6) dicit: « Daemones non tantum respuimus, verum et revincimus, et quotidie traducimus, et de hominibus expellimus, sicut plerisque notum est. » Idem (7) ita Imperatorem et Romanos compellat: « Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem a daemone agi constet; iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. » *S. Cyprianus* (8) ita de daemonibus a se et aliis exorcistis depulsis loquitur: « O si audire eos velles et videre, quando a nobis adiurantur et torquentur spiritualibus flagris et verborum tormentis de obsessis corporibus eiiciuntur, quando eiulantes et gementes voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes, venturum iudicium confitentur! » Eodem fere modo loquuntur *Origenes* (9), et *Minutius Felix* (10), et *Lactantius* (11), atque ex ipsa daemonum eiectione virtutem nominis Iesu et veritatem Religionis christianae demonstrant. *Eusebius Caes.* (12) ait: « Quis ignorat, nostrae esse consuetudinis, in nomine Iesu et purissimis precibus omnem daemonum vexationem abigere? » *S. Athanasius* in vita S. Antonii Abb. testatur, celebrem hunc Dei servum multos obsessos a daemone liberasse. *Socrates* de S. Arsenio ait: « Daemones potuit abigere, et ab istis agitatos homines liberare. » *S. Cyrillus Hier.* (13) vivissime ipsam

(1) Act. 19, v. 15 et 16. (2) Ib. 16, 16 etc.
(3) Apol. 2, n. 6.
(4) L. 2 adv. haer. c. 32, n. 4.
(5) C. Graec. n. 16. (6) Ad Scapulam c. 2.
(7) Apologet. c. 23.
(8) Ep. ad Demetri. Africae Procons.
(9) L. 7 c. Cels. c. 15. (10) Octav. c. 27.
(11) L. 2 inst. c. 5. (12) L. 3 dem. ev. c. 8.
(13) Catech. 16 ad illumin.

obsessionem describit, dicens: « Immundus daemon, si quam animam aggressus fuerit.... corpore alieno tanquam proprio utitur violenter... depravat linguam, torquet labia, etc.; et (1) inquit: «Saepe daemon, qui ferreis vinculis a multis retineri non poterat, ab homine per virtutem Spiritus sancti in eo existentem, verbis precum retentus et domitus est: ac simplex exorcizantis insufflatio invisibili hosti ignis efficitur. » *S. Chrysostomus* (2) per virtutem Crucis Iesu Christi daemones abigi testatur, ita praeclare disserens: « Cuius rei gratia daemones nomen audientes crucis in fugam resiliunt?.... An forte crux quid clarum videtur, ac nobile? imo e contrario turpis et exprobrabilis mors... Unde illam igitur daemones reformidant? Quid igitur si invocet aliquis nomen latronis, vel alterius cuiusquam crucifixi, daemon ne forte timebit et fugiet? Nequaquam, quin imo ridebit. Si vero Iesum addideris Nazarenum, velut ab igne repente diffugiet. » *S. Hieronymus* (3), ostendens monumentum, in quo dominus conditus est, omni veneratione dignum esse, haec habet: « Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo et angelis eius, qui quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes, contremiscunt, rugiunt et sero dolent, crucifixisse, quem timeant. » *S. Augustinus* (4) inter miserias humanas etiam hanc recenset, quod ne pii quidem et innocentes ab infestatione daemonis liberi sint; ait enim: « Contra milliformes daemonum incursus quis innocentiae suae fidit? quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil est innocentius, aliquando sic vexant, ut in eis maxime, Deo sinente, ista monstretur huius vitae flenda calamitas et alterius desideranda felicitas. » Idem (5) adolescentem commemorat, dire a daemone agitatum, et per orationes apud reliquias Ss. MM. Gervasii et Protasii liberatum. — Haec Patrum testimonia sufficiunt, ut ostendatur, iam in primis quinque Ecclesiae saeculis creditum fuisse, etiam post Christi mortem obsessos dari. — Idem confirmant decreta Conciliorum circa energumenos, seu obsessos edita. *Concilium Eliberitanum* (6) decernit: *Energumenum, qui ab erratico Spiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministret. Carthaginense IV*, anno 397 statuit (7): *Omni die exorcistae energumenis manus imponant;* et (8): *Energumenis in domo Dei assidentibus victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur. Arausicanum I*, anno 441, ordinat: (9) *Energumenis baptizatis, si monitis obtemperant, danda est S. Eucharistiae communio*, et (10): *Energumenis catechumenis, si opportunitas fuerit, etiam extra periculum mortis de baptismo consulendum. Toletanum XI*, anno 675 (11) ait: *Bene quidem Maiorum regulis definitum est, ut daemoniis, aliisque passionibus irretitis* (Sacerdotibus) *mysteria sacra tractare non liceat*. In *Concilio Quini-sexto* decretum *fuit*, *eos puniendos, qui se a daemone correptos esse simulant, et eiusmodi afflictionibus, laboribusque subiiciendos esse, quibus ii, qui vere a daemone correpti sunt, ut a daemonis operatione libe-*

(1) Catech. n. 19.
(2) Hom. 4 in laud. S. Pauli.
(3) Ep. 46 ad Marcellam.
(4) L. 22 de Civ. Dei c. 22. (5) Ibid. c. 8.

(6) S. 4, can. 29. (7) Can. 90.
(8) Can. 92. (9) Can. 14.
(10) Can. 15. (11) Can. 13.

ventur iure subiiciuntur. Ex isto canone 60 colligitur, et veros tunc exstitisse energumenos et etiam fictos.

Nota 1. Quamvis hincinde, Deo permittente, etiam homines piissimi, ut eorum virtus probetur, a daemone obsideantur et dire vexentur; multo facilius tamen et frequentius id circa homines magnis criminibus inquinatos contingit. Non pauci ex veteribus Patres putarunt, daemonibus a Deo non permitti intrare in corpora hominum, nisi in poenam peccatorum. Ipse *S. Augustinus* eiusdem videtur sententiae esse; nam (1) dicit: « Daemones nisi eos quos fallendo deceperint, possidere non possunt: » sed quia idem in loco superius citato contrarium asserit; dicendum est, S. Doctorem hic de iis loqui, quae communiter contingunt. Fieri etiam potest, ut homines caeteroquin pii, et religiosi propter defectum aliquem, seu culpam commissam, Deo permittente, a malo spiritu obsideantur. Sic *Tertullianus* (2) narrat, mulierem quandam religiosam et devotam « adiisse spectaculum, et cum daemone rediisse: » daemonem autem increpatum, quod ausus esset tam honestam matronam ingredi, respondisse, se fecisse iustissime; nam aiebat: « In meo eam inveni. » Etiam *Cassianus* (3), et *S. Gregorius M.* (4) exempla eorum referunt, qui ob levem culpam a daemone obsessi fuerunt. — Sed multo frequentiora exempla prostant eorum, qui ob gravia crimina a daemone obsessi fuerunt. *Saül* nonnisi post gravem inobedientiam misere a daemone exagitatus fuit (5). — Paulus Corinthium quemdam ob nefandum incestum tradidit *Satanae in interitum carnis* (6), i. e. in eum excommunicationem tulit, cum qua in primis Ecclesiae temporibus obsessio, et dira vexatio daemonis coniungi consuevit, ut censurae Ecclesiasticae magis aestimarentur et timerentur. *De Montano* legitur apud *Eusebium* (7): « Immodica primi loci cupiditate captum... aditum in se adversario spiritui praebuisse, et daemone repletum, subito quodam furore ac mentis excessu concuti coepisse. » Similia exempla plura a Scriptoribus ecclesiasticis referuntur.

Nota 2. Nonnulli putant obsessionum existentiam non esse admittendam propter graves inordinationes, quae contingunt, dum ii, qui naturaliter aegrotant, vel seipsos a daemone agitatos autumant, vel ab aliis, ut obsessi habentur et tractantur. — Sed veritas doctrinae propter abusum, qui ex mala illius applicatione sequitur, negari non potest. Inordinationes non sequuntur, si debitae cautelae adhibentur. Theologi catholici ipsi ideo monent, cum in praxi de obsessione agitur, cum magna prudentia esse procedendum, neque ex levi coniectura quemdam pro obsesso habendum. Assignant etiam indicia tum certa, tum probabilia, ex quibus vera obsessio dignoscitur. Ad primum genus signorum evidentium pertinent omnes effectus, qui oriri non possunt a viribus naturalibus, sed requirunt potentiam natura hominis superiorem, quae, si attentis circumstantiis ab immediato Dei influxu repeti nequeunt, necessario daemoni adscribuntur. Talia signa certa adsunt, si persona peregrinis linguis loquatur, quas nunquam didicit; si occulta, aut in dissitis locis peracta manifestet, quae naturaliter scire non potest; si robur, humanas vires consuetas longe

(1) L. 5 de Civ. D. cap. 32
(2) L. de spectaculis c. 26
(3) Collat. 1. (4) Dial. 6.
(5) 1 Reg. 15. (6) 1 Cor. 5, 5.
(7) L. 5 hist eccl. c. 16.

superans ostendat, e. g. si foemina cum omni facilitate ferreas catenas disrumpat, et a pluribus viris robustis retineri nequeat. — Signa probabilia sunt illi effectus, qui saepe fiunt viribus daemonis, sed produci etiam possunt a causis omnino naturalibus. Talia in illis reperiuntur, qui quasi per occultam vim a pronuntiandis nominibus Iesu, Mariae, et Sanctorum, a recitandis precibus, a recipiendis Sacramentis retinentur, ab aspiciendis sacris imaginibus, reliquiis, Sacerdotibus, etc. abborrent, et, dum ab aliis aqua lustralis, res benedictae, exorcismi etc. adplicantur (praesertim si haec ipsis insciis, et non advertentibus fiant) subito extraordinariis doloribus torquentur, aut insolitis convulsionibus agitentur. Nonnulli equidem nullum signum sufficiens putant, ut certitudo de vera obsessione habeatur; nam, aiunt, etiam per applicationem magnetismi animalis anima in talem statum reponitur, ut ignotis antea linguis loquatur, occulta et in dissitis locis peracta manifestet. — Quomodo autem haec naturaliter fieri possint, nullus explicat. Quaenam enim connexio datur inter operationem mere corporalem, et infusionem linguae ignotae in animam? — Quomodo anima, quae solum in morte a corpore separatur, naturaliter simul in alio loco versari, et quae in isto geruntur, observare potest? — Si non tota anima a corpore separatur, et in praedictum locum transfertur; anne de parte, seu de vi quadam animae, quae omnino simplex est, id dici potest? — Certe et hoc et illud physice impossibile dicendum est. Eventus ergo miri, qui de magnetismo iactitantur, aut commentitii sunt, aut si vere contigerunt, nonnisi virtuti daemoniacae adscribi debent. Idcirco magnetismi applicatio tum a multis Episcopis, tum a Sede Apostolica prohibita fuit. — Inter ipsos Protestantes novissimis temporibus, nonnulli insurrexerunt, qui, certissimis eventis seu factis recentiorum temporum productis, ostendunt possibilitatem, et existentiam obsessionum, efficaciam exorcismorum, invocationis nominis Iesu, orationis, et fidei contra daemones, et doctrinam suam adversus modernos Philosophos defendunt: id fit in opere Karlsruhe 1835 impresso: Historia de obsessis recentiorum temporum *Iustini Kerner* cum notis *L. A. Eschenmayr*, etc.

III. *De Magia.*

§ 184. 1. Magia est facultas efficiendi prodigia, i. e. eventus, quorum ratio sufficiens ex notis naturae legibus reddi non potest. Magia vocatur *naturalis*, si prodigia, seu miri eventus per occultas naturae vires, et *diabolica*, si ope daemonis producuntur. — Dubitari nequit, existere magiam naturalem, quoniam nonnulli vel ex diligentiori naturae investigatione, vel etiam hincinde ex casu ad quarumdam virium naturalium cognitionem perveniunt, quae aliis plane ignotae sunt, atque ideo, quae ab illis peraguntur, his omnino mira et prodigiis similia videntur. Ob huiusce magiae naturalis exercitium nonnulli iam apud imperitam plebem in suspicionem commercii cum daemone venerunt, ut *Severinus Boëtius* (1), *B. Albertus M.*, *Picus Mirandulanus*, et alii: ast viri illi doctissimi et sanctissimi non ope daemonis, sed scientia et arte naturali plura praeter consuetum, et omnibus compertum naturae ordinem effecerunt. Verum de magia naturali nobis hic sermo non est. Quaestio movenda est, an magia diabolica exi-

(1) Ut ipse refert. 1 de Consol.

stat, et an vere dentur magi et sagae, quae etiam lamiae et striges vocitari solent?

2. Magiam existere, et per influxum malorum spirituum varios in orbe terrarum effectus produci, communis erat totius antiquitatis persuasio. Negari etiam non potest, circa hanc opinionem praeterlapsis saeculis multos rectos limites transgressos esse, nimis amplum in res creatas dominium daemonibus adiudicasse, et ex levibus coniecturis maleficorum et sagarum numerum multiplicasse; ex quo factum est, ut ob crimen magiae hinc inde innocentes quoque condemnarentur. Ast - recentioribus temporibus aliqui, ut fieri plerumque solet, contra praedictos abusus ita vehementer invecti sunt, ut in oppositum extremum delaberentur, magiae existentiam penitus negantes, et quae de factis magicis narrantur, inter aniles fabulas referentes. Talem sententiam etiam nonnulli catholici Theologi amplexi sunt, inter quos nominandus est *Eng. Klüpfel*, qui (1) suam de magia diabolica theoriam his verbis absolvit: « Magiam, quod attinet, sive artem perficiendi mira ope daemonis, nocendique hominibus modis variis, quo revocantur praestigiae, incantationes, fascinationes, pacta et commercium cum daemone; arbitramur, quaecunque de eo rerum genere venditantur, esse commentitia, aut somnia delirantis phantasiae. Dolendum sane est, sinistras id genus de magia opinationes, quae omnium fere animos penetraverant, actis retro saeculis, imo nostra adhuc patrumque nostrorum aetate, iudiciis temere conceptis accusationibusque teterrimis, atque multis innocuorum caedibus occasionem praebuisse. Sed nolumus vulnera illa refricare. Utinam, qui populi christiani institutioni praesunt, modis omnibus allaborarent, eam, quae multorum animos adhuc occupat, evellere perniciosissimam persuasionem, tractam, ut videtur, e superstitione Gentilium, certe christiano homine penitus indignam. » Ast talis adsertio, nulla distinctione temperata, nullisque probationibus fulcita, sed quasi ex tripode prolata Theologo satisfacere nequit; unde solidior quaedam hac de re inquisitio suscipienda est.

(1) Lib. 1 Inst. th. dogm. § 77 not. 4.

3. Magia, ut de eius possibilitate, realitate et existentia rectum iudicium feratur, sub triplici respectu consideranda est; nempe 1° ut *crimen*, 2° ut *ars*, 3° ut *factum*. Crimen magiae certe existere potest: ars magica haud immerito negatur: sed facta magica omnino admittenda sunt.

Nota. Magia diabolica dici solet *benefica*, si in commodum magi, aut sagae, et *venefica*, si in detrimentum alterius miri effectus producuntur. Ad priorem referenda est praecipue *divinatio*, quae est impius conatus, ope daemonis futura, seu occulta indagandi, quae naturaliter cognosci nequeunt. Posterior, si actu contingat, a Theologis *maleficium* nuncupatur.

A. *De crimine magiae.*

§ 185. Crimen magiae est impius hominis conatus, ope daemonis mira efficiendi. Quotiescunque ergo homo seriam voluntatem habet, aut etiam conatum adhibet, ope daemonis vel sibi emolumentum procurandi, vel alteri damnum inferendi, criminis magiae reus constituitur, sive effectus sequatur, sive non. Crimen istud semper committitur per invocationem daemonis, vel, ut Theologi loquuntur, per pactum cum daemone, quod vel *expressum* esse potest, vel tan-

tam *implicitum*. Primum exigit colloquium cum daemone, vel reipsa, si daemon appareat, vel saltem per imaginationem, ut si quis illusus putet cum daemone loqui ac cum eo pacisci. Ad pactum vero implicitum sufficit, ut quaedam ponantur signa, vel facta superstitiosa, quibus positis aliquis exspectatur effectus, qui neque a Deo speratur, neque communi naturae ordine provenire potest, aut solet, ac proinde solius daemonis ope eventurus creditur. — Simili modo iam *S. Augustinus* crimen magiae delineavit (1), inquiens: « Superstitiosum est, quidquid institutum est ab hominibus ad facienda et colenda idola, ... vel ad consultationes et pacta quaedam significationum cum daemonibus placita atque foederata, qualia sunt molimina magicarum artium; » quod iterum repetit (2), suam elocutionem emolliens eadem molimina nominans « quasi pacta quaedam infidelis et dolosae amicitiae constituta, » quoniam de pacto stricte dicto, quod obligationem pariat, et promissorum fidem exspectare liceat, sermo esse nequit. Eodem modo intelligendus est *S. Thomas*, dum (3) scribit: « Omnes superstitiones procedunt ex aliquo pacto cum daemonibus inito, tacito, vel expresso. » In eodem sensu Theologi scholastici pacta cum daemone admiserunt. — Iam, si quaeritur an crimen magiae existere possit, ac vere exstiterit? affirmative respondendum esse, gravissimae rationes probant.

1. Cum homines quoad intellectum valde obscurati, et quoad voluntatem per malam concupiscentiam maxime depravati sint; certe etiam ad talem vesaniam, ac impietatem pervenire possunt, ut sibi persuadeant, a daemone se tale auxilium sperare posse, quod ad iniqua sua desideria explenda frustra a Deo exspectant. Varia proinde sunt ad tantum crimen incitamenta: hincinde magna penuria homines gulae et luxuriae deditos impellit, ut ad daemonem recurrant, ab ipso poscentes, ut pecuniam afferat, occultos thesauros manifestet etc.: saepissime inordinata futura cognoscendi curiositas ad iniqua molimina perducit, de quo plurima Ethnicorum oracula, auspicia, auguria etc. testimonia perhibent; haud raro etiam contingit, ut homines perversi ope daemonis damna illis inferre studeant, contra quos invidiam, odium et vindictae studium in animo conceperunt. Qui negat, homines ad talem malitiam pervenire, et crimine magiae se inquinare posse, ipsam corruptae humanae naturae conditionem ignorat, historiae nescius, et ab omni experientia, quae hominum a recta via aberrantium corda noscere docet, alienus est.

2. Crimen magiae ab hominibus committi posse, clare patet ex legibus gravissimis, quas Deus contra illos tulit, qui tam immani et nefario scelere contaminantur. Deus praecipit populo suo: *Maleficos non patieris vivere* (4). *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini* (5). *Vir sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur* (6). Et adhuc expressius: *Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consu-*

(1) L. 2 de doctr. christ. c. 20.
(2) Cap. 23.
(3) 2, 2, q. 95, a. 4, et q. 122, a. 2 ad 3.

(4) Exod. 22, 18.
(5) Lev. 19, 31.
(6) Ibid. 20, 27.

lat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem (1). Per tam expressas, saepiusque iteratas prohibitiones, dirasque poenas statutas Deus Israëlitas a crimine magiae deterrere voluit; ex quo manifeste apparet, homines in execrandum hoc flagitium prolabi posse.

3. Etiam in aevo christiano homines tam obcaecatos et corruptos dari posse, qui magiam exercere nitantur, patet ex legibus et poenis, quas Ecclesia Christi contra maleficos tulit. *Concilium Laodicenum* anno 365 (2) dicit: *Quoniam non oportet, ministros Altaris, aut Clericos magos et incantatores esse, aut facere, quae dicuntur phylacteria, quae sunt magna obligamenta animarum: hos autem, qui talibus rebus utuntur, proiici ab Ecclesia iussimus:* decreta huius Concilii confirmata fuerunt in Synodo *Quini-Sexta*. Eodem modo contra maleficos graves poenae statutae sunt in *Concilio Agathensi*, in *Toletano IV* (3), in *Ticinensi* (4). — In Concilio *Mediolanensi I* sub S. Carolo Borromeo celebrato (5) dicitur: *Episcopi magos, veneficos, sortilegos, divinatores severe puniant, et a fidelium societate repellant: item eos, qui consulunt, opem ferunt, fidem addunt*, etc. Denique etiam *Sixtus V* in celebri sua Constitutione: *Coeli, et terrae*, illos condemnat, qui *sortilegiis et superstitionibus non sine daemonum saltem occulta societate, aut tacita pactione operam dare non verentur*. Et postea multo vehementius, ut par erat, in eos invehitur, qui *etiam expressa cum diabolo pactione* nefarias magicae artis incantationes adhibent. In Ecclesia ergo semper haec persuasio viguit, quod etiam fideles, a recto tramite deviantes, ad talem impietatem pervenire queant qui molimina magica attentent.

Nota. Immerito nonnulli leges ecclesiasticas contra magiam latas vituperant, quasi inanes essent, nullum obiectum reale habentes; aut etiam perniciosae, superstitionem promoventes ac multorum innocentium condemnationi ansam praebentes. Nam si magia realiter existit, et si per maleficia hominibus damna inferri possunt, optime sane agit Ecclesia, tam nefaria molimina sub gravissimis poenis prohibendo. Quodsi etiam concederetur, magiam non esse nisi inane commentum, et ope daemonis reales effectus produci non posse, nihilominus de aequitate legum ecclesiasticarum dubitari non posset, quia ad impediendum maximum magiae crimen diriguntur, cuius nefarii homines se reos constituunt, sive effectus sequatur, sive non. Et - si Deus in V. T. contra maleficos graves leges tulit, quomodo Ecclesia catholica reprehendi poterit, divini Legislatoris exempla sectando? — Si hincinde factum est, ut innocentes de crimine magiae falso accusarentur et iniuste punirentur, id non legibus ipsis, sed malae earundem intelligentiae et adplicationi, accusatorum malitiae, vel stupiditati, aut iudicum immoderato ardori, ac praeiudicio adscribendum est. Caeterum, teste *Moshemio* (6) et *Thomasio* (7), apud Protestantes, qui leges ecclesiasticas non admittunt, plures malefici accusati et puniti fuerunt, quam apud Catholicos (8).

B. *De arte magica.*

§ 186. Ars magica dicitur facultas, positis quibusdam signis, effectus mi-

(1) Deut 18, 10-11.
(2) Can. 36.
(3) Can. 28.
(4) Can. 25.
(5) Can. 10.
(6) Hist. scient. in Marca Brandenburg.
(7) De crimine Magiae § 2 6, 46 etc.
(8) Cf. Perrone de Deo Creatore p. 1, cap. 5, prop. 2.

ros ope daemonis producendi. Magia ergo, tanquam ars considerata, supponit certa signa, quae a magis, vel sagis posita, dummodo non per orationes, res benedictas, exorcismos etc. enerventur, ex se efficacia sunt daemonem advocandi et ipsius ope vel sibi commodum comparandi, vel aliis detrimentum inferendi. Sic multi putarunt, dari quaedam signa magica, seu maleficia, quibus striges varios morbos et dolores producere, et philtra, quibus insanientem amorem in aliis excitare possunt. Nonnulli arbitrati sunt, magos et sagas, ope daemonum, etiam imbres, fulgura, tonitrua et grandines procreare posse. Existimarunt quidam, dari unguentum magicum, quo lamiae illinitae a daemonibus in dissita loca transferuntur (1). In hoc sensu non pauci artem magicam tanquam realiter existentem admiserunt et propugnarunt. Ast talem artem in sensu declarato nullatenus existere, gravia argumenta probant.

1. Certum est, solum Deum esse absolutum rerum omnium Dominum, conservatorem et gubernatorem, cuius Providentia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (2). Igitur absque Dei voluntate, saltem permissiva, nihil in orbe terrarum contingere potest: *Nonne*, ait Christus: *Nonne duo passeres asse veneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos* (3). Iure hinc inferunt Ss. Patres et Theologi, daemones circa res creatas et praecipue circa homines sine permissione Dei nec minimum efficere posse (Cf. § 179 nota 1). S. *Chrysostomus* (4) quaestioni cur Christus Dominus permiserit daemonibus intrare in porcos, inter alia respondet: « Ut discerent omnes, daemones ne quidem porcos invadere posse, nisi ipse permiserit. » Et *S. Augustinus* (5) loquens de magis Pharaonis, qui serpentes, non autem sciniphes producere poterant, inquit: « Unde intelligi datur, ne ipsos quidem transgressores Angelos et aëreas potestates, per quas magicae artes possunt, quidquid possunt, valere aliquid, nisi data desuper potestate. » Quis autem probare poterit, aut dicere praesumet, Deum semper daemonibus infestationes malignas permissurum esse, quotiescunque magis aut sagis determinata signa ponere placuerit? An ne voluntas Dei permissiva a voluntate impiorum hominum dependere? An ne superstitiosis signis alligata esse potest? — Si haec non sine maxima absurditate dici possunt, etiam ars magica admitti non potest; quia, negata permissione Dei, quaecumque signa posita effectum suum haud sortiuntur.

2. Artem magicam admittendam non esse, ex seria ipsorum daemonum consideratione patescit. Primo enim daemones neque omniscii, neque omnipraesentes sunt; unde contingere potest, ut ab improbis hominibus signa ponantur, quin maligni spiritus de eorundem positione notitiam quamdam habeant, quamobrem posita signa inania manent et desideratum effectum producere non possunt. Secundo daemones omnipotentes non sunt, atque ideo persaepe vires ipsis desunt, impiorum hominum desideriis satisfaciendi. Certissimum sane est, daemones libere et contin-

(1) V. Frassen Scot. acad. T. 1. Tract. 1. Disp. 3. art. 3 Append. de infest. daem. § 3.
(2) Sap. 8, 1.
(3) Matth. 10. 29 etc.
(4) Hom. 28 (al. 29) in Matth.
(5) L. 3 de Trin. cap. 7.

genter futura, quae humana curiositas frequenter cognoscere cupit, nec praevidere, nec praenuntiare posse (Cf. § 159, n. 2 —): praeterea daemones neque ex natura sua, neque ex concessione Creatoris potestatem habent pro libitu in res creatas agendi; quapropter *S. Augustinus* (1) ait: « Firmissime credendum est, omnipotentem Deum omnia posse facere quae voluerit, sive vindicando, sive praestando, nec daemones aliquid operari secundum naturae suae potentiam, — nisi quod ille permiserit, cuius iudicia occulta multa sunt, iniusta nulla. » Idem (2) inquit: « Non est putandum, istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed soli Deo. » Hoc idem docet, ac probat *S. Thomas* (3). — Ergo saepissime daemoni vires desunt ea perficiendi, quae nefarii homines in suum commodum, vel in aliorum damnum positis signis ab ipso exposcunt. — Tertio denique constat, daemonem mendacissimum esse, maximeque infidelem (4); quis ergo sibi persuadeat, ipsum semper velle stare promissis, etsi potentiam haberet, et a Deo minime impediretur? Sufficere hincinde potest vaferrimo huic spiritui, ut hominem per crimen magiae in maxime profundum spiritualis miseriae barathrum praecipitaverit, quin postea de explendis ipsius desideriis sollicitus sit. Haec omnia probant, quaecunque signa superstitiosa nullatenus ita efficacia dici posse, ut per se loquendo, nisi enerventur, certum effectum producant; et ideo artis magicae existentia iure negatur.

3. Tantum abest, ut Ecclesia ea, quae nonnulli de artis magicae existentia et de efficacia signorum superstitiosorum dictitarunt, unquam adprobaverit, ut potius contrarium semper senserit et docuerit. Sic in Decreto Gratiani exhibentur verba Damasi Papae, dicentis: « Quisquis credit, aliquid posse fieri, aut aliquam creaturam inmutari aut transferri in aliam speciem, vel similitudinem nisi ab ipso Creatore, procul dubio infidelis est et pagano deterior. » *Concilium Bracarense I* anno 560 (5) dicit: *Si quis credit, quod aliquas immundas creaturas diabolus fecerit, et tonitrua, et fulgura, et tempestates, et siccitates ipse diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* — In *Concilio Ancyrano* anno 308 mandatur decreto generali, ut Episcopi eorumque ministri studeant, perniciosam et a diabolo inventam malitiosam artem et sortilegam, penitus a Parochiis suis eradicare, et ab Ecclesia eiicere iuxta illud Pauli: *Haereticum hominem post unam, et secundam correptionem devita* etc. (6): *Subversi sunt enim*, ait Concilium, *et a diabolo captivi tenentur, qui relicto Creatore suo, diaboli suffragia quaerunt, et ideo a tali peste mundari debet S. Ecclesia.* Memoratu digna sunt etiam alia eiusdem Concilii verba, quae, licet in ipsius actis non legantur, tamen in Decreto Gratiani (7) huic concilio adscribuntur: « Illud etiam, ait S. Synodus, non est omittendum, quod quaedam sceleratae mulieres retro post satanam conversae daemonum illusionibus et phantasmatibus seductae credunt et profitentur, se nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, vel cum Herodiade, et innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias et multarum terrarum spatia intempestae

(1) Lib. 18 de civ. D. c. 18
(2) Lib. 3 de Trin. c. 8
(3) I, q. 110, a. 2.
(4) Io. 8, 44 etc.
(5) Can. 8.
(6) Tit. 3, 10.
(7) Caus. 26, q. 5. c. 12.

noctis silentio pertransire eiusque iussionibus obedire, et certis noctibus ad eius servitium evocari: quae falsa opinione deceptae, haec vera esse credunt, et credendo a recta fide deviant... Ideo Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo praedicare debent, haec omnino esse falsa, et a maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Siquidem ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis, et cum mentem cuiusque mulierculae ceperit, et hanc sibi per infidelitatem subiugaverit, illico transformat se in diversarum personarum species atque similitudines, et mentem, quam captivam tenet, in somniis deludens, modo laeta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per devia quaeque deducit. Et cum solus spiritus haec patitur, infidelis mens haec non in animo, sed in corpore opinatur evenire; cum Ezechiel Propheta visiones Domini non in corpore, sed in spiritu viderit, et Ioannes Sacramentum Apocalypsis in spiritu, non in corpore vidit; et Paulus non audet dicere, se raptum in corpore... Quis enim non in somniis, et nocturnis visionibus extra se educitur, et multa videt dormiendo, quae nunquam videret vigilando? quis vero tam stultus et hebes est, qui haec omnia, quae in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur?..... Omnibus itaque annunciandum est publice, quod qui talia et similia credit, fidem perdit, et qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est eius, sed illius, in quem credit, i. e. diaboli. »

4. Ad artem magicam referenda sunt praecipue oracula, quae apud Gentiles in maxima auctoritate fuerunt. Variis modis et multiplici signorum genere tentata fuit praedictio futurorum, sed plerumque infausto successu. Gentilitatis oracula persaepe falsa protulisse, testantur *Tertullianus* (1), *Origenes* (2), *Eusebius* (3), *Minutius Felix*, qui (4) scribit: « Impuri spiritus daemones sub statuis, et imaginibus delitescunt - et oracula efficiunt plura falsitatibus involuta: » hoc idem saepius (5) testatur *S. Augustinus*, et (6) rationem etiam assignat, cur mali angeli saepe falsa praenuntient: « Falluntur, ait, quia cum suas dispositiones praenuntiant, ex improviso desuper aliquid iubetur, quod eorum consilia cuncta perturbet, velut si aliquid disponant quilibet homines quibuslibet potestatibus subditi, quod non prohibituros suos praepositos arbitrantur, idque facturos se esse pronuntiant. » Neque solum Christiani, sed etiam scriptores ethnici oracula de fallaciis et mendaciis arguunt, ut *Iamblicus* (7), *Demosthenes*, qui Pythiam dicit a Philippo corruptam, ita ut res omnes ad eius nutum proferat, *Cicero* (8) et alii, quos citat *Vossius* (9). — Idcirco multi etiam inter Gentiles vaticinationes Deorum suorum in contemptu habuerunt, ut *Alexander M.*, pugnaturus adversus Persas, *Hector* apud Homerum in Iliade, *Hannibal* in Plutarcho, et alii permulti. *Maximus Tyrius* (10) ait, hominem prudentem saepe meliora consilia dare, quam oracula, et ideo exclamat: « Cur ergo homines oracula adeunt, neglectis consiliis sui similium? » Accedit, quod oraculorum responsa plerumque obscura, ambigua et flexiloqua erant, ita « ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes, »

(1) Apologet. c. 22. (2) L. 7, c. Celsum.
(3) L. 4 Dem. evang. (4) In Octavio.
(5) In libris de civ. Dei.
(6) L. de divinatione daemonum c. 6.

(7) De Myster. Aegypt. l. 1, c. 11.
(8) L. 2 de Divin. (9) L. 1 de idol., c. 6.
(10) In lib. de divinat.

sicut scite loquitur *Tullius* (1). — Recte ex his infertur, oraculorum responsa plerumque fuisse angurum et sacerdotum inventa, qui, dum saepissime, non obstantibus invocationibus adhibitis et signis positis, ab idolis, seu a daemonibus responsa non obtinerent, propria cogitata tanquam vaticinia divina venditarunt, ambiguis et flexiloquis vocibus utentes, ne unquam de aperta falsitate argui possent. Igitur ipsa etiam oracula, attentius considerata, probant, artis magicae existentiam admitti non posse.

5. Ipsa denique experientia testatur, artem magicam inanem esse. Plurimi enim homines, qui ad talem vesaniam et impietatem pervenerant, ut per invocationes et signa superstitiosa daemonis opem advocare tentaverint, nihil tamen efficere potuerunt. Hac de re multi animarum curatores et conscientiae moderatores testimonium perhibent: praecipue vero inter huiusmodi testes nominandus est *P. Fridericus Spee*, Iesuita, qui cum multos ob magiam condemnatos ad rogum comitatus fuisset, et insontes invenisset, praeclarum, etiam a Protestantibus, et praecipne a *Leibnitio* laudatum opus scripsit, cui titulum dedit: *Cautio criminalis circa processus contra sagas*.

Nota. Artis magicae existentiam multi impugnarunt, ut *March. Scipio Maffei* (2), *Tartarotti* (3), *Muratorius* (4), *Sterzinger* (5), *Iordan Simon* (6).

C. *De factis magicis*.

§ 187. Ab arte magica distingui debet factum magicum, per quod intelligitur quilibet effectus, circa homines, aut caeteras res creatas per vires daemonis productus. Reiecta arte magica, non ideo etiam quodlibet factum magicum negari potest. Nam si daemones sine permissione divina nihil agere valent, et si hac de causa signa ex se efficacia ad opem daemonis acquirendam admitti nequeunt, attamen maligni spiritus, Deo permittente, sicut homines tentare et obsidere, ita etiam alios effectus in rebus visibilibus per vires suas producere possunt, sive superstitiosa signa ponantur, sive non. — Multi quidem recentiores, distinctionem inter artem magicam et factum magicum non rite adtendentes, cum illa etiam hoc penitus reiecerunt. Ast facta magica non prorsus negari posse, solida argumenta probant.

1. Factum magicum impossibile esse, nullo modo ostendi potest: contrarium potius facile probatur. Factum enim magicum possibile est *logice*, quia effectus circa homines aut caeteras res creatas per vires daemonis productus cogitari potest, cum inter terminos definitionis nulla repugnantia contineatur. Facta magica sunt etiam possibilia *physice*, quoniam ad ea ponenda sufficientes vires in daemonibus adsunt, quae vires humanas longe superant (§ 161), ac, Deo permittente, a malignis spiritibus etiam in res mundanas exeri possunt. Et certe daemones non possent *Principes, et potestates, ac mundi rectores* (7) nuncupari, si nullam baberent huius mundi corpora movendi vim, et si in rebus visibilibus nullum effectum producere possent. Praeterea licet daemones non possint praevidere et praenuntiare libere et contingenter futura, longe tamen plura quam homines cognoscunt de futuris aliisque occultis, tum quia subtilitate na-

(1) L. c. (2) In duplici opere: *Arte magica dileguata*, et *arte magica annichilata*.

(3) *Del congresso notturno delle lamie*.

(4) *In arte magica annihilata*.

(5) *Von dem Vorurtheil der Zauberey*: i. e. de praeiudicio magiae.

(6) *Die Nichtigkeit der Zauberey*, i. e. nihilum artium magicarum. (7) Eph. 6, 12.

turae suae intellectualis perfectius vim causarum naturalium perspiciunt, tum quia per experientiam longi temporis norunt, quid in certis circumstantiis a causis liberis fieri soleat, et quibus rebus voluntas humana huc vel illuc impelli consuevit, tum quia vident in locis longinquis causas positas, vel effectus inchoatos et celeritate suae naturae illos antevertere, et alibi praedicere possunt, tum quia scire queunt, quid ipsi, vel alii daemones, Deo permittente, sint facturi, tum denique, quia hincinde in cognitionem eorum veniunt, quae ab ipso Deo per Angelos aut Prophetas praenuntiata fuerunt, et quae deinde ab ipsis tanquam propria vaticinia deceptis hominibus venditantur. Non potest ergo negari, daemones nonnulla perficere et manifestare posse, quae vires humanas superant et praeter naturalem ordinem fiunt; atque sic facta magica physice possibilia sunt. Neque de eorundem possibilitate *morali* dubitari potest. Deus enim sicut alias tribulationes ita etiam infestationes daemoniacas permittit vel ad impios puniendos, vel ad iustos probandos, et sic vel iustitiam, vel misericordiam suam manifestat, imo et sapientiam, cum ipsis inimicis suis ad perficienda sua consilia utitur, ac denique omnipotentiam, cum plurima malignorum spirituum conatus impedit aut eorundem molimina, quae, ipso permittente, operati sunt, in momento iterum destruit, totiusque inferni potentiam confundit. — Etiam finis hominis per infestationem daemoniacam non impeditur, quoniam per hanc nemo sua libertate privatur: unde iustus vexationes daemonis patienter tolerando virtutem exercet et merita sibi comparat; impius autem condignas poenas luit, vel etiam videns se saepe a daemone delusum, ac cognoscens, ipsa commoda, quae ab ipso quaesivit, sibi in perniciem verti, facilius a sua malitia resipiscere potest. — Denique facta magica indoli daemonum apprime conveniunt, qui homines decipere ipsisque nocere semper et ubique student.

2. Factorum magicorum existentiam ipsa S. Scriptura probat. Luculentum argumentum praebet historia *Iobi* (1), ad cuius damnum potuit satan, Deo permittente, latrones evocare, ventos et tempestates in aëre excitare, ignem de coelo demittere, atque in ipso eius corpore varios gravissimosque morbos inducere. — Multi cum *S. Augustino* (2) et *S. Thoma* (3) ad facta magica, seu ad effectus ope daemonis productos etiam ea mira referunt, quae (4) magi Pharaonis ad aemulandam divinam Moysis virtutem coram toto populo egerunt: haec sententia per verba S. Scripturae confirmari videtur: *Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes aegyptiacas et arcana quaedam similiter* (5). — *Spiritus autem Domini recessit a Saül, et exagitabat eum spiritus nequam* (6); quae verba, si non de obsessione, saltem de vexatione daemoniaca intelligenda esse, communis est Ss. Patrum et Theologorum sententia. — De septem viris Sarae dicitur: *Daemonium occidit illos* (7); et Angelus Raphaël rationem tam atrocis poenae reddit, dicens: Si qui ex sola libidine coniugium suscipiunt, *habet potestatem daemonium super eos* (8). — In N. T. legitur: *Vir quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus* (9); et: *Atten-*

(1) Cap. 1, et 2. (2) L. 3. de Trin. c. 7.
(3) 1. q. 114, a. 4. (4) Exod. 7, et 8.
(5) Ex. 7, 11. (6) 1 Reg. 16, 14.

(7) Tob. 6, 11. (8) Ibid. v. 17.
(9) Act 8, 9.

debant autem eum: propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos (1): commemoratur *Elymas magus*, qui *resistebat* Paulo praedicanti, *quaerens avertere Proconsulem a fide* (2). S. Scriptura equidem non innuit, qualia facta magica Simon et Elymas posuerint. sed tamen tum ex adiunctis, tum ex iis, quae apud Patres et vetustissimos scriptores praecipue de Simone leguntur, recte colligitur, ambos non fuisse dictos magos, nisi quia ope daemonis mira patrarunt, quibus homines decipere sibique auctoritatem conciliare studuerunt. Clare autem indigitatur, quid puella pythonissa ope daemonis praestiterit; legitur enim de ipsa: *Quaestum magnum praestabat dominis suis divinando* (3): talem autem divinationem ad facta magica recte referri nemo dubitabit: Christus ipse facta magica praenuntiavit, dicens: *Surgent Pseudochristi, et Pseudoprophetae, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi* (4): cum tales impii seductores virtute divina miracula perficere non possint, necessario infertur, quod ope daemonis perficiant *signa magna et prodigia*, sub quibus nominibus mere naturalos operationes intelligi non possunt. Eodem modo Paulus facta magica praedicit de Antichristo, *cuius est adventus secundum operationem satanae, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus* (5); hic locus, in quo signa, et prodigia mendacia expresse operationi Satanae adscribuntur, etiam priorem illustrat. Itaque, iuxta testimonia biblica, facta magica vere extiterunt, et etiam futura sunt.

3. **Facta magica etiam in N. L. dari ex veterum scriptorum et Ss. Patrum testimoniis elucet. *Tatianus* (6) ait: « Hincinde daemones ab animalibus hominibus videntur, quoniam illi se oculis hominum ostendunt, vel ut aliquid magni reputentur, vel ut - inimicis suis noceant, vel ut a sibi similibus venerationem consequantur. » *Athenagoras* (7) scribit: « Angeli, qui e coelo expulsi in aëre et in terra versantur, ponunt actiones, naturae suae consentientes. » *Tertullianus* (8) ita de daemonibus disserit: « Corporibus quidem et valetudines infligunt,** et aliquos casus acerbos, animae vero repentinos et extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad utramque substantiam hominis adeundam subtilitas et tenuitas sua... illi (daemoni) accuratior pascua est, ut hominem a cogitatu verae divinitatis avertat praestigiis falsis. » *S. Athanasius* in vita S. Antonii enarrat, sanctum hunc Abbatem non solum quoad animam gravissime tentatum, sed etiam quoad corpus variis modis vexatum a daemonibus fuisse. — **Plura daemonia vidit Iulianus apostata a quodam mago evocata, quorum horribili aspectu territus consueto crucis signo se munivit, et illa protinus evanuerunt, uti testantur *S. Gregorius Naz.* (9), *Theodoretus* (10) atque *Sozomenus* (11). — *S. Augustinus* facti**s magicis adscribit originem et propagationem idololatriae; ait enim (12): « Daemones multis plane participatione verae Religionis indignis tanquam captis subditisque dominantur; quorum maxime parti mirabilibus et fallacibus signis sive factorum, sive praedictorum deos se esse persuaserunt. » Idem (13) docere non dubitavit,

(1) Act. v. 11. (2) Ibid. 13, 8.
(3) Ibid. 16, 16. (4) Matth 24, 24.
(5) 2 Thess. 2, 9 (6) Exh. ad Graec. n. 16.
(7) Leg n. 25. (8) Apologet c. 22.

(9) Orat I. in Iulian. n. 55.
(10) L. 3, hist. eccl. c. 3.
(11) Lib. 5, Hist. cap. 2. (12) L. 8, de Civ. D c. 22. (13) L. 21, de Civ. D. c. 6.

daemones astutissima calliditate homines seducere « vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo. » Et (1) in praesenti materia notatu dignam sententiam refert, dicens: « Quid possint (mali Angeli) per naturam, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturae suae conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat, dicens: *Alii diiudicatio spirituum*. Interim S. Doctor, agens de metamorphosibus, et praecipue de commutationibus hominum in animalia, quas *Varro* et alii enarrabant, expresse docet (2), daemones non posse rerum substantias immutare, sed solum per species obiectas sensibus illudere, aut ita phantasiam afficere, ut putet se in aliam formam immutatum: caeterum de huiusmodi factis rectissime ait, « haec vel falsa sunt, vel tam inusitata, ut merito non credantur. » *S. Hieronymus* (3) inquit: « Sicut signa, quae faciebat Moyses imitabantur signa Aegyptiorum, sed non erant in veritate; nam virga Moysis virgas magorum devorabat: ita per omnia, quae in aemulationem Dei facit diabolus, non Religionis nostrae superstitio, sed nostra arguitur negligentia, id nolentium facere, quod bonum esse, etiam saeculi homines non ignorant. » *S. Gregorius M.* plura infestationis daemoniacae exempla enarrat in libris Dialogorum, praecipue lib. 6. — *S. Thomas*, doctrinam Revelationis considerans (4), inquit: « Quidam dixerunt, quod maleficium nihil erat in mundo, nisi in aestimatione hominum qui effectus naturales, quorum causae sunt occultae, maleficiis imputabant. Sed hoc est contra auctoritatem Sanctorum, qui dicunt, quod daemones habent potestatem supra corpora, et supra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur, unde per eos malefici signa aliqua facere possunt. Procedit autem haec opinio ex radice infidelitatis et incredulitatis, quia non credunt esse daemones, nisi in aestimatione vulgi tantum. » In haec verba recte observat *Gazzaniga* (5): « Id S. Thomas de quibusdam sui temporis: ego autem id non ausim affirmare de omnibus, qui nostro hoc saeculo magiam omnem negant. »

4. Sicut Christus, *Convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos* (6), et de iisdem praedixit: *In nomine meo daemonia eiicient* (7); ita etiam in Ecclesia semper adfuit ordo Exorcistatus, qui principaliter quidem ordinatur ad expellendos daemones ab energumenis, secundario vero etiam ad reliquas malorum spirituum infestationes abigendas; si enim maius admittitur, nimirum ipsa obsessio, etiam id quod minus est, scilicet infestatio quaedam externa, negari haud posse videtur. Recte ideo Ecclesia in suis Ritualibus sicuti modum exorcizandi energumenos, ita etiam alias preces, benedictiones et exorcismos praescripsit ad alias varii generis infestationes daemoniacas abigendas; de quarum proinde possibilitate et existentia persuasionem suam haud obscure manifestavit. Hanc enim si non haberet, medicinas praescriberet pro morbis, quos nullibi existere, et arma vibraret contra inimicos, quos nec pugnare, nec nocere posse cognoscit. Ne-

(1) L. 3, de Trin. c. 9
(2) L. 18, de Civ. Dei c. 18.
(3) L. 2, adv. Iovinianum.
(4) In 1 Sent. Dist. 31. Quaest. 1, a. 3.
(5) De art. magicis in nota ad n. 238.
(6) Matth. 10, 1.
(7) Marc. 16, 17.

que dici potest Ecclesiam instituisse exorcismos saltem ad corrigendam phantasiae perturbationem, tranquillitatemque in animos inducendam: talem enim effectum Ecclesia melius obtineret declarando, facta magica nulla prorsus dari posse: ast talis Ecclesiae declaratio nunquam prodiit.

5. Varias dari infestationes daemoniacas, universalis fuit praeterlapsis saeculis persuasio. Negari nequit, multa hac de re falsa et fabulosa relata fuisse; sed ideo non omnia facta magica negari possunt, quae a viris doctrina et pietate conspicuis enarrantur (1).

Nota 1. Quamquam Theologi omnes doceant, hominem non posse a daemone ad peccandum cogi; putant tamen nonnulli, posse hunc in homine actus externos, etiam graviter malos, e. g. blasphemias, pollutiones etc. producere, qui actus autem non libero hominis arbitrio, sed operationi satanae imputandi sunt. Huius sententiae est etiam *S. Thomas*, qui, ut ostendat, homines ad peccandum cogi non posse (2), ita disserit: « Vel daemon ita mentem perturbat et commovet appetitum sensitivum, ut liberum rationis exercitium prorsus impediatur, vel non. In prima hypothesi cogere quidem potest hominem ad actum extrinsecum materialiter peccaminosum, ut in energumenis quandoque contingit, non vero ad culpam formalem: tum quippe, ratione penitus alligata, non imputatur homini peccatum, cum ei desit libertas arbitrii, sine qua nullus actus potest esse voluntarius, ideoque nec formaliter malus. In altera hypothesi, cum ratio non omnino afficiatur impedimento, sufficiens libertas homini superest ad agendum: ergo diabolus malum utique suadere valet, directe tamen movere nequit hominis voluntatem eique necessitatem inferre. » — Ita sentit angelicus Doctor: in praxi tamen haud facile credendum est illis, qui dicunt, se ad actus externos graviter malos a daemone coactos fuisse, nisi forte de personis probatae pietatis et certo obsessis agatur, ad quos etiam *S. Thomas* sententiam suam restringere videtur. Licet enim multi Sancti a daemonibus gravissime tentati et vexati fuerint, vix tamen ostendi potest exemplum de Sancto, qui ad actum externum graviter malum coactus a daemone fuit. Merito igitur defectus sanctitatis in illo timetur, qui se a daemone ad actus graviter malos coactum esse dicit. Homo enim, amore proprio obcaecatus, libenter daemoni adscribit, quod potiori iure propriae vehementi passioni, non debito modo oppugnatae, adscribendum esset.

Nota 2. Quoad infestationes daemoniacas vitanda est tum *incredulitas*, quae ex ipsis Revelationis fontibus sufficienter probata admittere recusat; tum *superstitio*, quae nimis magnam et quasi independentem potestatem daemonibus adscribit, et sine solida ratione facta magica multiplicat. Qui circa haec nimis creduli sunt, facile in magnas inordinationes prolabuntur, dum adversitatibus pressi putant, sibi a nefariis hominibus maleficia illata fuisse, ex quo temeraria iudicia, irae, odia et alia peccata progignuntur. Qui ita sentiunt, considerare sedulo debent, quod in huiusmodi iudiciis ratio nostra facillime aberret, et quod sine permissione divina neque daemones, neque nefarii homines nobis nocumentum inferre possint. Quaelibet igitur adversitas e manu Dei cum plena in ipsius voluntatem resignatione ad exemplum Iobi suscipienda et cum patientia to-

(1) Cf. I. Görres die christliche Mystik. t. 4.

(2) Q. 3 de malo a. 3 atque 12, q. 80, a. 3.

leranda est. — Optimum sane contra omnes infestationes daemoniacas praesidium est humilis et fervens oratio, ac firma in Deum confidentia, qui infinitis modis diabolo potentior est: *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit* (1). — Neque spernere licet preces, benedictiones ac exorcismos, quibus Deus saepe utitur ad homines ab infestatione daemonis vel praeservandos, vel liberandos, ut auctoritatem suae Ecclesiae et potentiam sui nominis contra infernales hostes ostendat.

CAPUT IV.

DE HOMINIBUS

§ 188. 1. Angeli, qui sunt spiritus materiae omnino expertes, sensibus corporeis percipi non possunt. Dantur autem multa alia entia, quae sensibus corporeis percipiuntur, quoniam ex materia constant, aut saltem materiam sibi coniunctam habent. Entia ista materialia, seu corporea variis perfectionum gradibus inter se distinguuntur. Dantur enim entia materialia, quibus competit solum *esse*, uti sunt lapides etc., dantur alia, quae non solum *sunt*, sed etiam *vivunt*, uti arbores, plantae etc.; inveniuntur etiam alia, quae non tantum *sunt* et *vivunt*, sed *sentiunt* quoque, qualia sunt animalia, *quibus* tamen, ut S. Scriptura de equis et mulis testatur, *non est intellectus* (2); existunt denique entia, quae praeter *esse, vivere* et *sentire*, habent etiam *intelligere*, *discernere* et *libere velle*, quamvis materiam sibi coniunctam habeant, seu cum corpore subsistant; et tales sunt homines. Ex his iam apparet, inter cunctas res visibiles hominem creaturam praestantissimam esse. - Hanc praestantiam et dignitatem hominis ostendit S. *Augustinus* (3), ita disserens: « A Deo habemus esse, quod sumus. Quia quod non nihil sumus, nisi a Deo, a quo habemus? - sed sunt et ligna, sunt et lapides, a quo nisi a Deo? nos ergo quid plus? non vivunt ligna (caesa et exsiccata), et lapides: nos autem vivimus. Sed adhuc vobis idipsum vivere cum arboribus fructetisque commune est. Dicuntur enim et vites *vivere*. Nam si non viverent, non scriptum esset: *Occidit in grandine vineas eorum* (4): vivit, cum viret, arescit, cum moritur. Sed vita ista *non habet sensum*. Quid nos amplius? - *Sentimus*. Quinquepartitus notus est sensus: videmus, audimus, olfacimus, gustamus, tactu etiam per totum corpus nostrum mollia diiudicamus, et dura, aspera et lenia calida et frigida. Est ergo in nobis sensus quinquepartitus. Sed hunc habent et bestiae. Habemus ergo aliquid amplius nos? — Et ista tamen, quae enumeravimus, fratres mei, si consideremus in nobis, quantam de his gratiarum actionem, quantam Creatori laudem debemus? Sed tamen amplius quid habemus? Mentem, rationem, consilium, quod non habent bestiae, non habent volucres, non habent pisces; in eo facti sumus ad imaginem Dei (5). Habemus ergo, ut cuncta breviter retexamus, ipsum esse cum lignis et lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum bestiis, intelligere cum Angelis » (6).

2. Angeli, intellectu et voluntate praediti, sed incorporei, *mundum spiritualem*; entia vero extensa, sensibus corporeis subiecta, ast ratione carentia, *mundum materialem* constituunt. Utriusque mundi annulus, nexus, seu sinthesis rectissime dicitur homo, qui cum ex anima spirituali

(1) Ps. 31, 10. (Cf. Ps. 90). (2) Ps. 3, 19.
(3) Serm. 43 de verbis Isaiae 7, c. 2,
(4) Ps. 77, 47. (5) Ibid c. 3.
(6) Cf. Staudenmayr, I. 3, § 72.

et corpore materiali constet, mundum spiritualem et materialem in se coniungit. Id etiam Ss. Patres et agnoverunt et docuerunt. Sic *S. Petrus Chrysologus* (1) ait: « Fecit te (o homo) esse terra, ut esses tu dominus terrenorum, et esses ipsis in ipsius substantiae communione communis, nec tamen terrestribus te sic aequavit, ut non etiam coelestibus animatum te coelitus exaequaret, et ut esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum iumentis, dedit tibi animam de coelo, dedit tibi corpus de terra, ut in te nexa coeli terraeque concordia servaretur » (2). Et quia homo de perfectionibus tum mundi spiritualis, tum mundi materialis participat, μικρόκοσμος, *parvulus mundus*, *seu mundus mundi* appellatus est; nam, ait *S. Augustinus* (3): « Nullum est creaturae genus, quod non in homine possit agnosci » (4).

3. Circa mundum mere materialem, qui etiam simpliciter *natura* vocari solet, duo praecipue dogmata Revelatio credenda proponit. Docet enim, etiam mundum materialem a Deo ex nihilo in tempore creatum esse, eundemque a Deo conservari et gubernari. Prius dogma iam § 136, et seq. probatum est, posterius in sequenti sectione probabitur. Haud igitur opus est, ut de mundo mere materiali, seu de natura specialis tractatus suscipiatur. — Maximi autem momenti est, ut de hominibus fusius disseratur. Hi enim Angelis paullo minores sunt (5), plurimum etiam interest, ut nosmetipsos recte cognoscamus, atque exinde relationes nostras et officia nostra deducamus; intime etiam doctrina de homine, circa quam multi errores circumferuntur, quos confutare oportet, cohaeret cum dogmatibus, in reliquis Theologiae dogmaticae specialis partibus pertractandis. Agendum idcirco est 1° *de hominum origine et propagatione*, 2° *de hominis natura*, 3° *de eiusdem destinatione, et imagine divina ipsi impressa*, 4° *de protoparentum gratia et felicitate*, 5° *de eorum lapsu*, 6° *de effectibus huius peccati in ipsis protoparentibus productis*, 7° *de eiusdem peccati propagatione*, 8° *subiecto*, 9° *essentia*, *et* 10° *de modo, quo ad posteros traducitur*: quibus pertractatis ostendendum est, 11° *doctrinam de peccato originali non esse contra rationem*, ac denique 12° aliqua *de peccatis hominum actualibus* dicenda sunt.

ARTICULUS I.

De hominum origine et propagatione.

§ 189. Cum de hominum existentia nullum dubium sit, aliae quaestiones de iisdem pertractandae sunt. Examinandum nimirum est, undenam hoc, quod orbem incolit, humanum genus ortum sit? an omnes homines ex iisdem protoparentibus Adamo et Eva descendant? et quomodo homines-praecipue quoad animam, quae corpori iungitur, propagentur? Circa has quaestiones multa absona, et cum ratione aeque ac revelatione pugnantia, tum a Philosophis, tum ab haereticis prolata fuerunt, et magni certe momenti est, ut contra errores istos, qui etiam nostris temporibus ex orco revocari solent, firmiter praemuniamur, quod quidem fiet, si doctrinam Revelationis, duce Ecclesia, sedulo investigemus et humili fide sequamur. Idcirco hic agitur 1° *de hominis creatione*, 2° *de Adamo*,

(1) Serm. 148. (2) Cf. Chrysost. de obscur. Prophet. 2, n. 5, Theodoret. in Gen. q. 20.
(3) Ad Oros. c. Prisc. et Orig. n. 11.
(4) Cf. S. Gregor. Naz. Orat. 38, et S. Gregor. M. in Iob l. 6, c. 16, n. 20.
(5) Ps. 8, 6.

et Eva omnium hominum protoparentibus, et 3° *de hominum propagatione.*

1. *De hominis creatione.*

§ 190. Iam antiqui Philosophi originem hominum explicare conati sunt, sed divinae Revelationis luce destituti tam absona hac de re protulerunt, ut *Censorinus* saeculi tertii scriptor, ipsorum commenta considerans, dicat: « Ut omittam, quod fabulares poëtarum historiae ferunt — quidam ex ipsis sapientiae professoribus nescio, an magis monstrosas, certe non minus incredibiles rationum suarum proferunt opiniones » (1). Sic e. g. *Anaximander*, teste Plutarcho (2), docuit, natos esse primos homines in ventribus piscium. *Empedocles*, teste Lucr. (3), finxit, terram humani corporis membra separatim protulisse, quae postea casu coaluerint, hominemque formarint. Neque minus absurda sunt tentamina, quibus recentiores Philosophi, beneficum Revelationis lumen deserentes, ac pantheismo, seu potius atheismo inhaerentes, per solius naturae vires originem hominum declarare nituntur. Contra istos errores Revelatio docet, primos homines immediate a Deo conditos fuisse: hanc doctrinam *S. Scriptura* clare proponit, *Traditio* confirmat, et ipsa quoque *sana ratio* adprobat.

1. Deum ipsum primos homines condidisse, clarissimis verbis docet *S. Scriptura*. Sexta enim die, postquam creaturae ratione carentes iam productae fuerant, Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram: et praesit piscibus maris, volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et foeminam creavit eos* (4). — Cum autem homo, uti iam ex allatis verbis apparet, inter creaturas terrestres maxime excellat, mirum haud videri debet, creationem masculi et foeminae (5), fusius describi. Origo maris - Adami - ita exponitur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* (6). Deus ergo est creator masculi, seu viri tum quoad corpus, quod e terra aquae mixta formavit, tum quoad animam quam immediate produxit. Origo autem foeminae Evae ita explicatur: *Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum, esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi* (7): *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est* (8). Errant, qui putant, et quidem nulli solidae rationi nullique authentico monumento innixi putant, homines, quorum creatio in primo Genesis capite exhibetur, differre ab illis, de quibus in secundo capite sermo instituitur. Nam formatio hominum, quae in isto capite describitur, non est nisi repetitio et quaedam uberior declaratio productionis Adami, et Evae, quae summatim fuerat in primo capite posita, quin modus explicaretur, quo primi homines formati fue-

(1) De die natali c. 4.
(2) De mor. philos. l. 5, c. 14. (3) L. 5.
(4) Gen. 1, 26, 27. (5) Gen. c. 2.
(6) Ibid. v. 7. (7) Ibid. v. 18.
(8) Ib. v. 21 etc.

rint. Errant pariter, qui hanc historiam, et praecipue formationem Evae non litteraliter, sed solum allegorice exponendam esse censent. Nam pro sensu litterali proprio decertant argumenta iam § 147 allata: verba quoque Adami v. 23, Evam sibi adductam videntis, omnino absona essent, si huius productio non in sensu litterali proprio intelligeretur. Dantur etiam varia S. Scripturae loca, quae non solum probant, hominem a Deo conditum esse, sed etiam haud obscure indigitant, narrationem mosaicam de hominum productione litteraliter esse accipiendam. Sic ad formationem hominis ex limo terrae alluditur, Ps. CII, 14: *Ipse* (Deus) *cognovit figmentum nostrum. Recordatus est, quoniam pulvis sumus;* Iob X, 8, 9: *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu: memento quaeso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me;* c. XXXIII, v. 4: *Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me;* v. 6: *Ecce et me, sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum;* Eccl. III, 20: *Omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur;* id vero v. 19 etiam homini quoad corpus applicatur (1).—Tobias c. VIII, v. 8 sic orat: *Tu fecisti Adam de limo terrae, dedistique ei adiutorium Hevam;* Sap. VII, 1: *Sum quidem et ego mortalis homo... et ex genere terreni illius, qui prior factus est:* Eccli. XVII, 1: *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum:* v. 5: *Creavit ex ipso adiutorium simile sibi.*—In N. T. Christus ait: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una,... quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* (2). Paulus quoque saepius ad narrationem mosaicam de productione hominum, litteraliter acceptam, provocat: sic (3) ait: *Adam enim primus formatus est, deinde Eva* (4). *Non vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum* (5); *Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem: omnia autem ex Deo* (6). Et comparationem instituens inter primum Adamum et secundum, i. e. Christum, inquit: *Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem; Primus homo de terra terrenus; secundus homo de coelo coelestis* (7). Quis his auditis negabit, Scriptores hagiographos narrationem mosaicam de creatione hominum litteraliter intellexisse?

2. *Ss. Patres* primos homines immediate a Deo conditos esse docent, et magno consensu narrationem mosaicam litteraliter exponunt. Sic *S. Basilius*(8), *S. Ambrosius*(9), *S. Augustinus*(10), *Theodoretus*(11), negant, Deum Angelorum ministerio usum esse ad protoparentis corpus e terrae limo formandum, sed hanc formationem, sicut et animae inspirationem, immediatae Dei actioni adscribunt. Alii rationes assignant, cur homo post caeteras creaturas a Deo conditus fuerit: ita *Lactantius* (12) asserit, non potuisse hominem induci in mundum, nisi perfectis omnibus: « Quomodo enim subsisteret, cum fabricaretur

(1) Cf. ib. c. 12, v. 7. (2) Matth. 19, 4 etc.
(3) 1 Tim. 2, 13. (4) 1 Cor. 11, 8 etc.
(5) Ibid. v. 12 (6) 1 Cor. 15, 45.
(7) Ibid. v. 47. (8) Hom. 9 in Hexaem.
(9) Hexaem. l. 6 c. 7, n. 40.
(10) De Gen. ad litt. l. 9, c. 15.
(11) In Gen. q. 19.
(12) L. 2 div. Inst. c. 9.

desuper coelum, terraque subter fundaretur? aut quomodo viveret, sole nondum instituto, nec frugibus, nec animalibus natis? Itaque necesse fuit, hominem postremo fieri, cum iam mundo, caeterisque rebus manus summa esset imposita. Denique Ss. Litterae docent, hominem fuisse ultimum Dei opus, et sic inductum fuisse in mundum, quasi in domum iam paratam et instructam; illius enim causa facta sunt omnia. » *S. Gregorius Nyss.* (1) inquit: « Consentaneum non erat imperantem existere prius, quam eos, quibus esset cum potestate praefuturus. Praeparato nimirum ante omnia imperio, tum deinde proximum erat regem designari. Idcirco universitatis huius creator ei, qui imperaturus erat, quamdam sedem regiam praestruxit. — Deinde hominem designavit horum mundi miraculorum partim spectatorem, partim dominum etc. » Frequenter etiam Ss. Doctores hominibus creationem ex limo terrae factam in mentem revocant, ut iisdem humilitatis sensus ingerant. Sic *S. Chrysostomus* (2) dicit: « *Formavit Deus hominem de limo terrae:* ad hoc si adtendere volumus, non parva nobis humilitatis offertur doctrina. Nam cum cogitaverimus unde constitutionis suae initium natura nostra susceperit, etiamsi sexcenties supercilia surrigamus, ea reprimemus et humiliabimur, et substantiae nostrae qualitatem perpendentes, modestiam discemus. » Praeterea Patres, productionem Adami et Evae considerantes, omnipotentiam divinam extollunt; ut *S. Chrysostomus* (3) ait: « Acceptam costam aedificavit Dominus Deus in mulierem. Admirabile dictum, nostram rationem nimia excellentia vincens! Eiusmodi enim sunt omnia, quae fiunt a Domino. Istud enim non est minus, quam hominem e pulvere formari. » *S. Cyrillus Hier.* (4) ex eo, quod Deus ex luto corpus Adami, et ex eius costa mulierem produxit, probat contra Iudaeos, Deum etiam efficere potuisse, ut virgo filium pareret. Ss. Doctores etiam varias rationes afferunt, cur Deus mulierem ex viri costa fecit: Id factum esse dicunt, ut vir magis diligat uxorem, quae de ipso sumpta est, eique firmiori affectu adhaereat (5); dein, ut appareat, qualis debeat esse societas inter virum et uxorem; mulier enim non est facta ex capite, ne dominetur, non ex pedibus, ne serviat, sed ex latere, ut vitae socia sit; demum, ut adumbraretur Ecclesia, quae ex latere Christi secundi Adam in cruce dormientis formanda erat: sic *S. Augustinus* (6) scribit: « Dormit Adam, ut fiat Eva, moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adae fit Eva de latere; mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia. » Etiam in *Concilio gen. Viennensi* (7) dicitur, Ecclesiam fuisse formatam de latere Christi, ac eius typum fuisse formationem Evae ex costa Adami (8). Ss. Doctores autem et Concilia allegoricam hanc expositionem proferunt, non negato, sed potius supposito sensu litterali proprio. Imo huic circa narrationem mosaicam insistendum esse, nonnulli Patres cum magna emphasi defendunt. *S. Basilius* Hexaem. Hom. 9, in cuius fine de creatione hominis verba facit, ut ostendat, se litteralem sensum sequi, mox ab initio dicit: « Ego, cum foenum audio, foenum intelligo; et plantam, et

(1) De hominis opificio c. 2.
(2) Hom. 12 in Gen. (3) Hom. 15 in Gen.
(4) Catech. 12. (5) Gen. 2, 24.
(6) Tr. 9 in Ioan. n. 10.
(7) Clementina I de summa Trinit.
(8) Cf. S. Thom, I, q. 92, a. 2 et 3.

piscem, et bestiam, et pecus, omnia uti dicta sunt, sic accipio; *non enim erubesco Evangelium:* » et paullo inferius illos reprehendit, qui, relicto sensu litterali, solum allegorias quaerunt, et sua commenta pro eloquiis Spiritus sancti venditant. *S. Augustinus* (1) ait: « Narrationem Mosis in libro Geneseos non esse genus figuratarum rerum, sicut in Cantico Cant.; sed esse expositionem rerum omnino gestarum, sicut in libris Regum etc.,» postea illos improbat, qui, relicto litterali sensu, solum allegoricas expositiones circa historiam protoparentum amplectuntur. *S. Hieronymus* (2) scribit: « Credit quispiam in conditorem Deum? non potest credere, nisi prius crediderit de Sanctis eius, vera esse quae scripta sunt: Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius et latere fabricatam, Enoch translatum etc. » — Quamvis autem qui allegorice tantum narrationem mosaicam exponunt, ab Ecclesia ut haeretici damnati non fuerint, temerarii tamen dicendi sunt, utpote qui a communi Catholicorum sensu recedunt. Absque dubiò autem dogma catholicum est, primos homines ab ipso Deo conditos fuisse; nam *Conc. Lateranense IV* (3) haec definivit: ***Unus est Deus - Creator omnium - is ab initio temporis utrumque de nihilo condidit creaturam corporalem et spiritualem, angelicam scilicet et mundanam; deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.***

3. Cum infinita generationum series - sicut numerus infinitus (§ 25, n. 3, Prob. 3) - apertam contradictionem involvat, *sana ratio* admittere tenetur, primos homines non per generationem, sed alio modo exortos esse. Ast, non sine maxima absurditate origo primorum hominum a natura - ratione carente - repeti potest. Nam si corpus humanum propius inspiciamus, clare videmus, oculos ad videndum, aures ad audiendum, linguam ad loquendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum, et generatim omnia ipsius membra ita constructa esse, ut eorundem concinnitatem, et scopo-congruentiam nunquam satis admirari possimus, et iam in ipso corpore sapientissimi et omnipotentis Auctoris opus agnoscere debeamus (Cf. Th. gen. § 29). Aut - si coeca natura ab initio tale opus producere potuit, cur modo similia non producit, cum tamen iuxta leges pathologicas agere, et vires sibi inditas constanter retinere conspiciatur? — Quomodo porro natura, ratione destituta, in homine animam intellectu et libera voluntate praeditam produxit? quomodo inter animam et corpus nexum admirabilem efformavit, quem tamen per mortem solutum, sicuti non in adultis, ita nec in infantibus ullo modo restituere potest? Propter inextricabiles istas difficultates sana ratio primorum hominum originem a natura repetere nequit, atque ideo Dei, sapientissimi, omnipotentis et benignissimi Numinis creationi adscribere tenetur. Idcirco ipsis quoque Philosophis narratio mosaica exoptata esse debet, quae, sicut a gentilium Philosophorum commentis, a Talmudistarum fabulis, a Gnosticorum somniis et a Manichaeorum erroribus longe remota est, ita etiam tam internis, quam externis credibilitatis characteribus insignitur (4).

Nota 1. Fidem de creatione **Adami** ex limo terrae, et de formatione **Evae** ex costa viri etiam apud Gentes, luce Revelationis destitutas, **quamvis cor-**

(1) L. 8 de Gen. ad litt. c. 1.
(2) In Comment. in Ep. ad Philem.
(3) Cap. 1 Firmiter.
(4) Cf. Dobmayr t. 5, § 138.

ruptam, tamen aliquo modo conservatam fuisse, varia monumenta commonstrant. Sic *Hesiodus* (1) cecinit, vim coeli effecisse, ut terra progigneret hominem. *Empedocles*, uti iam dictum est, membrorum humanorum originem a terra repetiit. *Germani* veteres celebrabant, teste *Tacito* (2), « Thuistonem Deum, terra editum, et filium Mannum, originem gentis, conditoresque. » Et (3) de *Semnonibus*, Sveviae populis, addit: « Per humum evolvuntur, eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis... in commune Herthum, id est, terram matrem colunt. » *Mahumedani* comminiscuntur, per annos 40 iacuisse corpus Adami, ex limo formatum, donec exsiccaretur, uti refert *Maraccius* (4). Apud Orientales, praesertim apud populos Asiae superiores, mythos de formatione foeminae, mosaícae historiae affines, pervulgatos et receptos fuisse, *Wegscheider* ipse fatetur (5). Eiusdem traditionis documenta apud *Sinenses* et *Indos* non pauca refert Cl. *Windischmann* (6). Etiam apud populos recenter detectos in *Nova-Zelandia* et in insulis *Tongi* servatam fuisse traditionem mulieris ex latere viri productae, testatur *M. Dumont d'Urville* (7).

Nota 2. Formationem Evae ex costa Adami multi recentiores exegetae praecipue inter Protestantes, in sensu litterali proprio intelligere recusant, et in illa nonnisi mythum agnoscunt, quo amor viri in uxorem desígnatur. Etiam inter Catholicos non defuerunt, qui verba Moysis (8) solum allegorice exponenda esse censuerunt. Sic *Card. Caietanus* (9) ait, quod per costam significetur vita inter virum et uxorem; quod per subtractionem costae denotetur diminutio roboris in viro propter uxorem; quod ex eo, quod costa fuerit una tantum, significetur debilitas foeminae; et quod ex eo, quod Deus replevit carnem pro costa, denotetur, praefatam diminutionem roboris viri ob uxorem compensari fructu prolis. Qui mere allegoricam expositionem amplectuntur, clamitare solent, ex sensu litterali proprio varia absurda sequi. Ast motae difficultates tales non sunt, ut non facile solvi possint.

Obj. I. Vel illa costa, ex qua dicitur Eva formata, erat necessaria Adamo, vel superflua: si necessaria, ergo, ea sublata, Adam mansit mutilus et mancus; si superflua, ergo ante subtractionem Adam erat monstrum: neutrum sine magna absurditate dici potest.

Resp. Costa illa fuit Adamo superflua, quatenus singularis homo erat; fuit autem ipsi necessaria, prout futurus erat caput et origo Evae omniumque deinceps hominum. « Costa illa, inquit *S. Thomas* (10), fuit de perfectione Adae, non prout erat individuum quoddam, sed prout erat principium speciei, sicut semen est de perfectione generantis, quod operatione naturali cum delectatione resolvitur. » Sicut ergo homo non est monstrum ex semine, nec mutilus ex eius subtractione, ita Adam non erat monstrum ex illa costa, nec factus est mutilus ex eius subtractione. Cum aliis Theologis responderi potest, quod Adam, etiamsi concedatur, praefatam costam ipsi necessariam fuisse, ex eius tamen subtractione mutilus non manserit, quia in eius loco alia statim fuit reposita; dicitur enim: *et replerit carnem pro ea;* per carnem

(1) In Theogonia v. 154.
(2) De moribus Germ. cap. 1
(3) Ibidem c. 40.
(4) In confut. Alcorani ad Suras 2. 8 et 76.
(5) § 98 (6) P. I. sect. 2
(7) Cf. Perrone P. 3, c. 1 de hom. creat., n. 234 in not. (8) Gen. 2, 21 etc.
(9) Comment. in h. l. (10) 1, q. 92, a. 3 ad 2.

autem intelligitur caro cum costa, seu costa carne vestita iuxta illud Adae: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*. Ceterum Cl. *Berti* (1) observat, « costam, quam Deus in mulierem aedificavit, non fuisse superfluam et redundantem, cum potius impares nunc inveniantur in homine a vertebris spinae pertingentes ad sternum, et inferius ad xiphoidem terminatae, quarum unam pro muliere formanda Deus ex Adamo subtraxit, atque ne mancus maneret *replevit carnem pro ea* » (2).

Obi. II. Costa Adami erat longe minor corpore Evae: ergo debuit fieri maior vel per rarefactionem, vel per additionem; hoc enim duplici modo tantum ex minori fit maius: atqui hic non potest admitti rarefactio; corpus enim Evae erat aeque solidum et densum ac corpus Adae; neque additio; alias enim ex illo maiori addito magis diceretur mulier formata, quam ex costa viri.

Resp. Huic quaestioni breviter respondet *S. Thomas* (3), dicens: « Costam Adae fuisse in corpus mulieris conversam additione materiae vel per creationem, vel (quod probabilius est) per conversionem. Unde *S. Augustinus* (4) dicit, quod hoc modo Christus ex quinque panibus satiavit quinque millia hominum, quomodo ex paucis granis producit multitudinem segetum, quod fit per conversionem alimenti. Dicitur tamen ex quinque panibus turbas pavisse, vel ex costa mulierem formasse, quia additio facta est ad materiam praeexistentem costae, vel panum. » Itaque non propterea negandum est, mulierem esse formatam de costa Adami, sicut non negatur multiplicatio panum; quia denominatio desumitur ex prima materia, non ex alterius additione. Fatendum autem est, nos nunquam perfecte operationes divinas comprehendere posse: ast ignorantia modi non tollit certitudinem facti. Ideo *S. Chrysostomus* (5) inquit: « Quomodo Deus ex illa una costa totum animal formavit? Quomodo Adam, cum auferretur illi costa, non sensit? – Unus tantum scit ille, qui condidit. »

Obi. III. Gen. II, 22 dicitur, Deus *Evam adduxisse ad Adam;* inepte vero id dictum fuisset, si Deus Evam ex costa Adami dormientis formasset; tunc enim debebat Adamo praesens esse.

Resp. Facilis est ad hanc obiectionem responsio. Potuit enim Deus ex costa Adami Evam formare, non prope ipsum Adamum, sed aliquanto procul, ut eam postea ad Adamum adduceret eique in sociam traderet. Vel etiam illud verbum: *adduxit*, nihil aliud significat, quam Deum Adamo iam a somno expergefacto Evam praesentasse eique in coniugem dedisse.

Obi. IV. Adam et Eva fuerunt simul creati, quia dicitur: *masculum et foeminam fecit eos* (6); ergo qui verba Moysis (7) litteraliter accipiunt, duplicem mulieris productionem admittere coguntur, unam, qua simul cum viro facta est, alteram, qua fuit de latere ipsius fabricata. Deus etiam statim ab initio dixit: *Crescite, et multiplicamini* etc., quod absonum fuisset, si mulier nondum extitisset.

Resp. Ad hanc difficultatem tollendam Cl. *Eugubinus* dixit, Evam cum Adamo creatam, et huic penitus coniunctam fuisse, ita ut quasi in uno corpore uterque sexus adesset, et ex hac ratione diceretur: *masculum et foeminam fecit eos*, postea vero Deum

(1) L. 12, c. 2, pr. 3.
(2) Cf. Calmet in hunc locum.
(3) 1, q. 92, a. 3 ad 1. (4) Tract. 24 in Io.
(5) Hom. 15 in Gen. (6) Gen. 1.
(7) Gen. 2, 21.

Evam a corpore dormientis Adami separasse, atque ideo eam dici ex costa, seu potius ex latere viri formatam, quia vox hebraea *Zelah* etiam pro latere saepe usurpatur. Ast haec simultanea Evae cum Adamo productio admitti nequit, quia dicitur: *Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius* (1), et legitur: *Adam enim primus formatus est, deinde Heva* (2). Neque opus est tali interpretatione, ut obiectio solvatur. S. Scriptura enim non dicit, masculum et foeminam *simul* esse creatos, sed cap. I utriusque formationem breviter refert, ut intelligeremus utriusque productionem pertinere ad opus sex dierum: capite autem secundo modum, quo Deus masculum et foeminam fecit, explicatius exponit; praeceptum autem: *crescite* etc. hic non repetit, quia ad declarandam primorum hominum formationem non refertur.

II. *De Adamo, et Eva omnium hominum protoparentibus.*

§ 191. Adamum et Evam primos homines fuisse, et ex ipsis omnes homines originem suam traxisse, nonnulli inficiati sunt. *Zabaei*, teste *R. Maimonide* (3), Adamum ab aliis hominibus generatum fuisse, et praeceptorem, nomine *Tambuscam*, habuisse fabulabantur. *Iulianus apostata* in Religionis christianae odium omnes homines ab eodem stipite ortos esse negavit. *Iordanus Brunus* asseruit, solos Hebraeos ab Adamo et Eva originem trahere, reliquos ab aliis hominibus, quos Deus ante condiderat. Eandem sententiam tenuit, et, edito libro, propugnare conatus est saeculo 17° *Isaacus Peyrerius* Gallus, e Calvinistarum secta. Hic ex ipsa S. Scriptura probare tentavit, iam ante Adamum et Evam homines extitisse. Contendit nimirum, Gen. I, 26 etc. narrari creationem primorum hominum, ex quibus Ethnici prodierunt; at Gen. II, 7 etc. exhiberi Adami et Evae, Hebraeorum protoparentum, formationem, a priori creatione longo annorum, imo et saeculorum intervallo distantem, atque ideo solos Hebraeos *Adamitas*, Gentiles vero *Praeadamitas* appellandos esse. Peyrerius tamen a multis solide confutatus, falsam suam opinionem una cum Calvinismo Romae coram summo Pontifice *Alexandro VII* eiuravit. Attamen non defuerunt, qui Peyrerii errores amplecterentur et defenderent. Increduli moderni ipsius commentum, licet paradoxum, libenter adoptant, tantummodo ut Moysis auctoritatem obscurare eiusque narrationem de ortu mundi quacunque demum via labefactare possint. Parum ab eodem errore abludunt ii, qui censent, non omnes homines ab eodem parente progenitos esse, sed contendunt in qualibet mundi plaga suos fuisse aborigines, qui specie distinguerentur, a quibus diversae hominum gentes prodierunt. Contra istos errores probandum est, universum genus humanum ab Adam et Eva omnium protoparentibus originem trahere. Haec propositio magni est momenti, et ad fidem spectat, quia necessario connexa est cum dogmate de propagatione peccati originalis, de quo inferius sermo instituetur.

1. Adamum et Evam primos homines fuisse, et caeterorum omnium protoparentes, apertissime tradit *S. Scriptura*, et Praeadamitas penitus excludit. Nam Gen. I narratur, *In principio*, videlicet in exordio temporis, quod cum entibus contingentibus incepit, Deum condidisse coelum et terram,

(1) Gen. 2, 20. (2) I Tim. 2, 13. (3) In Moré Nevochim.

et sex diebus cuncta rerum genera perfecisse, sexto autem produxisse Adamum ad imaginem et similitudinem suam. Quinam fuerunt ergo isti Praeadamitae, si nullus antea Deo auctore prodierat? in qua orbis plaga habitarunt, si ante opificium sex dierum neque coelum erat, neque terra, neque locus alius corporeus? Neque enim creatio Adam secundo capite repetita est productio hominis diversi ab eo, quem condidit die sexta, cum perfectis prioribus illis sex dierum generationibus Deus requieverit ab omni opere, videlicet, nullam novam molitus fuerit creaturam. Deinde ad sex dierum opera etiam Adamum hebraici populi atavum pertinuisse constat ex Ex. XX, 11: *Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram, et omnia, quae in eis sunt:* id vero Moyses ad Hebraeos dicere non potuisset, si primus eorum parens non sexta die, sed serius ex limo terrae formatus fuisset; tunc enim populus israëliticus in nullo sensu ad opificium sex dierum spectaret. Accedit quod Praeadamitae a S. Scriptura penitus excluduntur. Nam sacer Historicus Gen. II, explicatius formationem Adami, et Evae descripturus, v. 4, etc. breviter commemorat reliquarum creaturarum productionem, et v. 5 addit: *Et homo non erat, qui operaretur terram:* id autem falso omnino dixisset, si ante Adamum alii homines extitissent. Praeterea post Adami productionem Deus ipse dixit: *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi* (1); et additur: *Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius* (2). Hisce verbis Praeadamitae penitus excluduntur, et aperte declaratur, per hominem ad imaginem Dei conditum (3), non alium, quam Adamum ipsum intelligendum esse. Denique Eva appellatur *mater cunctorum viventium* (4), quo nomine insigniri non potuisset, si qui fuissent ex genere mortalium, qui Adamum et Evam aetate, aut aevo praecessissent. Eadem veritas confirmatur in libro Sap. X, 1, ubi de Adamo dicitur: *Primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus:* quo in loco triplici testimonio falsa adversariorum opinio profligatur. Tandem etiam Paulus propositionem nostram confirmat, de Deo dicens: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae* (5); Deus ergo non plures homines variis temporibus, aut variis in locis creavit, sed *ex uno* Adamo omnes homines per orbem terrarum propagari voluit.

2. Sicut cum Scripturis, ita etiam cum Patrum traditione Praeadamitarum systema pugnat. *Lactantius* (6) dicit: « Si ab uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certe consanguinei sumus, et ideo maximum scelus putandum est, odisse hominem vel nocentem. » — *S. Augustinus* (7) ait: « In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Iudaeorum. » Idem docent *S. Chrysostomus* (8), *S. Hieronymus* (9), *Theodoretus* (10). — Neque opus est, plura Patrum testimonia afferre, quae suae sententiae contraria esse ipse Peyrerius agnovit, dicens: « Fateor me non latuisse hypothesin, quae mihi venit in mentem de primis hominibus ante Adamum conditis, diversam penitus abiisse ab opinione Ss. Patrum, nec non aberravisse a toto orthodoxorum Conci-

(1) Gen. 2, 18. (2) Ibid. v. 20. (3) Gen. 1, 27. (4) Gen. 3, 20. (5) Act. 17, 26. (6) L. 6. Inst. c. 10.

(7) Tract. 9 in Io. (8) Hom. de charitate. (9) L. 16 in Isa. (10) L. 3 Therap.

liorum canone; totamque doctrinae fabricam de homine lapso et redemptofundatam fuisse a Patribus et Conciliis super hypothesi de Adamo, primo omnium hominum formato » (1). Afferri tamen hic merentur verba *S. Laurentii Iustiniani*, qui (2) dicit: « Propterea Deus voluit unicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, ut tanquam fratres omnes se amarent: non sic legitur factum esse in angelis, vel in brutis. »

3. Ratio theologica contra Praeadamitarum systema petitur ex peccato originali ex uno homine, id est Adamo, in omnes homines derivato, quemadmodum fides catholica nos docet. Hoc autem fundamentale Religionis nostrae dogma verum non esset, si aliqui in hoc mundo viverent homines ab Adamo originem non trahentes. Extitit equidem, qui putavit, dogma catholicum cum Praeadamitarum systemate consistere posse, quia nunc vere omnes homines peccatum originale contrahunt, cum post diluvium omnes homines a Noë descendant, qui originem suam ab Adamo traxit. Ast tali cavillatione non salvatur dogma catholicum, quod dicit, omnes homines, in quos mors regnavit, ergo etiam homines antediluvianos peccato originali subiectos fuisse. Praeterea Peyrerius diluvio negabat suos Praeadamitas extinctos fuisse, quia illud ad solos Adami posteros restrinxit, et ideo semper certum manet, ipsius systema dogmati catholico e diametro opponi.

4. Contra illos, qui Praeadamitas aut Coadamitas statuunt, et divinam S. Scripturae auctoritatem agnoscere recusant, Theologi philosophicis quoque, et historicis argumentis utuntur. Cl. *Dobmayr* (3) ait, communem omnium hominum originem ex uno patre et una matre rationi ipsi praeclare consentire. Ratio enim functione theoretica et practica agnoscit, communes protoparentes ad replendam successive terram sub providentia divina sufficere, et communi origine vinculum mutui amoris fortius ligari. *Dan. Huetius* (4) osteudit, antiquas anthropogonias, quas nobis sive Poëtae, sive Historici tradiderunt, prorsus collineare cum anthropogonia mosaica, quae ex Adamo et Eva omnium hominum originem deducit. Cl. *Berti* hoc idem confirmat ex gentium locorumque vocabulis, quia magna pars ubique terrarum hebraico nomine in geographicis libris invenitur descripta (5). — Addunt alii, etiam ex studio linguarum, quae, licet inter se differant, plures tamen radices, imo voces communes habent, recte inferri, communem omnes populos originem habuisse (6).

Nota. Quam infirma sint argumenta, quae ad probandam Praeadamitarum existentiam a Peyrerio et ab aliis prolata sunt, ex obiectionum solutione patebit.

Obi. I. Ex ipsa S. Scriptura, ait *Peyrerius*, constat, tempore Adami iam multos homines extitisse. Nam: *a*) indutus est Adam ex pellibus occisorum animalium, ut illius aevi homines consueverant, dabantur igitur iam tum coriarii, pelliones, alutarii. - *b*) *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola* (7). Cain agros colere non poterat, quin aratra, ligones, vomeres et alia instrumenta haberet, quae multos poscebant artifices. Abel autem cur custodiebat oves? certe propter fures, qui pater ipsius, aut mater, aut frater esse non poterant,

(1) V. eius Epist. ad Philotimum.
(2) Lib. de charit. c. 15.
(3) § 110.
(4) Dem. ev. Prop. 4.
(5) V. l. 12 c. 1.
(6) Cf. Perrone l. 1, c. 1, n. 251-256.
(7) Gen. 4, 2.

ergo ab aliis praeexistentibus hominibus: a rapacibus bestiis timere sibi magis debuisset quam gregi. *c*) Caedes Abelis patrata est in agro, qui opponitur aut pago circumsepto, aut oppido muris clauso, dicente Caino: *Egrediamur foras* (1). - *d)* Caede patrata dictum est illi: *Nonne si bene egeris recipies, sin autem male statim in foribus peccatum aderit* (2)? habito respectu ad consuetudinem Orientalium, apud quos iudices in portis civitatis pro tribunali sedere consueverant: significat ergo Deus Cain, si male ageret, tradendum ipsum iudicibus, qui poenas ab eo patrati sceleris reposcerent, qui profecto solus Adam esse nequit. *e)* Timuit Cain post peccatum, ne occideretur (3), sed certe non timuit a patre et matre, neque propter hos dici potest, ei a Deo signum positum esse. - *f)* Aedificavit Cain civitatem; unde intelligitur, non defuisse tunc opifices varii generis, neque cives, qui incolerent.

Resp. Facile est argumenta haec enervare, in quibus Peyrerius iocari magis, quam ratiocinari videtur. *a)* Gen. III, 21 legitur: *Fecit quoque Dominus Deus Adae, et uxori eius tunicas pelliceas, et induit eos.* Non itaque cogitandum est de coriariis etc. Consuetudinem hominum illo aevo tales vestes gerendi non probat Peyrerius, sed fingit. - *b)* Facile est largiendum, eo instrumentorum apparatu, quo agricolae nunc utuntur, instructum non fuisse Cainum, neque opus habuisse in tanta coeli solique felicitate: fere ut in Aegypto sine labore magno terra colitur, fructusque fert uberrimos: quaedam necessaria instrumenta primi homines vel propria ratione excogitare, vel a Deo, paterno modo eos instruente, addiscere poterant. Pastores non solum ad arcendos fures, sed praecipue ad oves in bona pascua dirigendas, et debito tempore reducendas destinantur, quod etiam pueri praestare solent. Feras bestias gregi non tam facile appropinquare, si viderint hominem, saltem baculo munitum, experientia testatur. - *c)* Ager non semper opponitur pago, aut oppido, sed frequenter etiam domui, aut tugurio, nam de hoc etiam deambulare volentes dicere solent: *Egrediamur foras.* - *d)* Verba Dei ad Cainum sic intelligenda sunt: *statim in foribus* tugurii tui, apud te *peccatum aderit*, peccati poena, remorsus conscientiae, qui quovis tortore saevius mentem male consciam macerat. Similis loquendi ratio non solum in Scripturis sensu exposito usitata est, ut e. g., loquens Christus de extremo iudicii die, dicit: *Scitote, quod in proximo sit in ostiis* (4), sed etiam in scriptoribus profanis. *Plutarchus* enim illud exhibet adagium: « Febris est in foribus; » quo spectat etiam illud Horatii: « Culpam poena premit comes. » *e)* Potuit Cain timere fratres, filios et nepotes suos, qui tunc coeperant multiplicari in terra. Occisio enim Abelis contigisse creditur anno mundi 129, quod non obscure indicat S. Scriptura, dicens, Abele occiso, Adam cognovisse uxorem suam, quae peperit ei Seth, loco Abel a Cain occisi (5). — At vero (6) constat, Seth genitum fuisse anno mundi 130; dicitur enim: *Vixit autem Adam centum triginta annis et genuit filium... vocavitque nomen eius Seth* (7). Ast hoc 129 annorum spatio potuerunt, et debuerunt homines ad multa millia multiplicari; nam spatio annorum 225, quo filii Israël manserunt in Aegypto, scimus, illos ad sexcenta et amplius animarum

(1) Gen. 4, 8. (2) Gen. 4, 7. (3) Gen. 4, 14 (4) Marc. 13, 29.

(5) Gen. 4 (6) Gen. 5. (7) Ib. v. 3.

millia excrevisse (1), cum nonnisi 70 animae essent, quando Iacob cum tota sua domo illuc ingressus est (2). Neque ideo minus Caino timendum erat, quia omnes isti homines ab eodem Adamo descendentes sanguine cum ipso coniuncti erant; recte enim observat *S. Ambrosius:* « potuisse (Cain) et parentes parricidas timere, qui docuerat, parricidium posse committi; potuerunt enim et parentes de filio discere, quod didicerant posteri de parente. » *f)* Iuxta doctissimorum chronologorum sententiam, civitas Henochia a Caino non ante quadringentesimum, imo probabilius non ante quingentesimum mundi annum aedificata fuit, quo tempore Adae posteri iam ita multiplicati fuerunt, ut tum opifices, tum cives pro dicta civitate suppeditare potuerint. Et certe illa civitas, in mundi infantia aedificata, talis fuit, ut nec magnis architectis, nec magna civium copia indigeret.

Obi. II. Praeadamitas extitisse, patet ex verbis Pauli: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae* (3). Per legem, ait Peyrerius, non potest intelligi lex mosaica, qnia Paulus dicit, peccatum imputatum non fuisse, cum lex non esset; sed ab Adam usque ad Moysen peccata et imputata et punita fuerunt, quod patet ex Caino, Lamech, diluvio, incendio Sodomae etc.: per *legem* ergo Paulus intelligit praeceptum datum Adamo, et clare asserit, iam ante hanc legem peccatum in mundo extitisse, ex quo sequitur, iam ante Adamum, cui vix creato lex data est (4), extitisse homines peccatores.

Resp. Quidquid dicat Peyrerius, certum tamen est, nomine legis in citatis Pauli verbis legem mosaicam intelligendam esse: id patet ex locis parallelis, in quibus per *legem* apertissime lex mosaica intelligitur, ut Rom. X, 5, Gal. III, v. 19 et v. 24, Matth. V, 17, ib. XXII, v. 36 et v. 40, Luc. XVI, 16, Io. I, 17, et VII, 19, Act. VII, 53. — Consentiunt ideo Ss. Patres et Theologi, etiam in loco controverso per *legem* Apostolum legem mosaicam designare. Neque huic sententiae opponuntur verba subsequentia: *Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset:* « Id enim, ait *S. Thomas* in hunc locum, dictum est quantum ad aliqua peccata actualia, quod non imputabantur ante legem, sicut illa, quae specialiter sunt per legem prohibita, sicut quod dicitur Ex. XX, 17: *Non concupisces*, etc.; imputabantur tamen quaedam peccata, prout erant contra legem naturae, unde Gen. XXXIX Ioseph legitur in carcere missus propter adulterium sibi impositum. Hinc etiam idem Apostolus in eadem Epistola VII, 7 dicit: peccatum non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces. » Alii tamen cum *Card. Toleto* aliter eundem locum exponunt: aiunt enim, Paulum, ut evincat, *omnes* homines mori, quia in Adamo *peccaverunt*, Rom. V, 12, in versiculo sequenti ita argumentari: *Usque ad legem*, nempe mosaicam, *peccatum erat* quidem *in mundo;* attamen peccatum *non imputabatur* ad certam poenam temporalem ob defectum legis positivae, sive sanctionis cuiusdam, cum *lex*, quae talem poenam decerneret, nondum hominibus fuisset data: nihilominus *mors*, quae est poena peccati, *regnavit* etiam *ab*

(1) Ex. 12, 37. (2) Gen. 46, 27.

(3) Rom. 5, 13 etc. (4) Gen. 2, 16 etc.

Adam usque ad Moysen vel in ipsos infantes, qui *in similitudinem praevaricationis Adae* nullo actuali peccato se inquinaverunt; ergo mors, quae in omnes homines dominata est per id temporis, non aliunde repeti potest, quam a peccato originali, quod omnes ab Adam progeniti contraxerunt. Nec obstat, Deum diluvio, coelestibus flammis aliisque gravissimis calamitatibus de hominum sceleribus poenas sumpsisse, tum quia, ut observat *Card. Toletus*, poenae illae, quibus Deus in aliquot animadvertit legis naturalis transgressores, fuerunt potius poenae mortis peccato originali debitae, ante tempus exactio, quam mors ipsa; tum quod poenae illae non fuerunt constantes, et universales, cuiusmodi mors est, quae proinde non ab actualibus peccatis, sed a peccato ex origine contracto repeti unice debet. His positis, sua sponte ruit moles illa, quam Peyrerius huic fundamento inaedificaverat.

Obi. III. Inter homines talis diversitas observatur, ut ab uno, eodemque stipite derivari non possint. Dantur enim in Europa homines albi, in Africa nigri, in America cuprei coloris. Aethiopes et alii Africae populi capillorum loco speciem lanae habent; in America viri imberbes reperiuntur; in nonnullis locis, ex. gr. in Patagonia conspiciuntur gigantes, in aliis regionibus, ex. gr. in Groënlandia fere omnes sunt pigmaei. Quis iam dicet, homines tam diversae conditionis ab iisdem protoparentibus descendere? Accedit, quod dentur etiam quaedam monstrorum genera, ut illa a *S. Augustino* (1) memorata, scilicet homines unum oculum in media fronte habentes, vel plantas versas post crura, vel quibus ora non sunt etc. Recte ergo viri eruditi nostro aevo varias hominum species distinguunt: et si specie a nobis differunt, origine quoque differre debent.

Resp. Allata hominum discrimina, quae accidentales tantum qualitates concernunt, talia non sunt, ut diversitatem originis praesupponant. Color enim niger praecipue calori solis, qui in illis regionibus est intensissimus, adscribi debet, quod iam *Plinius* (2) docuit. Praeterea idem color, sicut et cupreus, flavus etc. ex aëre quoque, aqua, alimentis, ex terrae exhalationibus, aliisque effluviis de auri, argenti, ferri sulphurisque fodinis repetendus est. Non ergo opus est, protoparentes nigri, aut cuprei coloris statuere, ut dictum phoenomenon declaretur: « Adeo verum est, ait eruditissimus Sacerdos Missionis in suo opere: Elementa Theologiae (3), atrum illum colorem hominibus non inhaerere ab ultima origine, ut nigri et atri non sint etiam nunc liberi, qui ex parentibus nigris nascuntur, et per dies aliquod alborem suum conservent. — Praeterea experientia comprobatum est, posteros hominum alborum in Nigritiam translatorum, colorem atrum sensim contrahere, licet eorum parentes sanguinem suum cum nigrorum sanguine non miscuerint. E contrario, si vir et foemina Nigritiae in regiones septentrionales commigrant, eorum posteri sic gradatim albescunt, ut ipsorum abnepotes colore non amplius ab indigenis differant. Enimvero in ipsa Europa color albus hominum eam terrae partem inhabitantium ita manifestam subit alterationem, quo magis ac magis a borealibus plagis disceditur, ut tanto minus albi sint Europaei, quod regiones magis australes incolunt. Itaque dubium esse non potest, quin

(1) L. 16 de Civ. Dei c. 8.
(2) L. 2 Hist. nat. c. 19.

(3) T. 2 de homine, c. 2, § 635.

suus nigris populis ater color adventitius sit. » — Cuius rei exemplum affert *Abbas de Manet*, qui 20 annis in Africa commoratus est; hic enim testatur, Lusitanos, qui a tribus circiter saeculis in Africam migrarunt, tandem et ipsos mutasse colorem, nec minus Aethiopibus nigros esse, quamvis tum ex traditione, tum ex idiomate, tum ex legibus, moribus ac religione certum sit, eos veros esse Lusitanos (1). Capillorum quoque diversitas mere accidentalis est, ex naturalibus causis orta; nam etiam in eiusdem regionis incolis, imo quandoque in eorundem parentum liberis magna capillorum diversitas observatur. — Americani, etsi rariorem, barbam tamen ut caeteri habent, dummodo eam alant. — Quod de gigantibus et pigmaeis obiectum est, facilem habet explanationem; non enim natura humana determinatae mensurae alligata est, et ubique locorum homines tum magni, tum parvi cernuntur, quamvis negari non possit, ipsum clima multasque alias causas naturales in magnam aut parvam hominis staturam influere posse. — Constat praeterea, non omnia vera esse, quae nonnulli itinerantes de gigantibus in Patagonia, de pigmaeis in Groënlandia etc. dictitarunt. Quae de hominibus unum oculum habentibus, acephalis, caudatis etc. dicta fuerunt, fabulosa esse, nunc eruditi omnes fatentur. *S. Augustinus* (2) concedit quidem, fuisse semper et adhuc esse monstra, negat tamen, credenda esse omnia, quae in hoc genere referuntur, et tandem ita concludit: « Aut illa, quae de quibusdam gentibus scripta sunt, omnino nulla sunt; aut si sunt, homines non sunt, aut ex Adam sunt, si homines sunt. » Verba S. Doctoris in Serm. 37 ad fratres in eremo perperam a nonnullis citantur; nam doctissimi critici iam ostenderunt, tum citatum, tum alios sermones ad fratres in eremo spurios esse, et S. Augustino prorsus indignos. Quidquid demum viri eruditi circa hominum distinctionem protulerunt, nunquam tamen tales differentias specificas assignare potuerunt, ex quibus probaretur, non posse omnes homines a communi stipite provenire.

Obi. IV. Non possunt omnes homines ab Adamo descendere, quia dantur varii populi, qui Adamum antiquitate sua longe praecedunt. — Sic *Chaldaei* ab origine gentis suae, teste *Diodoro Siculo*, 470 annorum millia numerabant. *Herodotus* ait, sacerdotes Aegyptios regnum hominum apud se extendisse per 10340 annos, ante quod tempus dii apud eos regnabant. Multo maiorem annorum seriem iactant *Babylonenses*, *Sinenses*, *Scythae* et *Americani*.

Resp. Facta historica solum ex monumentis genuinis et fide dignis probari possunt. Talia autem nominati populi proferre non possunt; nam quae apud ipsos habentur, ita fabulis, erroribus et contradictionibus scatent, ut statim appareat, ipsa nullam prorsus fidem mereri. Ideo, quae de istorum populorum antiquitate prolata fuerunt, risu et sibilis digna visa sunt non solum *S. Augustino* (3), *Lactantio* (4) aliisque veteribus Religionis nostrae scriptoribus, sed ipsis etiam gentilibus emunctioris naris Philosophis. Nam *Cicero* (5) de Chaldaeorum supputationibus dicit: « Condemnemus hos aut stultitiae, aut vanitatis, aut imprudentiae, qui 470

(1) V. Gazzaniga, Praelect. theol. T. 4, Diss. 3, Sect. 1, c. 1, a. 15.
(2) L. c.
(3) L. 18 de Civ. Dei c. 40.
(4) Lib. 7 instit. c. 14.
(5) L. 1 de divin. c. 1.

millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent. » Quod similiter de Aegyptiis, Sinensibus aliisque populis repeti potest. Ex ipso genuinorum monumentorum defectu hincinde factum est, ut populi veram originis suae epocham nescientes iusto maiorem sibi antiquitatem tribuerent, et hanc ex inani quadam ambitione etiam confictis quibusdam monumentis contra alios populos propugnare niterentur. Quis autem prudens ex fabulosis huiusmodi historiis, quae mendaciis undique scatent, velit in dubium revocare illam chronologiam, quam nobis exhibet Moyses, et quae aliis etiam certis antiquitatis monumentis accurate consonat? Ut enim observarunt eruditi, nulla inveniuntur certa monumenta, quae epocha diluvii posteriora non sint. Imo *S. Cyrillus Alex.* (1), omnia veteris historiae profanae monumenta magna eruditione percurrens, ostendit, nihil inveniri, quod Moyse posterius non sit. Et *Iaquelotius* ex hoc ipso capite, quod veterum memoriae sint omnes diluvio posteriores, invictum depromsit argumentum ad Religionis christianae veritatem demonstrandam (2).

Obj. V. Posteri Adami non potuerunt ad insulas dissitas et in Americam pervenire, cum ante inventam acum magneticam impossibilis plane esset per Oceanum navigatio. Hac de re veteres omnino persuasi fuerunt. Hinc plures Ecclesiae Patres falso sibi persuaserunt, Antipodes esse non posse, ut *S. Augustinus* (3). — Imo *Zacharias* R. P. (4) vocat « perversam et iniquam doctrinam illam, quae alium mundum aliosque homines sub terra esse asserebat. » — Cum autem iam certissime constet, tum in America, tum in insulis longe a terra continente remotis plurimos homines inveniri, manifesto inferendum est, homines dari ab Adamo neutiquam descendentes.

Resp. Tota haec difficultas solum modum concernit, quo Adae posteri in dissitas insulas et in Americam pervenerunt. Ignorantia autem modi non potest infringere certam veritatem, quae ex S. Scriptura constat, dicente: Deus *fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae*(5). Omnipotenti Deo facile fuit, variis modis homines in praedictas regiones transferre. Si divina providentia voluit, ut etiam illae regiones suas incolas haberent, mediis sibi cognitis eos illuc deduxit. Et quot et quanta sunt in hoc mundo constituta, quorum modum ignoramus, et quae tamen negare non possumus? Praeterea physice impossibile dici non potest, posteros Adami ad praefatas regiones pervenisse. Cum enim ars navigandi antiquissima sit, facile contingere potuit, ut navigantes praeter intentionem suam, Deo disponente et protegente, vi ventorum ad insulas sibi incognitas, aut etiam in Americam pervenerint, ex qua ob acus magneticae defectum reditus non patuit. Imo quoad Americam omnis difficultas modo facillime solvitur. Nam duo hemisphaeria ferme contigua esse, geographi detexerunt. — *Groënlandiam* et *Asiam* separat ab America angustum fretum, imo per *Kamtskatka* ambae fere iunguntur continenti. Europaei igitur et Asiatici facile ad Americam gradum facere potuerunt. Atque reapse ita factum esse inde patet, quod compertum sit, Americam eo magis populorum frequentia abundare, quo minus distat ab A-

(1) L. 1 c. Iulian.
(2) Cf. Calmet diss. in Chronol. Aegyptior.
(3) L. 16 de Civ. Dei c. 9.
(4) Epist. 10 ad Bonifacium. 5, Vol. 17, 26.

lis punctis; tum etiam ex eo, quod plures adhuc mores communes sint inter illos affines populos cum Europaeis et Asiaticis sive ethnicis, sive Iudaeis, sive Christianis; tum demum ex pluribus traditionibus et ritibus, quos apud Americanos observarunt, qui eos primum invenerunt, cuiusmodi, ex. gr., est memoria diluvii et unius familiae ex eo servatae, circumcisio apud Mexicanos, septima Sabbati dies, iubilaei quinquagesimo anno recurrente celebratio, aliaque non pauca, quae invictissime ostendunt communem istorum incolarum cum ceteris hominibus originem. Si veteres quidam Patres circa existentiam Antipodum aberrarunt, levis est hic naevus, ipsis cum multis profanis scriptoribus nobilissimis communis. Ceterum Ecclesia catholica circa quaestiones physicas in se et seorsum spectatas nihil definit, et solum illis sententiis se opponit, ex quibus corollaria, fidei contraria, deducuntur. Ex hac tantum ratione Zacharias R. P. se sententiae de Antipodum existentia opposuit: cum enim, iuxta opinionem illorum temporum, impossibile fuisset, ut posteri Adami ad illas regiones pervenissent, necessario inferebatur, homines dari ab Adamo non descendentes. Huic errori voluit Rom. Pontifex obviare, non autem definire, an Antipodes existant, an non. Ipsum hac de re nihil definivisse, apparet ex eo, quia rem ulteriori examini reservavit, uti ex citata epistola patet. Qui plura de Praeadamitis legere cupit, consulat *Natal. Alex.* (1), *Ant. Zachariam* (2), *Gazzaniga* (3), *Perrone* (4).

(1) Hist. vet. Test. aetate 1, Diss 3.

(2) In Dissert. prolegom. ad lib. 1. Petavii de opificio sex dierum.

(3) Praelect. theol. T 4. Diss. 3, Sect. 1, c. 1.

(4) De Deo Creatore P 3, c 1, Prop. 2, n. 240-n 291.

(5) Gen. 1, 28.

III. De hominum propagatione.

§ 192. Deum O. M. voluisse, ut homines propagarentur et per universam terram diffunderentur, ex ipsa S. Scriptura constat. Creatis enim masculo et foemina, mox *Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite, et multiplicamini, et replete terram* (5). Multitudo hominum orbem terrarum inhabitantium tum observati mandati divini, tum obtentae a Deo benedictionis testis est. — Si de modo quaeritur, quo homines propagantur, certum est apud omnes, corpus humanum a parentibus per copulam coniugalem produci. Ast si quaestio movetur, qua ratione anima oriatur et corpori uniatur, haud una est omnium sententia. Nonnulli enim putarunt, animas iam existere antequam corpora formarentur, illasque his uniri, dum prius iam vitam duxissent. Alii propugnant, sicut corpora, ita etiam animas a parentibus per naturalem generationem produci. Alii denique dicunt, animas immediate a Deo creari et corporibus in materno utero formatis uniri. Prima sententia vocari solet *Praeexistentianismus*, secunda *Traducianismus*, tertia *Creatianismus*. Ex dicendis iam apparebit, duas priores sententias reiiciendas esse, tertiam vero rectissime pro vera et certa haberi.

A. *De Praeexistentianismo.*

§ 193. Praeexistentianismus est error eorum, qui dicunt, omnes animas ab initio mundi fuisse creatas, et in poenam peccatorum, quae vitam sine corpore agentes commiserunt, fuisse in corpora tanquam in carceres detrusas. In hunc errorem multi prolapsi sunt, quia in ipsis infantibus malas inclinationes ac varias miserias observarunt, et earundem causas explicare non valuerunt. Ideo

iam *Plato* docuit, animas humanas, corporis expertes, in sidere quodam vitam egisse, et ob culpas commissas in corpora detrusas fuisse. Inter Iudaeos eandem sententiam propugnavit *Philo* cum secta *Essaeorum*. Inter Christianos hunc errorem amplexi sunt *Gnostici*, ut *Iulius Cassianus*, *Basilides*, *Bardesanes* et alii ac praecipue *Priscillianistae*. Inter Patres *Origenes* Platonis et Philonis sententiam adoptavit, quamvis eandem nonnisi haesitans proponere videatur (1). De eodem errore a Cl. *Clee* (2) etiam *Pierius*, *Pamphilus*, *Methodius*, *Marius Victorinus*, *Nemesius*, *Sinesius*, et *Evagrius* accusantur. Teste *Wiest* (3), habuit idem error non paucos *ex schola Wolfiana* defensores. Denique, ut refert Cl. *Staudenmayr* (4), *Kant* docet, naturalem hominis inclinationem ad malum non posse repeti nisi ex inordinata actione rationali et libera, quam anima iam ante hanc vitam terrestrem posuit; eandemque sententiam *Schelling* non solum adprobat ac, iuxta suae Philosophiae principia, demonstrare nititur, sed etiam animam ab aeterno existere asserit. Ast Praeexistentianismus penitus est reiiciendus, quia tum *S. Scripturae*, tum *Traditioni*, tum *rectae rationi* repugnat.

1. *S. Scriptura* non solum nullibi asserit, animas corpori praeexistere, sed plane contrarium docet. De primo enim homine expresse legitur (5), Deum prius formasse corpus hominis, et postea omnipotenti sua inspiratione, id est, immediata creatione animam produxisse. Praeterea, consummato opere sex dierum, productis quoque hominibus, masculo et foemina, *vidit Deus cuncta, quae fecerat: et erant valde bona* (6); ergo etiam homines tum quoad corpus, tum quoad animam, tunc valde boni erant, quod neutiquam verum esset, si animae peccatis antecedentis vitae inquinatae ad poenas luendas in corpore detrusae fuissent. Accedit, quod S. Scriptura corruptionem et miseriam hominis non a peccatis in antecedenti vita commissis, sed ex actuali primorum hominum praevaricatione repetat, ad quam non per malam animarum suarum indolem, sed per causam extrinsecam, scilicet per serpentis seductionem (7) adducti fuerunt. Et, iuxta doctrinam biblicam, ab eodem peccato omnium hominum corruptionem et miseriam repetendam esse inferius ostendetur. Imo S. Scriptura aperte negat, omnes animas, quae corpori uniuntur, peccato actuali inquinatas esse; nam Rom. V, 14 dicitur: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae;* dantur itaque homines, ex. gr. infantes, qui propter peccatum originale moriuntur, sed quorum animae a peccatis actualibus sunt penitus immunes. Idem confirmatur Rom. IX, 11, ubi de Iacobo et Esau dicitur: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali* etc. Itaque ante nativitatem eorundem animae neque peccarunt, neque bene egerunt; ergo nec exstiterunt, non enim otiosae fuissent.

2. Platonis et Philonis sententiam de praeexistentia animarum iam antiqui *Patres* impugnarunt, ut *Clemens Alex.* (8), *Tertullianus* (9), *Lactantius* (10).—Et praecipue postquam Origenes eundem errorem proposuerat,

(1) Cf. Staudenmayr l. 3, § 86, n. 4.
(2) De hom. § 7.
(3) § 451.
(4) L. c. n. 5.
(5) Gen. 2, 7.
(6) Gen. 1, 31.
(7) Gen. 3.
(8) L. 8 Strom.
(9) L. de anima c. 9, c. 15 et 25.
(10) Instit. l. 3, c. 18.

Ss. Patres huic strenue se opposuerunt. Iam *Petrus Alex.* illum condemnavit (1). *S. Gregorius Naz.* (2) dicit: « Timeo, ne quis stultam sententiam amplectatur, quasi anima prius iam quodam in loco vixerit, et postea in corpus tanquam in carcerem coniecta fuerit... haec sententia vesana est, et ecclesiasticae traditioni repugnat. » Eiusdem sententiae est *S. Gregorius Nyss.* (3). *S. Hieronymus* Apol. sui adv. Ruffinum (4), acri stilo hunc insectatur, eo quod defenderet Origenem docentem, quod « animae ante corpora fuerint et egerint aliquid, propter quod sint crassis corporibus alligatae, quasi in morem glirium torpentes, consopitaeque dormierint. » *S. Augustinus* (5) ait: « Neque enim sicut nonnulli secundum Platonicos opinantur, hoc uniuscuiusque infantis animae redditur, quod ante istam vitam sua voluntate commisit, cum haberet ante hoc corpus vel bene, vel male liberum vivendi arbitrium: cum Paulus Apostolus apertissime dicit, nondum natos nihil egisse boni vel mali » (6). *Theodoretus* (7) opinionibus Pythagorae, Platonis, Plotini etc. de animarum praeexistentia opponit Catholicorum sententiam, dicens: « Nos autem profitemur... quod anima ante corpus non existat. » *S. Cyrillus Alex.* eundem ethnicorum Philosophorum ac Origenis errorem solide refutat lib. 1 in Ioann. cap. 9. *S. Leo M.* (8) dicit, fidem catholicam constanter praedicare, quod « animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuerint. » Denique Concilium *CPtanum generale V*, capitula novem edidit, quibus Origenis errores speciatim proscripsit, inter quos etiam fabulosa eius de praeexistentia animarum sententia recensetur, et hanc adprobantibus anathema dicitur (9).

3. Praeexistentianismus etiam sanae rationi adversatur. Ille enim affirmat, animam iam ante unionem cum corpore vitam egisse, et in hac rationis et liberae voluntatis usu ita praeditam fuisse, ut actiones bonae et malae recte ipsi imputarentur. Sed si ita esset, anima, cuius essentia per unionem cum corpore non mutatur, vitae antreactae et actionum illic positarum meminisse deberet: certissimum autem est, nullam animam vitae praecedentis memoriam, seu conscientiam habere: quapropter haec vita praecedens a sana ratione admitti nequit. Accedit, quod iuxta erroneam adversariorum opinionem delictorum commissorum memoria, seu conscientia necessaria esset, ut homines sciant, quare puniantur, pro quibus culpis satisfacere debeant, et a quibus naevis purgandi sint. Talis autem cognitio intuitu praecedentis vitae a nemine habetur: quis ergo dicet, sapientissimum et iustissimum iudicem animas rationales sine requisita cognitione poenae et purgationi subiicere? Hic finis etiam saepissime non obtineretur, quod dicendum foret circa infantes, qui ante usum rationis morte abrepti neque debitam poenam luerent, neque purgari possent. — Denique ipsa ratio cognoscit, Deum, sapientissimum totius Universi, in quo mira gradatio observatur, auctorem, voluisse, ut homo mundi spiritualis et mundi materialis annulus, seu syn-

(1) L. 1 de anima (fragm. ap. Iustinian. ep. ad Mennam adv. Orig. error.

(2) Or. 37, c. 15.

(3) L. de opif. hom c. 28.

(4) L. 2, c. 2.

(5) De pecc. orig. c. Pelag. et Coelest. c. 31.

(6) Cf. l. de haeres. haer. 70, Serm. 165 de verbis Ap. Ephes. 3, n. 6-8.

(7) Haeret. fab. comp. l. 5, c. 9. de homine.

(8) Epist. 93, c. 10.

(9) V. Acta Conc. ed Harduin p. 283 etc.

thesis esset, ex quo recte infertur, corpus materiale esse partem hominis constitutivam, et non solum carcerem, in quem animae ob commissa delicta detruduntur. Ex his patet, eos qui praeexistentianismum defendunt non solum a doctrina Revelationis, sed etiam a sanae Philosophiae principiis deviare. Hoc idem dicendum est de *Kant* et *Schelling*, qui a culpa actuali, hanc vitam praecedente, corruptionem et miseriam hominis repetunt, atque ideo necessario statuunt, animam corpori praeextitisse. Absona praecipue est Schellingii sententia, qui ab aeterno dicit animam extitisse, quae tamen tempori subiecta est, cui continuo nova momenta accedunt: admittit ergo aeternitatem successivam, quae apertam contradictionem continet (1).

Nota 1. Praeexistentianismo affinis est error *Pythagorae*, *Aegyptiorum* et aliorum, qui metempsycosin, seu transmigrationem animarum defendunt. Etiam isti docent, animas ante corpora extitisse innumerabili multitudine; harum eas, quae peccatum aliquod commiserint, a corporibus in corpora pro diverso vitae genere impuriora, vel puriora detrudi; animas autem in corpore inclusas, degentes malam vitam, post corporis interitum in corpora brutorum detrudi, ut poenas luant, et quidem pro diversitate scelerum in diversorum animalium corpora: sic iracundorum et malitiosorum animas in serpentes, rapacium in lupos, audacium in leones, dolosorum in vulpes etc. ablegabant, usque dum satis purgatae ad pristinum statum reverterentur. Sententiam istam, quae ne uno quidem solido argumento probari potest, maxime absurdam esse, facile intelligitur. Iuxta ipsam enim anima, transmigrans in brutorum corpora, essentiales suas facultates, memoriam, intellectum et liberam voluntatem amitteret, atque ideo emendari nullo modo posset. Porro animalium corpora non per animas humanas vivificari, patet ex eo, quia iam ante hominem (2) creata sunt, et solus homo ad imaginem Dei factus dicitur. Denique argumenta contra Praeexistentianismum adducta etiam ad oppugnandam metempsycosin valent (3).

Nota 2. Origenistae et Priscillianistae, ut errorem suum defenderent, provocabant ad verba Salomonis de se dicentis: ***Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam: et cum essem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum*** (4); ergo, aiunt, pro conditione meritorum praecedentium corpora aut inquinata, aut munda animabus deputantur. Ast tantum abest, ut locus iste adversariis faveat, ut potius eorum systemati penitus opponatur. Iuxta hoc enim corpus nonnisi carcer est, in quem anima ob vitae praecedentis delicta detruditur: sed de anima Salomonis nullum delictum commemoratur, sed moralis bonitas praedicatur, et cum illa nihilominus corpori iuncta fuerit, aperte sequitur, falsum esse, quod adversarii dicunt, animas solum ob praecedentia delicta corporibus uniri. Sed neque ex adductis verbis inferri potest, Salomonis animam iam ante unionem cum corpore vitam bonam egisse: illorum enim sensus est, Salomonem adhuc puerum optimae indolis et temperiei fuisse, eiusque animam absque stabili vitio naturali extitisse; cumque esset magis bonus divinae gratiae auxilio, diu continentiam ac munditiem carnis servasse, atque eo pervenisse, ut in mortali cor-

(1) Cf. Staudenmayr l. c., n. 6. (2) Gen. 1.
(3) Cf. Wiest § 454, Berti l. 12, c. 6

(4) Sap. 8, 19 etc.

pore caste viveret, ex totis praecordiis Deum precatus, ne terrena inhabitatio deprimeret sensum multa cogitantem. Caeterum *S. Augustinus* (1) hunc locum egregie interpretatur de Christo, quem iam ante Incarnationem praeextitisse, et cuius corpus penitus *incoinquinatum* fuisse, fides docet: unde non immerito verba Salomonis accipiuntur de Filio Dei, cuius ille typum gessit.

B. *De Traducianismo*, seu *Generatianismo*.

§ 194. Si certum est, animam corpori non praeexistere, necessario infertur, illam cum corpore oriri. Si autem quaeritur, quomodo oriatur? Duplex pro responsione sententia proponi solet. Nonnulli enim putant, animam non minus, quam corpus a parentibus per generationem produci: horum sententia dicta est *Traducianismus*, sed, iuxta *D. Klee*, aptius *Generatianismus* nominatur. Alii vero contendunt, animam immediate a Deo ex nihilo creari et corpore uniri, vel dum hoc ad operationes vitales aptum est, uti veteribus placuit; vel in ipsa eiusdem conceptione, quod Recentioribus magis probatur: istorum sententia nomine *Creatianismi* insigniri solet. Sed etiam inter illos, qui Traducianismum adoptant, duplex sententia probe distinguenda est; nonnulli enim ipsi semini materiali sicut corporis, ita et animae productionem adscribunt; alii autem affirmant, spiritum a spiritu produci, atque ideo parentibus, qui ex anima et corpore constant, praeter semen materiale etiam semen spirituale attribuunt, ex quo anima originem ducat. - Sed multa sunt, quae tum illi crassiori, tum huic subtiliori Generatianismo opponi possunt.

1. Certum est, originem animae non posse ex semine materiali repeti. Anima enim, quae est spiritus, essentialiter distinguitur a corpore et a semine, quod est materiale. Essentiae autem rerum naturali modo transubstantiari nequeunt; quapropter sicut anima non potest fieri materialis, ita neque id, quod est materiale, potest fieri spirituale. Praeterea manifestum est, in materia facultatem cogitandi, intelligendi, iudicandi, ratiocinandi esse non posse; quomodo ergo ex materia ens intellectu praeditum produci poterit, cum nemo dare possit id, quod non habet? « Impossibile est, ait *S. Thomas* (2), virtutem activam, quae est in materia, extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum. Manifestum est autem, quod principium intellectivum in homine est principium transcendens materiam; habet enim operationem, in qua non communicat corpus: et ideo impossibile est, quod virtus, quae est in semine, sit productiva intellectivi principii. » Quicunque ergo semini materiali productionem animae adscribunt, hanc in ordinem rerum materialium detrudunt, et in putidum materialismum prolabuntur; nam ex materia solummodo ens materiale prodire, sicut ex ligno nonnisi vas ligneum confici potest. De isto errore non immerito *Tertullianus* accusatur, qui lib. de anima c. 19 generatianismum, et quidem crassiorem, apertissime propugnat: equidem ibid. c. 27 subtiliorem tradere videtur, quia duas species seminis distinguit; sed tamen ipsius verba pro crassiori potius quadrare videntur; ait enim: « Duas species confitebimur seminis, corporalem et animalem, indiscretas tamen vindicamus, contemporales eiusdemque momenti... unico igitur impetu utriusque, toto homine

(1) L. 10 de Gen. ad litt. c. 17 etc.

(2) I, q. 118, art. 2.

concusso, despumatur semen totius hominis, habens ex corporali substantia humorem, ex animali calorem: » ex quibus verbis patet, quod etiam semen animale, cui calorem attribuit, materiale esse reputet. Huic errori, ex quo sequeretur, ipsam animam materialem esse, quod, ut multi volunt, Tertullianus docuit, Ss. Patres strenue se opposuerunt. Ipse *S. Augustinus*, quamvis aliquandiu inter generatialismum (subtiliorem) et creatianismum titubaverit, crassam tamen Tertulliani sententiam penitus reprobavit; nam Epist. 190 ad Optat. c. 4 ait: « Illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri; quo perversius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum Creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur. » *S. Hieronymus* (1) scribit: « Ex quo satis ridendi sunt, qui putant, animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. » Aliorum Patrum sententiae inferius (§ seq.) citabuntur. Mirum ergo non est, quod *S. Thomas* (2) dicat: « Ponere animam intellectivam a generante causari nihil est aliud, quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo haereticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine. » In quae verba Cl. *Berti* (3) observat: « Cum angelicus Doctor assertum suum probet ex eo, quod virtus activa, quae est in corpore, extendi nequeat ad productionem immaterialis substantiae, manifestum est, damnare ut haereticam sententiam eorum, qui putant, animam propagari per semen corporale, quod et nos haereticum esse affirmamus. »

2. Etiam generatianismus subtilior, qui spiritum ex spiritu, seu animam ex semine spirituale repetit, admitti non potest. Nam anima ex anima emanare nequit: vel enim emanat ut pars ex toto, et sequitur absurdum, quod scilicet animae tanquam entia simplicia habeant partes; vel emanat ut simplex ex simplici, et redit quaestio, quomodo ens simplex aliud ens simplex in se continere possit, ut sit et maneat ens simplex; nam tali modo ens simplex non amplius esset ens simplex, sed fieret ens, quod constat duabus substantiis realiter distinctis, seu fieret compositum: quidquid ergo dicatur, manifesta sequitur contradictio. — Inepte Cl. *Klee*, generatianismi patronus, ut propositae difficultati occurrat, provocat ad doctrinam de Trinitate, in qua dicitur, ex essentia simplicissima generari secundam et procedere tertiam personam: inepta est talis provocatio, quia mysterium Trinitatis a ratione comprehendi non potest, quia Deus infinitus a creaturis finitis infinito modo distat, et quia generatim operationes divinas cum humanis confundere non licet. Dein in Doctrina de Trinitate non dicitur, ex simplicissima essentia tres substantias realiter distinctas produci; sed tres asseruntur personae, quae non sunt nisi relationes in una eademque substantia realiter subsistentes, et quae idcirco simplicitati non opponuntur, sicut non opponitur simplicitati animae, quod in ipsa memoria, intellectus et voluntas distinguantur, et ab ipsa cogitationes et volitiones procedant. Ast in generatianismo omnino asseritur, ex una sub-

(1) In Eccl. 12, 7. (2) L. c. (3) L. 12, c. 4.

stantia simplici aliam substantiam simplicem realiter distinctam produci, quod fieri non posset, nisi parentes vel eam ante generationem in se continerent, vel illam creandi ex nihilo vim haberent, quod utrumque manifeste repugnat. In maiorem autem errorem prolaberetur, qui diceret, filiis ipsas animas parentum communicari, seu animas filiorum non esse nisi modificationes animarum parentum: hoc enim statuto, filii verae personae et veri homines, ex anima et corpore constantes esse desinerent. Denique declarari nullo modo potest, an anima ex solo patre, vel ex sola matre, vel ex ambobus traducatur. Ipse Cl. *Klee* fatetur, nullum ex tribus modis admitti posse, quia in duobus prioribus perfecta hominis productio aut matri, aut patri deneganda esset, et in tertio anima per compositionem oriretur. Ex his patet, etiam generatialismum subtiliorem non posse admitti, et scholasticos rectissime unanimi fere consensu ab illo recessisse. De illo *Bellarminus* (1) dicit: « Sententiam de propagatione animorum exploratum errorem esse, nec tutum videri hoc tempore de singulorum creatione haesitare. » Sed *Estius*, *Card. Norisius*, *Berti* (2) praedictam sententiam equidem ut erroneam reiiciunt, sed tamen ut haereticam non damnant; quoniam hac de re satis manifesta Revelatio non habetur, etiam inter Patres nonnulli ancipites haeserunt, et solemnis Ecclesiae definitio non prodiit.

Nota. Qui generatianismum propugnant, varia argumenta pro sua sententia conglomerant. Sed ex horum confutatione adparebit, quod traducianismus neque ex S. Scriptura neque ex Traditione, neque ex ratione probari possit, et quod pleno iure reiiciatur.

Obi. I. S. Scriptura testatur, animas hominum fieri ex propagine, et de femore parentum egredi. Nam Gen. XII, 5 legimus, quod Abram profecturus de Haran tulit Sarai uxorem suam, *et animas, quas fecerant in Haran;* similiter Gen. XLVI, 26 habetur: *Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum et egressae sunt de femore illius* etc. Porro Lev. XVII, 11 dicitur: *Anima carnis in sanguine est*, atqui sanguis traducitur cum semine, ergo et anima. Denique Apostolus Hebr. VII, 9-10 demonstrat, sacerdotium Christi esse nobilius Levitico, quia illud praefiguratum est in Melchisedech, cui decimas omnium divisit Abraham, ideoque *per Abraham et Levi, qui decimas accepit, decimatus est; adhuc enim in lumbis Patris erat quando obviavit ei Melchisedech*. At Levi non erat in lumbis Abraham ratione solius carnis, sed etiam animae; alias Christus quoque decimatus fuisset, cum natus sit ex semine Abraham secundum carnem. Igitur universorum hominum, excepto Christo, tam caro, quam anima propagatur ex femore lumbisque parentum. Propter haec S. Scripturae testimonia etiam non pauci Patres generatianismo adhaeserunt.

Resp. Ex citatis locis generatianismus nullatenus probari potest. Nam in duobus prioribus locis ponitur per synecdochen pars pro toto, scilicet anima pro homine, quae figura est frequens in S. Scriptura: non tamen hoc sensu quod totus homo sic egrediatur de femore patris, ut quaelibet pars inde egrediatur, sed hoc sensu, quod virtus seminis ex femore patris egredientis disponat ad unionem animae et corporis, ex qua unione fit homo. Simili modo iam *S. Augusti-*

(1) L. 4 de amiss. grat. c. 11. (2) L. c.

nus (1) hanc difficultatem solvit, dicens, filios Abrahami et Iacobi appellari *animas* modo quodam locutionis, quo significatur per id, quod continetur, illud quod continet, sicut Virgilius (2) dicit: « vina coronant » cum coronentur vasa vinaria. Lev. XVII, 11 sermo est de brutis, horum enim sanguinis comestio v. 10 Israëlitis prohibetur, unde sensus est, animam vere vegetativam brutorum in sanguine esse: praeterea notandum est, in S. Scriptura saepe per *animam* intelligi vitam, quapropter si cum *S. Augustino* sub nomine *carnis* etiam homines intelligantur, sensus est, quod vita praecipue pendeat a sanguine, sine quo animal moritur. — Ad locum Hebr. VII 9 valde obscurum communiter Theologi cum S. Augustino (3) respondent, Christum non fuisse decimatum cum Levi in femore Abrahae, quoniam non venit in uterum matris per viri concubitum, sed a virgine conceptus est absque semine. Sed quia Christus carnem ex Maria sumens vere ex Patribus descendit (4), praefata responsio difficultatem solvere non videtur, quae alio modo tolli potest. Sensus enim verborum: *Levi adhuc in lumbis Patris erat*, alius non est quam: Levi illo tempore nondum natus, sed ex semine Abrahae quoad corpus nasciturus erat. Et quamvis hoc idem alio tamen modo, de Christo quoad corpus humanum dici potuerit, tamen ex hoc ipso Apostolus infert, Sacerdotium Christi praestantius esse Sacerdotio Levi, quia etsi Levi et Christus quoad corpus ex Abrahamo descenderent, tamen solus Levi in Abrahamo, cui in dignitate sacerdotali successit, decimas dedit, Christus vero in Melchisedech, per quem eius sacerdotium praefigurabatur, decimas accepit. Quid Ss. Patres senserint, § seq. n. 2 exponetur.

Obi. II. Homines a Deo regenerantur, sicut ab hominibus generantur: regenerantur autem (in baptismate) a Deo quoad animam, ergo etiam respectu animae a parentibus generantur. Ita *Klee* (5).

Resp. Id, quod nimium probat, nihil probat. Homines enim ex matre cum anima et corpore nascuntur, ergo, si, ut dicitur in propositione maiori, homines a Deo regenerantur sicut ab hominibus generantur, non solum quoad animam, sed etiam quoad corpus regenerari deberent, et hoc tamen in propositione minori negatur. Porro in obiectione vel est sermo de hominis nativitate quam tenor verborum indigitat, vel de hominis conceptione, quod scopus quaestionis exposceret. Si sermo est de hominis nativitate, omnes fatentur, hominem nasci cum corpore et cum anima, quam Deus creat, dum infans est in utero materno: si autem sermo est de hominis conceptione, magnum absurdum sequitur; nam in conceptione corpus, quod antea non erat, et iuxta *Klee* etiam anima, quae antea non extitit, a parentibus producitur: quod si idem fit in regeneratione per baptismum, sequitur, uti recte observat Cl. *Staudenmayr* (6), Deum in baptizatis novum corpus et novam animam, quae antea non extitisset, producere debere. — Alio sane modo analogia inter generationem corporalem et spiritualem est intelligenda. Sicut enim homo, qui nascitur, a maternis vinculis solutus, novam personalem vitam incipit, ita homo per

(1) In Epist. ad Optat. n. 19.
(2) Aeneid. c. 7.
(3) L. 10 de Gen. ad litt. c. 20.
(4) Rom. 9, 5.
(5) § 7 de propag. generis n. 3.
(6) § 87 n. 5.

baptismum, a vinculis peccati solutus et gratia sanctificante ornatus, novam vitam spiritualem inchoat, et ideo renatus, seu regeneratus rectissime dicitur.

Obi. III. Naturalissimum est omnium entium viventium generare sibi simile: ergo etiam homo generat sibi simile: at similitudo non consistit in sola materia, sed praecipue in specie, natura et forma: ergo etiam forma, quae est anima, ab homine generatur. In opposita sententia, ait *Klee*, parentes non essent auctores hominis, sed solum inanimatae carnis, relatio verae paternitatis et filiationis non daretur, mutuus inter parentes et filios amor, horum cum illis similitudo etiam circa qualitates animae, ac tandem propagatio peccati originalis explicari non possent: ergo necessario generatianismus est admittendus.

Resp. In hac obiectione, ait *D. Staudenmayr* (1), petitio principii continetur, quia supponitur, eadem ratione entia spiritualia et materialia produci, cum tamen contrarium constet de Angelis, qui, licet sint entia viventia, nihilominus non per generationem, sed per solam creationem producuntur. Ast etiam directe difficultas solvi potest. Etiam admisso creatianismo, recte dicitur, hominem sibi similem, seu hominem generare, non quod foecunditas seminis attingat productionem animae, sed quoniam inducens dispositionem materiei cui Deus ex instituta naturae lege inserit animam spiritualem, est efficiens causa unitionis partium, quibus constituitur rationale animal, homo: mater ergo, ex qua prodit infans ex anima et corpore constans, rectissime dicitur hominem generare. Ad id confirmandum quaeri potest ex Theologo catholico, an Virgo Maria sit Dei Mater, si neque divinam naturam, neque Verbi personam potuit alia ratione generare, quam subministrando materiam, cui substantialiter unitus est Filius Dei? — Si id negare non potest, etiam admittere debet, necessarium non esse ad veram generationem, quod foecunditas seminis cuiusque termini productionem attingat. Itaque relatio verae paternitatis et filiationis integra manet, quamvis anima a Deo creetur. Mutuus inter filios et parentes amor, etiam admisso creatianismo, facile explicatur: Deum enim ipsis naturae generantium amorem erga prolem indidisse, patet ex animalibus, quae maximum amorem erga prolem suam ostendunt, licet huic animam intellectivam non communiceut: tenera autem parentum sollicitudo etiam in filiis amorem excitat, et hic amor in baptizatis etiam per gratiam firmatur. Quod similitudinem filiorum cum parentibus circa qualitates animae attinet, experientia docet, non semper ingenium patris filiis communicari, neque filium philosophi, poëtae, pictoris etc. semper in eadem scientia, aut arte eminere: qualitates morales ab educatione et exemplis parentum plurimum dependere, quamvis negari non possit, varias passiones ex constitutione et temperamento corporis, cum quo anima intime unitur, repetendas esse. Denique ex creatianismo, quoad propagationem peccati originalis nihil absurdi sequi, inferius ostendetur, dum doctrina catholica de peccato originali pertractatur.

Obi. IV. Ex creatianismo, inquit *Klee*, sequitur, Incarnationem Verbi non fuisse assumptionem humanitatis, sed solum assumptionem corporis, quoniam Filius Dei animam a se creatam secum attulisset.

Resp. Etiam posito creatianismo,

(1) L. c.

certum est, Verbum tum corpus humanum, tum animam humanam suscepisse. Et si haec in ipso conceptionis momento a Deo creata fuit, rectissime tamen dicitur, Verbum integram humanitatem suscepisse, seu Filium Dei verum hominem factum esse, sicuti veri homines sunt, quorum corpora a parentibus producuntur, animae vero a Deo creantur, et corpori uniuntur.

Obi. V. Sententia eorum, qui dicunt, Deum quotidie novas animas creare, videtur contraria esse S. Scripturae, quae (1) dicit, Deum post opus sex dierum quievisse.

Resp. Cum Deus sit actus purissimus, et tempori non sit subiectus, quies in Deo non materialiter, seu humano modo est intelligenda. In citato ergo loco solum indicatur, Deum, completo opere sex dierum, a novis rerum generibus et speciebus creandis cessasse. Caeterum Deum continuo operari, ipse Christus testatur, dicens: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (2).

Obi. VI. Si animae rationales a Deo crearentur, Deus cooperaretur adulteris, ex quorum illicito coitu proles generatur: id vero sine maxima blasphemia dici non potest.

Resp. Ad hanc obiectionem breviter respondet *S. Thomas* (3), dicens: « quod in actione adulterorum illud, quod est naturae, bonum est, et huic cooperatur Deus; quod vero est inordinatae voluptatis, malum est, et huic Deus non cooperatur. »

C. De Creatianismo.

§ 195. Anima a Deo creatur et corpori unitur, vel dum hoc sufficienter dispositum est ad functiones vitales, vel, quod Recentioribus probabilius videtur, iam in ipso conceptionis momento. Haec sententia tum *S. Scripturae*, tum *Ss. Patrum traditioni*, tum *sanae rationi* maxime conformis est.

1. *S. Scriptura* pro creatianismo non obscura argumenta praebet. Deus non ex eadem materia primi hominis corpus et animam produxit, sed, formato corpore ex limo terrae, *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae* (4), ostendens, nonnisi per halitum divinum, seu per omnipotentem spiritus divini operationem animam spiritualem produci posse. Neque dubitari potest, etiam animam Evae a Deo ex nihilo creatam fuisse, quod ipse Adam cognovisse perhibetur, dum solius corporis formationem ex costa sua repetiit, dicens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (5). Quod si Deus primorum hominum corpora ex materia formavit, animas vero ex nihilo creavit, haud incongrue infertur, hoc idem etiam in eorundem posteris ita contingere, ut horum corpora Deus mediate per semen materiale producat, animas vero immediate ex nihilo creet. Id confirmatur per loca Scripturae, in quibus Deus, quamvis omnium rerum sit Auctor et Dominus, speciali tamen modo Auctor et Dominus spirituum, seu animarum dicitur. Sic, Num. XVI, 22, Moyses et Aaron exclamant: *Fortissime Deus spirituum universae carnis.* Ibid. XXVII, 16 dicitur: *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis.* Hebr. XII, 9: Parentes dicuntur *patres carnis.* Deus autem dicitur *Pater spirituum:* quod si animae a parentibus traducerentur, parentes essent pariter patres spirituum, et Deus non esset magis pater spirituum quam carnis. - Iob XXXIII, 4, inquit: *Spiritus Dei fecit me, et spi-*

(1) Gen. 2, 2. (2) Io. 5, 17.
(3) 1, q. 118, art 2 ad 4.

(4) Gen. 2, 7. (5) Gen. 2, 23.

raculum Omnipotentis vivificavit me. Ps. XXXII, 15 de Deo dicitur: *Qui finxit singillatim corda eorum:* nomine autem cordis solet S. Scriptura animas intelligere. Is. XLII, 5, Deus dicitur: *Dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam.* Zach. XII, 1: Praedicatur *Dominus extendens coelum, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo,* quibus verbis non obscure indigitatur, Deum spiritum hominis creare, sicut in principio creavit coelum et terram. Eccl. XII, 7 legitur: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum:* hic locus, admisso generatianismo, intelligi non posset, nam si spiritus esset ex semine, Deus non magis dedisset illum quam corpus, et corpus non esset magis ex terra quam spiritus: sensus ergo istorum verborum est: Deus *dedit*, i. e. immediate ex nihilo creavit spiritum, qui ideo dum homo moritur, immediate redit ad Deum. Denique II Mach. VII, 22, etc., mater Machabaeorum omnium quidem rerum Deum auctorem praedicat, sed in specie de anima ad suos filios dicit: *Neque enim ego spiritum et animam donavi vobis, et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator* etc; quibus verbis mater certe non negat, se carnem, et sanguinem filiis dedisse, sed spiritum et animam, qua membra vivificantur, immediate Deo Creatori adscribit (1).

2. Inter Patres multi dantur, qui creatianismum clare profitentur: *Clemens Alex.* (2) ait: « Anima, quae pars est hominis, non generatur per deiectionem seminis, sed intromittitur. » *Lactantius* (3 scribit: « Illud quoque in quaestionem venire potest, utrumne anima ex patre, aut potius ex matre, an vero ex utroque generetur. Sed ego id meo iure in ancipiti vindico. Nihil enim ex his tribus verum est, quia nec ex utroque, neque ex alterutro seruntur animae corporibus. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque, de animis anima non potest, quia ex re tenui et incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni, ac soli Deo subiacet... Nam de mortalibus non potest quidquam nisi mortale generari...Ex quo apparet non a parentibus dari animas, sed ab uno eodemque omnium Deo Patre, qui legem rationemque nascendi solus tenet, siquidem solus efficit. » *S. Hilarius* (4) inquit: « Omnis anima opus Dei est, carnis generatio semper ex carne fit. » *S. Hieronymus* satis clare sententiam suam proponit (5), dicens: « quotidie Deus operatur animas et in corpora mittit nascentium. » — *S. Ambrosius* (6) dicit: « Ex nullo homine generantur animae. » *S. Athanasius* eandem sententiam proponit (7). *S. Ephraemum, Theodoretum*(8) et *S. Cyrillum Alex.* (9) creatianismum propugnasse, testatur ipse Cl. *Klee* (10). Neque *S. Gregorius Naz.* dubius hac in re haeret, sed sententiam suam satis clare manifestat (11), dicens: « Pater mortalis non est auctor totius hominis, ut nonnulli volunt, sed solum carnis et sanguinis, quae res ambae corruptioni obnoxiae sunt: anima vero est flatus omnipotentis Dei, quae ab extra corpori unitur: Deus huius unionis auctor solus scit, quomo-

(1) Cf. Staudenmayr § 88, n. 1.
(2) L. 6. Strom. (3) De opific. Dei c. 19.
(4) L. 2, de Trin. c. 20.
(5) Apol. adv. Rufin. I, 3.
(6) L. de Arca, et Noe.
(7) L. 1, c. Apollin. c. 4.
(8) Graec. affect. curat. disp. 5.
(9) L. 1, adv. Nest. c. 4, et l. 1 in Io. c. 4.
(10) L. c. (11) Carm in laud. Virg v. 392 etc.

do primum animam inspiraverit et imaginem suam cum pulvere coniunxerit. » Generatim de Patribus graecis dubitari non potest, quod creatianismum defenderint, quia *S. Hieronymus* (1) solos Occidentales de traducianismo accusat. Videtur autem S. Doctor etiam hic, ut saepius alibi, per exaggerationem loqui, cum praefatam sententiam, maxime « parti Occidentalium » attribuit; quia etiam inter ipsos pauci citari possunt, qui generatianismum defenderint. Imo Patribus pro creatianismo iam allegatis etiam alii addi possunt. Sic *Prudentius*(2) dicit: « Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis transfundi in sobolem credatur fons animarum, sanguinis exemplo cui texta propagine vena est, non animas animae pariunt. » *S. Petrus Chrysologus* (3) ait: « Inanis est patris matrisque labor, nisi in germine affuerit opus et auctoritas conditoris, » et (4): « Nonne anima de coelo est, corpus e terra? » — *S. Prosper* de poenit. scribit: « Namque anima ex nullis, ut caetera gignitur. » *S. Leo M.* (5) haec habet: « Catholica fides constanter praedicat atque veraciter, quod animae hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui ipsarum est creator et corporum. » *S. Bernardus* (6) inquit: « Anima creando immittitur, immittendo creatur » (7). Fatendum equidem est, nonnullos Patres inter generatianismum et creatianismum dubios fluctuasse, ut *Origenes*, *Gregorius Nyss.*, *Augustinus*, et *Gregorius M.* Ast de *S. Augustino* constat, quod cum prius in generatianismum magis propensus fuerit, posterius tamen creatianismum propugnaverit: ideo (8) scribit: « Quis autem negat, non unius tantum sed omnis animae creatorem Deum et factorem, nisi qui eius eloquiis apertissime refragatur? — Sine ulla quippe ambiguitate per Prophetam dicit: *omnem flatum ego feci*(9); animas videlicet intelligi volens, quod verba consequentia manifestant. Non itaque unum, quem facto ex terra homini primo inspiravit, sed omnem flatum ipse fecit, ipse adhuc facit. »

3. Creatianismum etiam *rationi* maxime conformem esse, ostendit *Hugo Victorinus* (10) ita disserens: « Et haec quidem ratio prima est, quod spirituali non convenit, neque ex materia esse, quoniam essentialiter simplex est; sed neque materiam esse, quoniam in unitatis suae simplicitate individue semper consistens augeri, vel multiplicari omnino non potest. Simplex enim natura propagationem non facit; ubi ad illud, quod propagandum est ex eo, a quo propagandum est, pars sumi non potest, nisi totum transierit. Quod ergo unum est inter duo, si totum transierit, nihil ex eo remanet illi, a quo est: si autem totum permanet, nihil confertur illi, ad quod est. Si igitur anima ex anima gignitur sicut caro ex carne, dicant quomodo simplex illa substantia aut tota in gignente remaneat, si in genitum transierit, aut tota in genitum transeat, si in gignente remanserit. Nisi forte omnes animas consubstantiales dicere velint, et illam naturam simplicem in propagatione filiorum personaliter quidem multiplicari, sed essentialiter non dividi: non attendentes, quanta inconvenientia hanc assertionem sequantur, si una et eadem essentia simul beatitudini et da-

(1) Ep. 78 ad Marcellin. n. 2.
(2) Apotheos. adv. Ebion.
(3) Serm. 6. (4) Serm. 109.
(5) Ep. 93 ad Turribium c. 10.
(6) Serm. 1 de Natali.
(7) Cf. Serm. 81 in Cantic.
(8) Epist. 190 ad Optat. c. 5.
(9) Is. 57, 16. (10) L. 1, P. 7, c. 30.

mnationi, gloriae et poenae addicta credatur. » Ex his concludit, animam non alio modo oriri, nisi a Deo, ex nihilo eandem creante: ex qua sententia magna quoque dignitas animae humanae elucet. Neque putandum est, talem creationem nimis molestam fieri Deo, qui omnia uno et simplicissimo voluntatis suae nutu perficit.

ARTICULUS II.
De hominis natura.

§ 196. Homo definiri solet « Animal rationale. » Haec autem definitio nonnullis (1) displicet, quia in illa genus proximum desumitur a parte ignobiliori, per quam homo ad genus brutorum refertur; pars autem nobilior, scilicet anima rationalis ponitur tantum ut differentia specifica, quasi id, quod est praecipuum in homine, non esset nisi qualitas, seu attributum, per quod ipse a caeteris animalibus distinguatur. Convenientius homo definitur « Spiritus corpori organico personaliter unitus. » Ex utraque definitione patet, duas esse partes essentiales, quae hominem constituunt, nimirum corpus organicum et animam rationalem, spiritualem, liberam et immortalem, quae duae partes unitae unam personam humanam efformant. De hac hominis natura equidem iam in Philosophia disseritur: sed quia plures veritates, quae naturam hominis determinant, pro ipsa Religione summi momenti sunt, ad fidei dogmata pertinent et ab incredulis, vel ab haereticis acerrime impugnantur. Idcirco omnino opus est, ut etiam in Theologia dogmatica de natura hominis tractatus suscipiatur. Et sane praefatae veritates per divinam Revelationem illustrantur, confirmantur, et contra adversarios vindicantur. Dicenda ergo hic aliqua sunt: 1° *de corporis humani praestantia;* praecipue vero disserendum erit 2° *de animae humanae simplicitate:* 3° *libertate*, et 4° *immortalitate*.

I. *De corporis humani praestantia.*

§ 197. Corpus, ex materia compactum, partem hominis ignobiliorem constituit, per quam caeteris animalibus assimilatur. Sed etiam respectu corporis homo reliqua animalia longe antecellit, multa enim sunt, quae corporis humani dignitatem, et praestantiam ostendunt.

1. Sicuti reliquae creaturae visibiles, ita etiam corpora animalium, ratione carentium, a Deo unico prolato verbo condita sunt; nam *ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (2). Deus autem hominem e limo terrae formaturus, quasi deliberans, et secum consilium iniens, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae* (3), etc. Iam ex his verbis Ss. Patres dignitatem et praestantiam hominis supra omnia reliqua animalia rectissime intulerunt. Sic S. *Chrysostomus* (4) ait: « Prius quidem, quum Deus coelum, terramque fundasset, audivimus illum dicentem: *Fiat lux - fiat firmamentum* etc. Vidisti sermone solo et praecepto omnem creaturam quinque diebus formari; vide hodie, quanta verborum diversitas! Non enim iam dicit: fiat homo! sed quid? *Faciamus*, ait, *hominem ad imaginem, et similitudinem nostram:* quid hoc novi? quid rari? Quisnam est ille formandus, ad quem faciendum opifici tanto consilio et circumspectione opus est? - Ne mireris, di-

(1) V. Klee Sect. 3 de hom. (2) Ps. 148. (3) Gen 1, 26. (4) Hom. 8 in Gen.

lecte. Homo enim inter visibilia omnia dignitate praecellit, propter quem condita sunt haec omnia, coelum, terra, mare, sol, luna, stellae, reptilia, iumenta brutaque animalia omnia. » Singularis quoque est modus, quo Deus primi hominis corpus produxisse perhibetur. Legitur enim: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae* (1), quibus verbis Deus artifici comparatur, qui mentem, oculos manusque impendit ad opus magni momenti concinne elaborandum. Hanc divinam bonitatem admiratus Psalmista exclamat: *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me* (2); in quae verba *S. Ambrosius* (3) dicit: « Bestias non fecerunt manus tuae, Domine! sed dixisti, et produxit terra quadrupedia: me autem fecisti, manus tuae paraverunt me: non mediocre opus est, quod paratum est. » Eandem primi hominis formationem considerans, *Tertullianus* (4) dicit: « Recogito totum illic Deum occupatum, ac deditum manu, sensu, opere, consilio et affectione, quae lineamenta ductabat. »

2. Si corpus humanum attente consideramus, sapientissimam eius structuram nunquam satis admirari possumus, ipsumque multo nobilius et praestantius animalium corporibus esse cognoscimus. Et sane, in nullo animali talis venustas faciei sicuti in homine resplendet; solius hominis lingua ita comparata est, ut diversissimos articulatos sonos edere possit. Quid dicam, de manibus, non solum ad inserviendum corpori maxime idoneis, sed etiam ad cuiuslibet generis labores perficiendos, imo et ad eximia artefacta producenda aptissimis? Homo quidem duobus tantum pedibus praeditus est, qui autem tum ad corpus sustinendum, tum ad incedendum sufficientissimi, et ita constructi sunt, ut homo multo facilius quam pleraque alia animalia pro libitu et stare, et ambulare, et sedere, et iacere, et genuflectere possit. Qui internas corporis humani partes considerant, in admirationem merito abripiuntur, dum structuram organorum sensuum, systema nervorum, coniunctionem arteriarum, agilitatem musculorum attente inspicientes, ubique maximam concinnitatem et scopo-congruentiam observant. — Negari quidem non potest, etiam bestiarum corpora sapienter condita, et nonnullis praecipuis qualitatibus insignita esse, quibus corpora humana non gaudent. Sed, ait *S. Ambrosius* (5), quamvis firmitudo, proceritas, agilitas, vis maior sit in quibusdam bestiis, quam in homine: « Forma tamen humani corporis est venustior, status erectus et celsus, ut neque enormis proceritas sit, neque vilis et abiecta pauxillitas: tum ipsa habitudo corporis suavis et grata, ut neque belluina vastitas horrori sit, neque gracilitas tenuis infirmitati. » Sed tota S. Doctoris tractactio legi meretur, ut nostri corporis praestantiam, cognoscamus ac de ea debitas Deo creatori gratias agamus.

3. Singulare hominis privilegium est, quod erecto corpore incedat. Exinde quoque dignitas et praestantia corporis humani recte infertur. *S. Augustinus* l. de Gen. (6) cum ostendisset, imaginem, ad quam factus homo dicitur, non in exteriori homine, sed in interiori proprie consistere, addit, posse tamen aliquo modo etiam corpus humanum ad imaginem Dei factum videri, « quod indicet, nos meliores esse quam bestias, et propterea

(1) Gen. 2, 7. (2) Ps. 118, 73.
(3) Serm. 10. (4) De resur. carn. c. 6.
(5) L. 6 Hexaem. c. 9.
(6) Cont. M. ..h. c. 17.

Deosimiles. Omnium enim animalium corpora sive quae in aquis, sive quae in terra vivunt, sive quae in aëre volitant, inclinata sunt ad terram, et non sunt erecta sicut hominis corpus. — Ita intelligitur, per animum maxime, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem et similitudinem Dei. Idem l. 83 qq. (1) scribit: Corpus hominis, quia solum inter animalium terrenorum corpora non pronum in alvum prostratum est, cum sit visibile et ad intuendum coelum erectum, quod est principium visibilium, quamquam non sua, sed animae praesentia vivere cognoscatur, tamen non modo, quia est et in quantum est, utique bonum est, sed etiam quia tale est, ut ad contemplandum coelum sit aptius, magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei, quam caetera corpora animalium factum iure videri potest. » Inter Gentiles quoque nonnulli intellexerunt, hominem per erectam corporis sui staturam altius extolli et ad coelestia contemplanda excitari: sic *Ovidius* (2) canit: « Pronaque cum spectent animalia caetera terram, os homini sublime dedit, coelumque tueri iussit et erectos ad sidera tollere vultus. » *S. Thomas* praeter istam rationem alias quoque assignat, ut ostendat, ex erecta hominis statura summam Creatoris sapientiam et bonitatem relucere; ait enim (3): « Habere staturam rectam conveniens fuit homini propter quatuor: *Primo* quidem, quia sensus sunt dati homini non solum ad vitae necessaria procuranda sicut aliis animalibus, sed etiam ad cognoscendum. Unde cum caetera animalia non delectentur in sensibilibus nisi per ordinem ad cibos et venerea, solus homo delectatur in ipsa pulcritudine sensibilium secundum seipsam, et ideo, quia sensus praecipue vigent in facie, alia animalia habent faciem pronam ad terram quasi ad cibum quaerendum et providendum sibi de victu: homo vero habet faciem erectam, ut per sensus et praecipue per visum, qui est subtilior et plures differentias rerum ostendit, libere possit ex omni parte sensibilia cognoscere et coelestia et terrena, ut ex omnibus intelligibilem colligat veritatem. *Secundo*, ut interiores vires liberius suas operationes habeant, dum cerebrum, in quo quodammodo perficiuntur, non est depressum, sed super omnes partes corporis elevatum. *Tertio*, quia oporteret, quod si homo haberet pronam staturam, uteretur manibus loco anteriorum pedum; et sic utilitas manuum ad diversa opera perficienda cessaret. *Quarto*, quia si haberet pronam staturam, et uteretur manibus loco anteriorum pedum, oporteret, quod cibum caperet ore: et ita haberet os oblongum, et labia dura et grossa, et linguam etiam duram ae ab exterioribus laederetur, sicut patet in aliis animalibus: et talis dispositio omnino impediret locutionem, quae est proprium opus rationis . . . Ergo homo, staturam rectam habens, optime est dispositus. »

II. *De animae humanae simplicitate, seu spiritualitate.*

§ 108. Partem hominis nobiliorem constituit anima, quae est substantia a corpore distincta, immaterialis, simplex, rationalis, spiritualis. Respectu animae homo pertinet ad mundum spiritualem, et non solum Angelis (4), sed etiam ipsi Deo assimilatur. Eximiam hanc hominis dignitatem non pauci negare sunt ausi. Inter gentiles Philosophos *Empedocles* docuit,

(1) Quaest. 51. (2) Metam. l. 1 p. 5.

(3) 1, q. 91 art. 3 ad 3. (4) Ps. 8, 6

animam in sanguine consistere; *Zeno*, *Democritus*, *Leucippus* et *Parmenides* eam ignem esse dixerunt; *Epicurus* eandem ex quatuor elementis composuit; alii animam vel cum *Diogene* aërem, vel cum *Anaxagora* aetherem esse asseruerunt. Etiam recentioribus temporibus plures extiterunt, qui animam a corpore indistinctam esse et in materia consistere docuerunt, dicti propterea *Materialistae*, quales sunt *Tolandus*, *Hobbesius*, *Voltaire*, *Helvetius* et alii. Eundem errorem tenuit *Ben. Spinoza*, qui (1) dicit: « Corpus et anima unum idem individuum est, quod iam sub cogitationis, iam sub extentionis attributo concipitur (2). » Eundem errorem etiam a novissimis pantheistis tradi, patet ex eorum systemate, quo omnia ex una eademque natura repetunt. Contra istos aberrantes propugnanda est doctrina catholica, quae dicit, animam humanam, quamvis corpori unitam, tamen a substantia corporis penitus distinctam, immaterialem, simplicem et verum spiritum esse. Dogma hoc catholicum *ex S. Scriptura*, *ex Traditione*, et *ex ratione* probatur.

1. *S. Scriptura* creationem hominis enarrans, formationem corporis et inspirationem animae distinguit. Nam illud primo Deus formavit et finxit, tum *inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* (3). Neque haec verba de sola vi vitali, quam homo cum animalibus communem habet, intelligi possunt, sed de productione animae rationalis et spiritualis necessario exponuntur. Deus enim dicitur creasse *hominem ad imaginem suam* (4): cum autem in corpore mere materiali imago divina consistere non possit, necessario admittendum est, Deum in homine aliud quid immateriale et spirituale produxisse, quod naturae divinae imaginem praeseferat. Praeterea nemo est, qui non intelligat, divinum illum halitum, quo infusa est in corpus anima rationalis, tropicam figuratamque esse locutionem, ab ipso homine desumptam, cuius manus materiam sumentes, materialia operantur, halitu vero ex imo pectore veniens invisibi lis est: ita ergo Deus quasi per manu limum terrae sumens corpus materiale formavit, animam vero per halitum, idest, per omnipotentem suam virtutem ita ex nihilo produxit, u naturae suae invisibili et spiritual similis fieret. Dein ubi primum con ditus est homo, affatur eum Deus, a deinceps eum solum colloquio digna tur, imo et reliqua animalia eius do minationi et principatui subiicit. Si iam ex Genesi apparet, inesse homin divinum aliquid, quod deest in bestiis quas e materiae compositione Deu iussit existere: illud autem non es nisi anima rationalis, per quam hom cunctis animalibus praecellit. Ho idem probant Dei verba vel minanti homini, se ab eo spiritum suum abla turum esse ob eam causam, quia s homo in carnem totum immersit ita ut caro evaserit, vel homini expro brantis, quod se per corruptioner moralem iumentis intelligentia carei tibus exaequaverit, quin et infra coı ditionem istorum depresserit: si Gen. VI, 3: *Dixitque Deus: non per manebit spiritus meus in homine i aeternum, quia caro est* (5); et P: XLVIII, 13: *Homo cum in honoı esset, non intellexit: comparatus e. iumentis insipientibus, et similis fa ctus est illis* (6). Ex his minationibı et obiurgationibus quis non intelligi

(1) In Elem. discipl. Metaphys.
(2) V. Wiest T. 4, § 454. et § 457.

(3) Gen. 2, 7.
(4) Gen. 1, 27.
(5) Cf. v. 12.
(6) Cf. Is. 1, 7

quantum anima hominis bestiarum animae, quaecunque sit, antecellat, et quam nihil cum carne illi conveniat? Animae substantiam a corporis substantia penitus distingui, patet ex Eccl. XII, 7: *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum:* quibus in verbis probe observandum est, animam hominis non solum spiritum appellari, verum etiam opponi corpori aut materiae (1). — In N. T. Christus apertissime animam a corpore distinguit, dicens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam* (2). S. Paulus ait: *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, quae Dei sunt, nemo cognovit nisi spiritus Dei* (3). Apostolus hic per spiritum hominis significat rem subsistentem, sive naturam a corpore distinctam; nam in Graeco tam *spiritus Dei*, quam *spiritus hominis* cum articulo reperitur (τὸ πνεῦμα): sed spiritus Dei est res subsistens, ergo et spiritus hominis, seu etiam in homine est subsistens rationalis, et immaterialis natura, quam animam appellamus. Eandem veritatem confirmat S. Petrus scribens: *Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione* (4); i. e. quamdiu sum in hoc mortali corpore, in quo quasi momentaneo diversorio peregrina, et hospes tantisper degit anima, donec ad patriam coelestem proficiscatur. In Ss. Litteris ergo satis clare docetur, animam esse a corpore distinctam, utpote simplicem et spiritualem.

2. *Traditio* argumentum biblicum de animae spiritualitate confirmat. *S. Iustinus M.* (5) dicit: « Corpus haud semper cum anima coniunctum manet, sed soluta hac harmonia, anima a corpore separatur, et homo vivere cessat. » *Auctor Ep. ad Diognet.* cap. 6, scribit: « Anima habitat quidem in corpore, sed non est de corpore . . . Anima invisibilis est in visibili corpore . . . Anima est in corpore inclusa, sed ipsa hoc conservat etc. » *S. Irenaeus* (6) inquit: « Aliud est afflatus vitae, qui et animalem efficit hominem, et aliud spiritus vivificans, qui et spiritualem efficit eum, » et (7) loquens de spiritu vivificante, et de carne in homine, ait: « Inter haec duo est anima, quae aliquando quidem subsequens spiritum elevatur ab eo, aliquando autem consentiens carni decidit in terrenas concupiscentias. » *Tertullianus* (8) de hac ita disserit: Singularis et simplex, et de suo tota est non magis exstructilis aliunde, quam divisibilis ex se, quia nec dissolubilis; si enim structilis, et dissolubilis; si dissolubilis iam, non immortalis. » *Origenes* (9) dicit: « Rationalem animam praestantiorem esse omni creatura corporea, ut substantiam invisibilem et incorpoream, quae portat imaginem coelestis. » *Arnobius* (10) inquit: « Quid enim sunt homines nisi animae corporibus alligatae? » — *S. Athanasius* (11) ostendit, « hominem constare ex anima rationali et ex corpore. » *S. Basilius* (12) in verba Dei bruta creantis: *Producat terra animam viventem* (13), etc. haec scripta esse dicit, « ut discrimen inter animam bruti, et animam hominis agnoscere discas...

(1) Cf. Sap. 15, 11, Dan. 3, 86.
(2) Matth. 10, 28. (3) 1 Cor. 2, 11.
(4) 2 Ep. 1, 13. (5) Dial. c. Tryph. c. 6.
(6) L. 5 adv. haer. c. 12 n. 2.
(7) Ibid. c. 9, n. 1. (8) L. de anima c. 14.
(9) Contra Celsum l. 7 in fin.
(10) L. 2 adv. Gent. c. 23.
(11) Orat. adv. Gent. n. 32 et 33.
(12) Hom. 8 in Hexaem. (13) Gen. 1, 24.

Procul sis ergo a commentis arrogantium philosophorum, qui animas suas animabus canum aequiparare non erubescunt. » *S. Gregorius Naz.* (1) dicit, hominem ex duobus sibi oppositis, ex invisibili et visibili natura componi. *Nemesius* (2) scribit: « Anima corporis expers, neque loco circumscripta est... Quare cum in corpore esse dicitur, non sic, ut in loco, esse in corpore dicitur, sed tanquam habitudine quadam ad totum corpus pertinente. » *S. Chrysostomus* (3) dicit, corpus ab anima separatum maxime deforme fieri: « Quod antea, cum ab anima regeretur, clarum, amabile, iucundum et speciosum erat. Haec utique omnia nobis cogitanda sunt, et maxime animae nobilitas, quanta sit, ne quid ea indignum operemur, ne sub carnis servitutem eam subiugemus. » *S. Hilarius* (4) ait: « Primum meminisse debet, hominum institutionem naturis duabus contineri, animae scilicet et corporis, quarum alia spiritalis, alia terrena est. » *S. Ambrosius* l. de Isaac, et anima (5) scribit: « Quid est itaque homo? Utrum anima, an caro, an utriusque copula? — De alterutro ergo legitur, quia homo dicitur, et de anima et de carne. Ibid. (6) dicit: Nos animae sumus; nostra autem membra vestimenta sunt. » *S. Hieronymus* (7) inquit: « Ex anima et corpore compacti utriusque substantiae naturam consequimur. Quomodo corpus sanum dicitur, si nullo languore vexetur, ita anima absque vitio, si nulla perturbatione quatiatur. » *S. Augustinus* Serm. 150 de verbis Apost. (8) ait: « Nihil est in homine, quod ad eius substantiam pertineat et naturam, praeter corpus, et animam. » L. 12 de Gen. ad litt. (9): « Animam non esse corpoream, non me putare, sed plane scire audeo profiteri: » et Enarr. in Ps. CXLV de anima dicit: « Res spiritualis est, res incorporea est, vicina substantiae Dei. » *S. Gregorius M.* (10) scribit: « Tres vitales spiritus creavit omnipotens Deus, unum, qui carne non tegitur, alium, qui carne tegitur, sed cum carne non moritur; tertium, qui carne tegitur, et cum carne moritur. Spiritus namque, qui carne non tegitur, Angelorum; spiritus, qui carne tegitur, sed cum carne non moritur, hominum; spiritus, qui carne tegitur et cum carne moritur, iumentorum omniumque brutorum animalium. Homo itaque sicut in medio creatus est. » Denique animam a corpore distinctam, simplicem et verum spiritum esse, patet ex Concilio *Lateranensi IV*, in quo decretum fuit, *Deum ex nihilo utramque condidisse creaturam, spiritualem, et corporalem, angelicam scilicet et mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex corpore et spiritu constantem.*

3. Animam immaterialem et verum spiritum esse, *ratio* ex eo invicte probat, quia in ipsa vera iudicia et ratiocinia inveniuntur. Iudicium enim est perceptio et conscientia relationis, quae inter duas aut plures ideas intercedit; ratiocinium vero est perceptio et conscientia relationis plurium indiciorum: conferri autem nequeunt, nisi quae eodem tempore percipiuntur; ergo nec iudicium ullum esse in nobis potest, nisi ideae, quae conferuntur, eidem tempori, quo iudicium, aut ratiocinium fit, coëxistant. Atqui talis simultanea unio et collatio in materia, quae utpote extensa ex partibus constat, impossibilis est. Vel

(1) Or. 38 n. 11. (2) L. de natura hom. c. 1
(3) Hom. 12 in Gen. (4) In Ps. 129, n. 4
(5) C. 2, n. 3. (6) C. 8, n. 79.
(7) L. adv. Pelag. Dial. 3
(8) Act. 17, c. 1. (9) C. 33, n. 12.
(10) Dial. l. 4, c. 3.

enim haec unio in omnibus partibus fieret, et deinde tot essent principia cogitantia, seu tot essent animae, quot partes; vel variae ideae, per varias partes divisae essent, et dein unio et collatio sine alio principio uniente et conferente concipi non posset; vel denique omnes ideae in unica parte unirentur; et dein reliquae partes inutiles forent; pars autem illa, in qua unio et collatio fit, necessario ut omnino simplex, ergo immaterialis et vere spiritualis statueretur; nam si conciperetur tanquam atomus materialis, quocunque modo simplificaretur, tamen latus dextrum et sinistrum, superius et inferius haberet, et sic difficultates in trilemmate propositae renovarentur. — Simili argumentatione iam *Plato*, *Aristoteles* et alii Philosophi ostenderunt, materiam cogitare, iudicare et ratiocinari non posse, atque ideo animam, quae cogitat, iudicat et ratiocinatur, necessario immaterialem et verum spiritum esse. — Praeterea, cum materia ex se sit iners, si anima esset materialis, eius cogitationes non possent nisi per motum, per oscillationes, vibrationes, etc. declarari: his autem positis, non posset anima suarum cogitationum et volitionum conscia fieri; nam si motus fieret iuxta eandem directionem, esset eadem cogitatio et volitio, neque ideo reflexio ulla sequeretur: si autem fieret secundum diversam directionem, eadem cogitatio et volitio non repraesentaretur: in neutro casu conscientia sui explicari posset; cum autem haec in anima inveniatur, huius immaterialitas admittenda est. — Dein, ut acute observat *S. Augustinus* (1), sensus et phantasia hincinde falluntur, e. g. dum rectum baculum, cuius dimidia pars aqua mersa est, curvum exhibent: interea ratio perspicue errorem detegit, et perpetuo contradicit, etiam perdurante sensus et phantasiae errore: « Quare conficitur, concludit S. Doctor, ut aliud simus *nos*, aliud *sensus*; siquidem cum *iste* fallitur, possumus *nos* non falli. » — Denique aliud argumentum affert *S. Augustinus* l. de quantit. animae c. 12, ubi ita fere ratiocinatur: Si mens humana esset materialis, non posset tantas rerum imagines complecti, nec percipere undequaque diffusa corpora, — imo etiam veritatem, sapientiam, unitatem aliaque Dei attributa, quae absque sensuum subsidio possunt adprehendi: sensus enim sola sensibilia attingit, et virtus corporalis corpora tantum. Sed mens humana ingentes capit imagines, et interiori lumine videt, quidquid oculorum aciem, vimque caeterorum sensuum excedit, adprehenditque etiam invisibilia et divina. Igitur mens humana materialis non est; nam ait S. Doctor: « Si corporea corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur, oportet animum, quo videmus illa incorporalia, corporeum, corpusque non esse » (2).

Nota 1. *Gnostici*, teste *S. Irenaeo* (3), hominem ex tribus partibus compositum dicebant. *Manichaei* quoque, teste *S. Augustino* (4), praeter corpus homini duas animas, unam bonam et alteram malam tribuebant. Trinam hominis substantiam etiam *Apollinaristae* et alii heterodoxi propugnabant. Catholicorum vero communis semper sententia fuit, hominem ex duabus substantiis, anima et corpore constare, quod ex citatis (n. 2) Ss. Patrum testimoniis colligitur. Haereticorum commentum *Trichoto-*

(1) L. 2 soliloq. c. 3
(2) Cf. Wiest § 505. Klee § 3, 2.
(3) L. 1 adv. haer. c. 5.
(4) L. 1 Retract. c. 15.

mia, catholica vero sententia *Dichotomia* appellari consuevit. Hominem ex tribus substantiis componi, nullo solido argumento probari potest, et ideo iure negatur. Equidem in S. Scriptura, dum de homine sermo occurrit, *corpus, anima* et *spiritus* nominantur, uti Dan. III, 86. I Cor. II, 14 et XV, 45. I Thess. V, 23. Hebr. IV, 12. Idem loquendi modus etiam in nonnullis Patribus invenitur. Sed notandum est, quod ideo anima et spiritus humanus quoad substantiam non discernantur, verum, ut recte observat Cl. *Dobmayr* (1): « In his locis vel copiosa oratio, quae verba accumulat, vel doctior loquendi modus continetur, qui facultates mentis inferiores nomine animae, et superiores nomine spiritus exprimit. » Cl. *Staudenmayr* (2) contendit, per spiritum mentem rationalem, per animam vero complexum activitatis sensuum corporalium, seu principium vitae animalis intelligi, quam homo cum brutis communem habet. Hinc inde a Patribus per *spiritum* non secunda anima, sed Spiritus sanctus intelligitur, qui hominem inhabitat, illuminat et ad bonum dirigit, uti patet ex citato loco *S. Irenaei* (3). — Saepe etiam, dum animae spiritus iungitur, per hunc non altera, sed eadem anima, donis Spiritus sancti locupletata, et per gratiam Deo unita significatur, iuxta illud: *Spiritum rectum innova in visceribus meis* (4). — Eodem in sensu *S. Hieronymus* verba S. Scripturae exponit, in quibus corpus, anima et spiritus commemorantur; ait enim Ep. ad Hedibiam (5), postquam aliorum sententias proposuerat: « Nos autem in praesenti loco (6) spiritum, qui cum anima et corpore integer conservatur, non substantiam Spiritus sancti, quae non potest interire, sed gratias eius donationesque accipimus, quae nostra vel virtute, vel vitio et accenduntur et extinguuntur in nobis » (7).

Nota 2. Materialistae, quibuscum etiam non pauci ex Socinianis consentiunt, contra dogma catholicum de animae simplicitate et spiritualitate nonnullas difficultates movent, quas solvere oportet.

Obj. I. Multi Ss. Patres asserunt, animam esse corpus, uti *Tertullianus, Irenaeus, Lactantius, Cassianus* et alii. Inveniuntur etiam inter Patres, qui dicunt, Deum solum incorporeum et verum spiritum esse, ex quo patet, eosdem Patres tum Angelis, tum animabus hominum spiritualitatem abnegare.

Resp. Quid Ss. Patres de anima senserint, apparet ex locis (n. 2) citatis. Itaque etiamsi concederetur, aliquos Patres hac in re aberrasse, his merito opponeretur maior pars Patrum, imo praecipuorum Ecclesiae Doctorum, animae spiritualitatem profitentium. Neque Patres contra nos citati sibi constantes sunt, sed modo animam corpus esse dicunt, modo eandem a corpore distinguunt, simplicem, seu spiritualem naturam ipsi tribuentes, uti patet ex adlegatis verbis *S. Irenaei* et *Tertulliani*. Apparens haec antilogia, quae in illorum scriptis invenitur, facile tollitur, si cum *S. Augustino* (8) observetur, veteres per *corpus* non semper intellexisse rem extensam, visibilem et divisibilem, sed quamlibet substantiam, quae apparentiae, seu nihilo opponitur, sive spiritualis sit, sive materialis. Ideo S. Doctor (9) de *Tertulliano*

(1) § 136. (2) § 83, n. 4
(3) L. 5 adv. haer., c. 9, n. 1.
(4) Ps. 50, 12 (5) Quaest. 12.

(6) 1 Thess. 5, 23. (7) Cf. Klee l. c. § 3.
(8) Ep. 28 ad Hieronym.
(9) L. 10 de Gen. ad litt. c. 25.

dicit: « Corpus esse animam credidit non ob aliud, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, et ideo timuit, ne nihil esset, si corpus non esset. » Quod alteram difficultatem attinet, veteres Deum per excellentiam spiritum nominabant, quia loco non circumscribitur, sed immensus et immutabilis est, et quia haec attributa ipsi soli conveniunt, ideo Deum solum dicebant spiritum, quin ideo Angelis et animabus hominum naturam spiritualem, sed longe imperfectiorem, denegarent. Et sane inter spiritum infinitum et corpora materialia tanta distantia est, ut in medio spirituum finitorum gradationes rectissime statuantur. *S. Augustinus* in cit. Ep. ad Hier. dicit: « Si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quae summe incommutabilis et ubique tota est, corpus est anima: quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet, et breviore breviorem, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima » (1).

Obi. II. Absonum est dicere, hominem ex duabus substantiis sibi invicem oppositis constare; neque explicari aut intelligi potest, quomodo corpus agat in animam, et anima in corpus. Multo melius ergo dicitur, in homine solam substantiam materialem inveniri, et etiam mentis cogitationes nonnisi ex materia subtiliori et speciali virtute praedita repetendas esse. Id patet ex eo, quia in toto homine mira harmonia observatur, quae non daretur, si in ipso duae substantiae sibi oppositae iunctae essent. Praeterea vis ac robur cogitandi adeo a vi et robore cerebri pendet, ut laeso cerebro, veluti in paralysi, lethargo, ebrietate, amentia, aut non cogitemus omnino, aut prave. Dein cognitiones hominis ita ab eiusdem sensibus dependent, ut vulgatum axioma dicat: nihil est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu. Generatim internae cogitationes et affectiones semper dispositionibus et affectionibus corporis respondent. Ideo sane infantes, quorum corpus adhuc nimis debile est, ab animalibus non distinguuntur, qui si integram a corpore distinctam animam in se haberent, certe etiam iam cogitare, iudicare et ratiocinari possent. Dicendum ergo omnino est, vim cogitandi nonnisi in corpore consistere.

Resp. Non negamus, modum, quo anima et corpus inter se uniuntur et in invicem agunt, satis clare explicari non posse: sed tamen nullus Philosophus illius unionis, aut huius commercii impossibilitatem aut ostendit, aut ostendere ita potest, sicuti iam multi invicte probarunt, in ente extenso et materiali iudicia et ratiocinia plane impossibilia esse. Materialistarum ergo sententia, quae est contra rationem, nullo modo admitti potest; nostram autem sententiam, in qua solum unionis et mutui commercii modus ignoratur, ideo reiicere, aut impugnare non licet. Neque ex harmonia, quae inter animam et corpus observatur, aut ex caeteris phaenomenis inferri potest, unicam in homine substantiam inveniri. Cum enim Deus hominem ex animo et corpore constare voluisset, certe etiam pro sua infinita sapientia et omnipotentia effecit, ut inter utrumque harmonia esset perpetua; alioquin monstrum biceps fecisset. Itaque necesse fuit, ut et totum corpus totius animi esset instrumentum, et singula corporis membra singulis animae facultatibus

(1) Cf. Petav. de Deo l. 2 c. 1 n. 14 et seq.

inserviant, ut nervi sensationum gratarum, aut molestarum, aures, oculi etc. perceptionum sensibilium vehicula sint, ac denique cerebrum phantasiae, memoriae, ratiocinationis instrumentum. Praeterea ut hominis unitas conservaretur, oportuit ita animum constituere, ut quousque cum corpore copulatus est, in suarum facultatum exercitio ab instrumentis corporeis dependeat. Atque inde sunt illa phaenomena omnia, ex quibus materialistae naturam animae corpoream esse, se demonstrare posse confidunt, cum potius in ipsa hominis constructione sapientiam et omnipotentiam divinam admirari et laudare deberent. Propositum axioma universaliter verum non est. Quamvis enim anima obiecta corporea et sensibilia per sensus corporeos percipiat; multa tamen sunt, quae independenter a sensibus externis cognoscuntur; sic e. g. cognosco verum, aeternum, infinitum etc., distinguo inter bonum et malum morale, scio me cogitare, me velle, me amare, me odisse, me credere etc.; quae omnia nullatenus per sensus corporeos cognosci possunt. Denique facultas intelligendi secernenda est ab actualibus cognitionibus, quae vel per empyriam, vel per auctoritatem, vel per rationem, cui Deus summa veritas lucet, acquiri debent. Ideo infantes, quorum organa sensuum adhuc perfecta non sunt, cognitionibus intellectualibus carent, et Deus, iuxta legem continuitatis pedetentim solum lumina veritatis ipsorum animis affundit. Tantum autem abest, ideo infantibus animam denegari posse, quantum non licet homini oculos denegare, quia in tenebris constitutus nihil videt.

Nota 3. Non minus quam materialistae aberrant *Pythagoraei*, *Stoici*, et generatim pantheistae, qui systema emanationis secuti docent, animam esse aliquam portionem Dei, seu modificationem substantiae divinae, quae in homine sui conscia redditur. Error iste brevi argumentatione invicte refutatur dicendo: divina substantia incommutabilis est: anima non est incommutabilis: ergo anima non est divina substantia: «Nos enim credimus, ait *S. Augustinus* (1), Dei naturam atque substantiam omnino esse incommutabilem. Porro autem animae naturam vel in melius, vel in deterius commutari posse quis ambigit? — Ac per hoc sacrilega opinio est, eam et Deum unius esse substantiae.» Nec in sensu adversariorum Paulus ait: *ipsius et genus sumus* (2), sed sententiam suam explicat, dicens: *non longe sit ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus* (3). Dein anima, cum spiritualis sit, Dei imaginem refert, et ad genus spirituum pertinere dicitur.

III. *De animae humanae libertate.*

§ 199. Natura spiritualis, sicut *negative* omnem materiam, seu partium compositionem excludit, et simplicitatem requirit, ita *positive* importat intelligendi volendique facultatem, seu intellectum liberamque voluntatem. Quia ergo, uti ex probatis constat, anima humana naturae spiritualis est, recte infertur, eam intellectu et libera voluntate praeditam esse. Omnes quoque concedunt, animam humanam rationalem esse, seu facultate intelligendi et cognoscendi pollere; multi autem sunt, qui liberam hominis voluntatem inficiantur. De hac ergo fusior tractatio est suscipienda; ac inprimis ipsam libertatis notionem evolvere oportet. — Libertas *negative* importat non solum immu-

(1) L. 7 de Gen. ad litt. c. 3.

(2) Act. 17, 28. (3) Ibid. v. 27-28.

nitatem a coactione externa, sed etiam immunitatem a simplici necessitate, seu ab interno principio necessitante, et haec immunitas proprie *libertas indifferentiae* nuncupatur, quae positive consistit in facultate eligendi, seu in facultate seipsum rationaliter determinandi ad actum: per hanc homo maxime distinguitur a brutis, quae per instinctus ad actus determinantur, cum homo rationem tanquam ducem et consiliarium habeat, quamvis huius dictamina et sequi possit, et non sequi. Animam humanam in hoc sensu vere liberam esse, argumentis *biblicis*, *ecclesiasticis* et *philosophicis* probatur.

1. *In Ss. Bibliis* utriusque foederis luculenta pro libero hominis arbitrio testimonia inveniuntur. Gen. IV, 7 Deus sic Cain alloquitur: *Nonne si bene egeris recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius*, in quae verba S. *Hieronymus* scribit: « *Tu dominaberis illius*, nempe peccati. Non te invitum sibi subiicere poterit illius cupiditas; sed si vis, superabis. Verum, quia liberi arbitrii es, moneo, ut non tibi peccatum, sed tu peccato domineris. » Etiam S. *Ambrosius* l. 2 de Cain et Abel (1), et generatim Theologi catholici in citatis Dei verbis invictum pro hominis libertate argumentum agnoverunt. — Moyses Deut. XXX, 19 ait ad populum: *Testes invoco hodie coelum, et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum* v. 17. *Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris . . . praedico tibi hodie quod pereas* etc. Quis, his auditis verbis, negabit, homines inter bonum et malum, inter vitam et mortem, inter benedictionem et maledictionem eligere posse, eosdemque ideo vera libertate indifferentiae gaudere? — Idem colligitur ex verbis Iosue, cap. XXIV, v. 14, Israëlitas admonentis, ut Deum timeant eique serviant, ac postmodum dicentis v. 15: *Optio vobis datur: eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum Diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhaeorum, in quorum terra habitatis. Ego autem, et domus mea serviemus Domino*. Et cum populus protestatus esset, se velle Domino servire, per quem ex Aegypto liberatus fuit, Iosue v. 22: *Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei*. Hoc loco liberi arbitrii tum vis, tum agendi modus graphice describitur. Nullum in exprimendo populi consensu, non modo violentiae, sed neque necessitatis indicium cernitur: plena optandi eligendique potestas ostenditur, ut quasi suspensa et in medio posita voluntas alterum, quod volet, ex duobus adsciscat: vera igitur liberi arbitrii et electionis ratio hic Israëlitis adtribuitur. — Isa. 1, 19 et 20 Deus ita Israëlitas alloquitur: *Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis: quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos*. Antiqui Patres, qui hunc locum commentariis illustrarunt, liberum arbitrium, eiusque vim illam, qua utrimque sponte propendet, significari non dubitant. « Liberum, ait S. *Hieronymus*, servat arbitrium, ut in utramque partem, non ex praeiudicio Dei, sed ex meritis singulorum vel poena, vel praemium sit. » In eundem locum S. *Basilius* praeclare dicit: « Hoc maxime loco velut ob oculos exhibet libertatem arbitrii naturae humanae

(1) C. 7.

insitam » (1). Eccli. XV, 14 etc. legitur: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te..... Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi:* quibus verbis *S. Augustinus* (2) epiphonema istud subiicit: « Ecce apertissime videmus expressum liberum humanae voluntatis arbitrium. » Omnis enim in citato loco non solum coactio externa, sed et necessitas interna ab homine removetur, ita, ut pro libitu ad aquam, vel ad ignem manum extendere, et ad bonum, vel ad malum voluntatem suam inflectere possit. In N. T. Christus Matth. XIX declarat, quid aeterna salus, et quid maior hominis perfectio exposcat; ad utrumque autem liberum voluntatis decretum exposcit, dicens ad adolescentem: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, et: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes* (3) etc. Hoc idem innuunt eiusdem verba: *Si quis voluerit voluntatem eius facere; cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit* (4). Porro in homine veram electionem circa actus morales dari, patet ex verbis Christi: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea* (5). Hanc eandem liberi arbitrii potestatem etiam verba illa Petri ad Ananiam confirmant: *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate* (6)? ita nimirum ager in Ananiae potestate erat, ut illum vel retinere sibi, vel in commune conferre, hoc est dare, vel non dare posset: nullo ergo pacto Ananias ad sacrilegum mendacium compulsus fuerat; unde eum Princeps Apostolorum increpat, dicens: *Quare posuisti in corde tuo hanc rem?* S. Paulus liberum hominis arbitrium clarissime profitetur, I Cor. VII, 37 etc., dicens: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc iudicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam bene facit; et qui non iungit, melius facit.* Eandem hominis libertatem commonstrant verba: Rom. XII, 2: *Nolite conformari huic saeculo*, et: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum:* « Nempe, ait S. *Augustinus* (7), ubi dicitur: noli hoc et noli illud, et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. » Denique reticeri hic non potest locus eiusdem Apostoli ad Philemonem v. 14 scribentis: *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Liberum ergo arbitrium Apostolus in Philemone agnovit, cuius liberum consensum ad opus bonum expetiit (8).

2. *Ss. Patres* in asserendo libero hominis arbitrio mire concordant. Sic *S. Iustinus M.*, Apol I, n. 43, inquit: « Si omnia iuxta leges necessitatis fierent, nulla adesset libera voluntas... Sed hominem libere bonum vel malum eligere, demonstrare volo... Homo neque praemium, neque laudem mereretur, si bonum non ex libero arbitrio eligeret; — nec iuste puniretur, si non per seipsum malus factus esset. » Hoc idem confirmat Apol. II, c. 7 et Dial. c. Tryph. (9) — *Tatianus* (10) ait: « An-

(1) Cf. S. Cyrillum Alex. in c. 1 Isai.
(2) L. de grat. et lib. arbitr. c. 2.
(3) Ibid. v. 21. (4) Io. 7, 17.
(5) Luc. 10, 42. (6) Act. 5, 4
(7) L. c. (8) Cf. Staudenmayr § 108, n. 2 etc.
(9) N. 88, n. 102, n. 141. (10) Ad Graec. n. 7.

geli et homines liberi facti sunt, non ex ipsa natura (seu essentialiter) boni, quia hoc Deo soli proprium est; sed bonum ab hominibus per liberam electionem exercetur; ita ut qui ex propria culpa malus est, iure puniatur, iustus autem, qui per liberam electionem divinam voluntatem transgressus non est, propter opera sua bona iuste exaltetur. Ita res se habet cum hominibus et cum Angelis. » — *Theophilus Antioch.* (1) scribit: « Deus hominem liberum et proprii arbitrii creavit. » *S. Irenaeus* (2) egregie dicit: « Homo rationabilis, et secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, et suae potestatis ipse sibi causa est » (3). *Clemens Alex.* (4) praedicat hominem libero donatum arbitrio, et (5) addit: « Non invite salvus erit, qui fit salvus, sed omnino voluntarie et libero animi arbitrio contendet ad salutem. » — *Tertullianus* l. 2, c. Marc. cap. 5 haec habet: « Non poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate, nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Et ibid. c. 6 subiungit: Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui dominus constanter occurreret et bono sponte servando et malo sponte vitando.» *S. Cyprianus* (6) Christi verba illa perpendens, quibus ad Apostolos usus est: ***Nunquid et vos vultis abire*** (7) « Servans scilicet legem, ait, qua homo libertati suae relictus, et in arbitrio proprio constitutus sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem. » *Origenes* (8) scribit: « Non enim vi res agitur, neque necessitate in alteram partem anima declinatur, alioquin nec culpa ei, nec virtus posset adscribi, nec boni electio praemium, nec patratio mali supplicium mereretur: sed servatur ei in omnibus libertas arbitrii, ut in quodcunque voluerit, ipsa declinet. » — *S. Athanasius* (9) dicit: « Anima libera est et sui arbitrii, potest enim ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari.» Cf. de incarn. (10) et adv. Gentes (11), ubi fusius ostendit, ex libero hominis arbitrio peccatum originem sumere. *S. Basilius* (12) adseverat, « creaturas rationales natura constare sui iuris, ac libera, quae in utramque partem propendere possit ad eligendum bonum vel malum.» *S. Gregorius Nyss.* (13) ita disserit: « Qui in omnia liberam babet potestatem, propter summum honorem, quem homini adhibuit, aliquid in potestate nostra reliquit, cuius unusquisque nostrum solus est dominus: hoc autem est electio, res, quae subiici nequit, et sui iuris est, in libertate mentis et cogitationis sita.» *S. Gregorius Naz.* (14) inquit: « Summae Dei bonitati congruum est, ita res ordinare, ut bonum ex parte etiam nostrum sit, utpote non ipsi naturae insitum, sed per voluntatem et activitatem liberi ad utrumque (bonum et malum) arbitrii acquisitum. » *S. Chrysostomus*, Hom. 14 in I Cor., inquit: « Ideo tui te iuris ac liberum fecit Deus ne postea bunc accuses, tanquam necessitate devinctus. » Et Hom 18 in eandem Ep. scribit: « Nam et multa volumus absurda, sed cohibere nos oportet; hoc

(1) L. 2 ad Autol. n. 27.
(2) L. 4 adv. haer. c. 4, n. 3.
(3) Cf. ibid. c. 37, n. 1 etc.
(4) Strom. l. 1, c. 18 etc. l. 2, c. 4 et l. 5, c. 12, et l. 6.
(5) L. 7.
(6) Ep. 55.
(7) Io. 6.
(8) In Ep. ad Rom. c. 1.
(9) Or. adv. idola.
(10) C. 3.
(11) Cap. 3-6.
(12) L. 3 contra Eunom.
(13) L. Catech. c. 30.
(14) Orat. 2, n. 12 et 17.

enim possumus. Alioquin si non possumus supervacanea est hortatio. Vide autem, quam caute locutus sit. Nam cum dixisset: *Non estis vestri*, non subiecit, sed necessitati estis obnoxii. » *S. Epiphanius*, haer. 16 ex loco Is. 19, ita concludit: « Ex quo perspicue illud citra dubitationem efficitur, liberum arbitrium homini a Deo esse concessum, cum ita per se dixit: *si volueritis*, et *si nolueritis;* adeo, ut bene agere, vel malas res concupiscere, in illius arbitrio sit relictum. » *S. Cyrillus Alex.* (1) inquit: « Liberam a necessitatis vinculis hominis voluntatem servavit, et suopte nutu in utramque partem tendentem, ut ex bene actis laudem iure suscipiat, et ex contrariis poenas. » *S. Hilarius* in Ps. 2, n. 6 ait: «Unicuique nostrum libertatem vitae sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum malumve esse lex cogeret, sed qui nos per benevolentiam utendae beatitudinis suae creasset, profectum nobis ad id per meritum vitae innocentis honestaeque constituit. » Et in Ps. CXVIII ita loquitur: « Sanctus iste mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali necessitate, sed voluntate pietatis, quia unicuique ad id, quod volet, via est proposita vivendi, et appetendi atque agendi permissa libertas. Et ob id uniuscuiusque aut poena, aut praemiis afficietur electio. » *S. Ambrosius* (2) dicit: « Non potest dicere, quia noluit te bonum facere, ante quem posuit bonum et malum, ut non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. » *S. Hieronymus* l. 3, c. Iovin. (3) scribit: « Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est. Idem in Epist. 146 filii prodigi, parabolam enarrans, ita disserit: *Divisit ei substantiam*, id est, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriae libertatem. et ut viveret unusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum. » *S. Augustinus* (4) contra stoicos ostendit, nullam voluntatibus hominum necessitatem dominari, neque hanc ex praescientia Dei inferri posse; unde concludit: « Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta praescientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare praescium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur: illud, ut bene credamus, hoc, ut bene vivamus. » Idem l. 1 de div. quaest. ad Simplic. q. 1 n. 11 in Rom. VII, 18 observat: « His verbis videtur non recte intelligentibus velut auferre liberum arbitrium. Sed quomodo aufert, cum dicat: *Velle adiacet mihi?* certe enim ipsum velle in potestate est, quoniam adiacet nobis. » Lib. 6 op. imperf. (5) ait: « Hominis vero liberum arbitrium congenitum est, et omnino inamissibile. » Epist. 215 ad Valentin. n. 4. Optime idem S. Doctor exponit doctrinam catholicam, dicens: « Fides catholica est, quae neque liberum arbitrium negat sive in vitam malam, sive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid » (6). *S. Io. Damascenus* (7) inquit: « Deus nobis boni operis pote-

(1) Lib. 2, in Ioan.
(2) L. 6 in Luc. c. 9.
(3) C. 2.
(4) L. 5, de Civ. Dei c. 10.
(5) C. Iulian c. 11.
(6) Cf. de grat. et lib. arb. c. 15, l. 1. Retract c. 15.
(7) L. de duab. volunt in Chr. n. 19.

statem dedit liberique nos arbitrii fecit, ut tum ex ipso, tum ex nobis oriatur bonum. Deus quippe omni, qui bonum eligit, adiutor est in bonum, ut servato, quod naturae consentaneum est, consequamur illa, quae naturam superant, immortalitatem videlicet, divinitatisque participationem cum Deo. Si iis vero naturae facultatibus contra quam ratio praescribit utamur, comparemur iumentis insipientibus iisque similes efficiamur.» *S. Bernardus*, l. de grat. et lib. arb. (1), liberum arbitrium dicit esse « habitum animi liberi sui, siquidem non cogitur, non extorquetur, est quippe voluntatis, non necessitatis..., alioquin si compelli valet invitus, violentus est, non voluntarius. Et ibid. (2) hoc pacto libertatem discernit: Triplex est nobis proposita libertas, a peccato, a miseria, a necessitate. Hanc ultimo loco positam contulit in conditione naturae, in prima restauramur a gratia; media nobis reservatur in patria. » — Quod Ss. Patres de libertate humana docuerunt, id suis sanctionibus tum per Rom. Pontifices, tum in Conciliis oecumenicis firmavit Ecclesia. *Lutherum* liberum hominis arbitrium negantem damnavit *Leo X*, - *Baii* et *Iansenii* propositiones libertati contrarias proscripserunt *Pius V* et *Gregorius XIII*. Quod si de sacris Conciliis sermo habeatur, praeter *Diospolitanum*, *Arausicanum II*, *Braccarense I*, *Constantiense*, *Tridentina* Synodus dogma catholicum vindicat sessione VI, decernens ad calcem capitis primi: in hominibus *liberum arbitrium minime extinctum esse, viribus licet attenuatum et inclinatum:* et ibid. can. 5 pronuntiat: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse, dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam, anathema sit* (3).

3. Veram libertatem indifferentiae nobis inesse, etiam per *rationem*, seu per *sensum intimum* persuademur. Nam si loquimur, ambulamus, sedemus etc. de potentia nobis insita secus operandi dubitare non possumus. Eandem persuasionem etiam circa actus morales habemus; cognoscimus enim, quod vel orationi insistere, vel ipsam negligere, aut bene, aut male de proximo loqui, malis cogitationibus vel inhaerere, vel resistere etc. possimus. Intima haec persuasio ex eo vel maximo confirmatur, quia post actionem bonam culpabiliter omissam, aut malam commissam statim conscientiae remorsibus exagitamur, quae in actionibus, ad quas ponendas dura necessitas compellit, locum non habent. Egregie ideo *S. Augustinus* (4) dicit: « Poenitendi quoque affectus, et male fecisse poenitentem et bene facere potuisse testatur. » Imo libertatem, quam in nobismetipsis sentimus, etiam caeteris hominibus adiudicamus, atque ideo actiones tum bonas, tum malas ipsis imputandas esse censemus. Neque in praxi aliud iudicium illi ferunt, qui theoretice hominibus in genere morum libertatem denegant. Nam et illi filios obedientes laudant, inobedientes reprehendunt, servos ob neglecta officia redarguunt, delicta puniunt, etc. ex quo patet, quid ipsis, non obstante erronea fide, intimus sensus dictet.

4. Ex negata hominis libertate, et agendi necessitate posita, maxime absurda consectaria derivantur, quae

(1) Cap. 1, n. 2. (2) Cap. 3.
(3) Cf. Petav. T. 1 de Deo etc. lib. 5 cap. 2, et T. 3, lib. 3, 4 et 5.

(4) L. de duab. anim. c. 14, n. 22.

tum rectae rationi, tum divinae Revelationi opponuntur. Nam: *a*) Si nulla est libertas, incassum dantur leges et praecepta, incassum monita, exhortationes, promissiones et comminationes adhibentur; si enim ad omnes actiones homo necessitatur, quid opus est legibus? quid iuvant rationes ad movendam voluntatem adductae? Inutile profecto et vesanum esset, lapidibus, fluminibus, animalibus, imo et infantibus ratione carentibus atque amentibus leges praescribere, consilia et monita dare, quoniam liberum ipsis arbitrium deest. Hoc ergo omnes leges et monitiones supponunt et requirunt. Quapropter *S. Augustinus* (1) apposite ait: « Eo ipso, quo aliquid praeceptum et imperatum est, obedientia nostra requiritur, quae nulla potest esse sine libero arbitrio. » Omnia ergo praecepta, consilia et monita in S. Scriptura frequentissime hominibus data, de horum libero arbitrio loculenta testimonia reddunt. - *b*) Si voluntarium liberum homini eripiatur, ergo nec laudem, nec vituperationem promerentur actiones humanae. Ecquid enim meriti nancisci potest actus necessario contingens? Illud sane, quod tribuendum est vel plantae, quae crescit, vel lapidi, qui centrum petit. Hac in hypothesi aeque existimandus esset medicus, qui aegrotum sanat, ac sicarius, qui innocentem transfodit; tam qui sua egeno largitur, quam qui diripit aliena. Sublata sic actuum moralitate, praemia sine merito darentur, et poenae sine culpa infligerentur. Nam certe amentem et furiosum nemo dixerit unquam praemiis, aut supplicio afficiendum, si bene, vel male operatur; cur autem? quia ratione carens sponte agit, non libere: cui vero libertas deest, actus in genere morum non imputatur. Cum igitur par esset omnium hominum conditio, si necessitate ducerentur, nec praemia promereri, nec poenarum rei constitui possent, et Deus neque in remunerando, neque in puniendo iustitiam suam manifestaret. Ideo *S. Augustinus* (2) dicit: « Sublata libertate, omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque ulla iustitia bonis praemia et malis supplicia constituta sunt. » Ergo quoties S. Scriptura bene agentibus praemia, mercedem, imo coronam iustitiae promittit, peccantibus autem poenas minatur, toties etiam liberum hominum arbitrium contestatur. *c*) Si libertas hominum negatur, et tamen, ut plerique ex adversariis volunt, peccata ab iisdem committuntur; Deus ipse, quod cogitare blasphemum est, auctor peccatorum constituitur. Si enim, quidquid agunt homines, necessario agunt, necessario etiam peccant, hoc est, voluntatem suam ad pravas actiones et ad obiecta vetita necessario determinant, necessitate ab ipso Deo imposita, quia tales a Deo creati sunt, et ita ab ipso pathologice diriguntur. Quantum autem talis assertio rectae Dei notioni repugnat, tantum etiam sententia adversariorum liberum hominis arbitrium negantium a veritate distat. Sic per varias rationes theologicas doctrina catholica de libero hominis arbitrio confirmatur (3).

Nota 1. Liberum arbitrium, maximum humanae naturae decus, plurimi, variis erroneis principiis seducti, negarunt. Plures inter antiquos, libertatem in homine consistere non

(1) Ep. 216 ad Valen. Ep.
(2) L. 5 de Civ. Dei c. 9.

(3) Cf. Wiest § 506 in nota. Klee § 5 de anima hom. n. 3. Staudenmayr § 198.

posse, ex hoc arbitrati sunt, quod omnia quaecumque sive in ordine physico, sive in ordine morali fiunt, ineluctabili fato subiecta sint. Ita, duce *Zenone*, *Stoici senserunt*, prout testantur *Tullius* (1) et *S. Augustinus* (2). Illorum sententiam etiam *Seneca* propugnavit (3). Nonnulli putarunt, per praescientiam Dei tolli libertatem, quia humanae actiones non aliter poni possunt, nisi quomodo a Deo falli nescio praevidentur. Non tamen omnes ethnici Philosophi liberum hominis arbitrium negarunt. Nam *Pythagoras* docuit, alia divina providentia, alia fato, alia hominum consilio evenire (4). *Plato*, teste Plutarco (5), fatum quidem in hominum vitas et actiones introducit, sed et voluntatis libertatem cum eo coniungit. *Aristoteles* clarissime docuit libertatem (6) dicens: « In nostro arbitrio est, bona malaque facere. » *Cicero* pro libertate tam acriter pugnavit, ut in gratiam libertatis humanae negaverit Dei praescientiam (7). Hanc autem non tollere actuum humanorum libertatem, iam ostensum est § 33. Extiterunt etiam fati astrologici defensores, qui efficaciam siderum ad omnes actiones etiam morales hominum extendebant: quem errorem amplexati sunt *Priscillianistae* saec. IV, uti testatur Concilium *Braccarense* II, a quo tam ineptum deliramentum hisce verbis legimus proscriptum: *Si quis animas et corpora hominum fatalibus stellis credit adstringi, sicuti Pagani et Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Liberum arbitrium pariter evertebant *Manichaei*, quamquam diversa procederent via, atque ab alio fundamento erroris causam haurirent. Cum etenim duplex cunctarum rerum admitterent principium, duplicem quoque animam ab utroque profluentem homini tribuebant; quibus in perpetuo conflictu existentibus, cum homo hinc vel inde ageretur, bonus erat, vel malus pro ratione principii, quod in ipso praevaleret, eumque ad virtutem, aut vitium compelleret; vide *S. Augustinum* lib. de duab. anim. c. Man... Inter praecipuos libertatis adversarios numerandi sunt *Pantheistae*, qui, cum unicam substantiam eamque necessariam adstruant, cum hac actiones liberas coniungere non possunt. Ideo *Spinoza* Ethic. (8): « In mente nulla est absoluta seu libera voluntas, sed mens ad hoc, vel illud determinatur, quae etiam ab alia causa determinata est, et haec iterum ab alia, et sic in infinitum. » Et ibid. (9) dicit homines ideo solum se liberos putare, quia causas nesciunt, a quibus determinantur, quapropter concludit: « Qui igitur credunt, se ex libero mentis decreto loqui, vel tacere, vel quidquam agere, oculis apertis somniant. » Circa libertatem etiam aberrant illi, qui cum *Leibnitio* et *Wolfio* dicunt, voluntatem non posse eligere nisi id, pro quo ab intellectu fortiora motiva proponuntur: in hoc enim systemate libertas non tam declaratur, quam potius destruitur; fortiora enim motiva tamquam principium internum necessitans constituere et libertatem indifferentiae penitus tollere videntur (Cfr. § 41 nota 2). In magnos errores circa liberum hominis arbitrium prolapsi sunt etiam saeculi XVI Novatores, quibus iam *Wiclefus* praeiverat autumans, « Omnia de necessitate absoluta evenire, » quae propositio damnata est in Concilio *Constantiensi* (10). Wicle-

(1) De nat. Deor. l. 3, c. 6.
(2) De Civ. D. l. 5, c. 8.
(3) Lib. de provid. c. 5.
(4) V. Stanler, Hist. phil. a. Pythag.
(5) De placit. phil. c. 27.
(6) L. I Moral. c. 9. (7) L. 2 de Divinat.
(8) P. I, pr. 48. (9) P. 2, pr. 26.
(10) Sess. 15.

fum sectatus est *Lutherus*, qui (1) libertatem appellat « inane vocabulum » eamque fidenter pronuntiat cum Dei praescientia et omnipotentia pugnare. Imo *contra Erasmum* heterodoxam suam sententiam defendens asserit, nos omnia facere debere, quae Deus praevidit et vult, liberum arbitrium nihil agere, quia nihil est; nomen liberi arbitrii homini non competere, quia est titulus divinus, quem praeter Deum nemo gerere potest(2). Idem in suis colloquiis audet asserere: « Liberi arbitrii nomen odiosissimum fuisse omnibus Patribus, et hominem dicendum, non arbitrio liberum, sed servum peccati » (3). Eandem sententiam etiam *Melanchton* propugnavit; nam loc. comm.(4) scripserat: « Quandoquidem omnia, quae eveniunt, necessario iuxta divinam praedestinationem eveniunt, nulla est voluntatis nostrae libertas: » ipse vero postmodum sententiam mutavit, et eandem propositionem, quam anno 1521 propugnaverat, in eodem opere anno 1543 edito, tanquam, « manichaeam imaginationem, et horribile mendacium » damnat. Sed tamen in symbolico Lutheranorum libro, qui dicitur *solida declaratio*, etc. (5) ea, quae Lutherus contra Erasmum scripserat, approbantur et credenda proponuntur. Acerrimus libertatis insectator extitit etiam *Calvinus:* suis namque institutionibus (6) dicit: « Liberi arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni aeque ac mali electionem, sed quia male voluntate agit, non coactione. » Generatim Protestantes docent, per peccatum originale liberum arbitrium penitus extinctum esse, et ideo hominem in ordine morali nonnisi male agere posse; qua de re inferius fusior sermo instituetur. Denique libertatem a necessitate oppugnarunt *Baius* et *Iansenius*: prioris propositio: « Sola violentia repugnat libertati hominis naturali » num. 66 damnata fuit a *Pio V*, et *Gregorio XIII:* posterior talem videtur gratiam adstruere, quae liberum arbitrium penitus tollat; docuit enim: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur, » et: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: » quae propositiones damnatae sunt ab *Innocentio X* et ab aliis Pontificibus. Ecclesia enim catholica, quamvis efficaciam gratiae eiusdemque necessitatem ad quodlibet opus supernaturaliter bonum contra Pelagianos et Semipelagianos defendat, docet tamen, ad idem opus bonum etiam liberum hominis arbitrium concurrere, quod per gratiam excitatur et adiuvatur, sed non tollitur (7); quod in tractatu de gratia fusius exponendum erit.

Nota 2. Qui liberum hominis arbitrium negant, varia sophismata proferunt ad spuriam suam sententiam propugnandam. Illis autem opponimus argumenta ex Revelatione, ex sensu intimo et ex rationibus theologicis adducta, quae ab adversariis enervari nequeunt. Praecipuas tamen, quae ab his moventur, difficultates hic solvere oportet.

Obi. I. Quicumque est liberi arbitrii, est dominus actuum suorum: atqui homo non est dominus suorum actuum, quia dicitur Ierem. X, 23: *Non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus*

(1) L. de servo arbitrio.
(2) V. Buchmann Symb. popul. T. 1, § 29.
(3) V. Pallavic. Hist. Conc. Trid.
(4) Cap. de hom. viribus. (5) Art. 2.
(6) Lib. 2, c. 2.
(7) V. Conc. Trid. Sess. 6, can. 5.

suos. Ergo ipsa S. Scriptura testatur, hominem proprie dicta libertate in viis, seu actionibus suis non gaudere.

Resp. Dupliciter potest quis viarum, seu actionum suarum dominio gaudere, nimirum vel quoad propositum, consilium, mediorum electionem aliaque, quae liberae potentiae conveniunt, vel insuper etiam quoad executionem, et eventum. Primum dominium ad essentiam pertinet libertatis, non secundum. Hoc autem tantummodo, non illud homini deesse, constat ex verbis Prophetae: ideo enim non sunt in potestate hominis viae eius circa effectus, quia et vita et sortes hominum divinae voluntati subiiciuntur. Ieremiae loco huiusmodi sensum apprime convenire, satis ostendit illud Proverbiorum: XVI, 9: *Cor hominis disponit viam suam*: en ex uno capite libertas arbitrii: *Sed Domini est dirigere gressus suos*: en pariter ex alio Providentiae influxus, qui libertatem proprie dictam prorsus non laedit.

Obi. II. Qui non intelligit quod operatur, non facit quod vult, et facit quod non vult, non habet in potestate suam electionem; atqui S. Paulus de se haec profitetur; ait enim Rom. VII, 15 etc.: *Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio... Nunc autem iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum... Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago... Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati*. Haec et alia, quae ibi S. Paulus de seipso scribit, aperte demonstrant, nullam esse in nobis arbitrii libertatem, qua illud bonum agamus, quod volumus.

Resp. Citatis verbis S. Pauli opponimus alia eiusdem Apostoli, quibus se post conversionem suam a peccatis immunem profitetur, et sibi etiam bona opera ac merita adscribit. Ait enim I Cor. IV, 4: *Nihil enim mihi conscius sum*. Ib. XV, 10: *Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus* (1). Non possunt ergo citata verba Rom. VII, 15 etc. in sensu adversariorum intelligi, quasi Apostolus liberum sibi arbitrium denegans profiteretur, se bonum non agere, malum autem facere, et captivum esse sub lege peccati. Sed haec omnia exponi debent de motibus indeliberatis concupiscentiae, quae dicitur *malum*, et *peccatum*, quia ex peccato procedit et ad peccatum inclinat, ita tamen, ut iis motibus voluntas non consentiat nisi libere, iisdemque cum adiutorio divinae gratiae resistere possit. Secus intelligendam non esse Apostoli mentem iam liquet ex v. 20: *Si autem quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud*. Cur namque illud: *Non operor*, Paulus opponit verbis: *ago* et *facio?* quia profecto nil aliud significant haec verba, quam *sentio*, et *experior*, quod patet praecipue ex v. 23, ubi Apostolus manifeste de concupiscentia legi mentis repugnante lamentatur. Concupiscentiam autem sibi voluntariam non esse, et, hac non obstante, se legem mentis observare, protestatur Apostolus v. 25, dicens: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati.*

(1) 2 Tim. 4, 7-8

Infirmitas ergo humanae naturae in citato loco declaratur, sed nulla necessitas adstruitur, neque libertas negatur. Ideo cum *S. Chrysostomo Theophylactus* in illa verba: *Sed quod odi malum hoc facio:* ait: « Vide, quod neque vim, neque necessitatem hinc infert: alias intulisset: sed quod cogor, hoc ago; iam vero non sic dixit, sed *quod odi.* — Quomodo igitur contingebant mala? per arreptionem, per infirmitatem, qua homines laborabant ex praevaricatione Adami » (1).

Obi. III. Hominis voluntatem liberam non esse, sed aliena virtute moveri, varia S. Scripturae loca ostendunt. Sic Prov. XXI, 1 dicitur: *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Ezech. XXXVI, 27: Deus ad Israëlitas dicit: *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis* etc. Christus ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum* (2); et: *Sine me nihil potestis facere* (3). Paulus scribit: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et perficere* (4); et: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei* (5). Ergo omnis libera potestas ad actus bonos hominibus denegatur, et omnes bonae volitiones et operationes virtuti divinae adscribuntur.

Resp. In citatis locis efficacia divinae gratiae ostenditur, quae iuxta doctrinam catholicam ad inchoandum et perficiendum opus supernaturaliter bonum et meritorium pro vita aeterna semper necessaria est. Sed haec gratia excitat et adiuvat, non autem tollit liberum arbitrium, quod non mere passive se habet, sed etiam ad actum bonum ponendum concurrit. Ideo actus boni modo gratiae, uti in locis citatis, modo libero arbitrio adscribuntur, ut ex. gr.: *Maria optimam partem elegit* (6). Ipse Paulus in operibus suis bonis gratiae liberi sui arbitrii cooperationem adiungit, dicens: *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum* (7). Ipsa notio gratiae intellectum illustrantis et voluntatem pie moventis liberum arbitrium supponit: quomodo enim id, quod penitus extinctum, et nihil est, excitari et adiuvari posset? Certe bruta, quia ratione et libero arbitrio carent, gratiam supernaturalem recipere non possunt. Quamvis ergo in citatis locis necessitas et efficacia gratiae divinae praedicetur, liberum tamen hominis arbitrium nullatenus negatur. Sed plura hac de re in tractatu de gratia dicenda erunt.

Obi. IV. Voluntas necessario fertur in summum bonum, seu in perfectam beatitudinem, quod omnes Theologi admittunt: ergo etiam necessario aversatur malum, quod beatitudini opponitur, et necessario inclinatur in bonum, quod beatitudinem promovet. Voluntas autem est potentia caeca, quae sequi debet intellectum, cuius iudicia mutare nequit. Quidquid ergo intellectus tanquam bonum proponit, voluntas necessario amplectitur, et quidquid intellectus tanquam malum ostendit, voluntas necessario refugit. Ergo in actibus humanis libertas indifferentiae adesse non potest.

Resp. Deus, qui nos ad beatitudinem destinavit, et ideo stimulum felicitatis nobis indidit, vult tamen, ut ad illam libere tendamus, quapropter stimulo felicitatis stimulum honestatis et facultatem adpetendi adiunxit, ac libertatem nobis conces-

(1) Cf. S. Thomam, Lect. 3 in hoc caput.
(2) Io. 6, 44.
(3) Ibid. 15, 5.
(4) Phil. 2, 13.
(5) Rom. 9, 16.
(6) Luc. 10, 42.
(7) 1 Cor. 15, 10.

sit (Th. gen. § 40). Liberi ergo sumus in mediis considerandis, eligendis et adplicandis, quibus ad beatitudinem perveniamus. Errant ergo adversarii, dum ex insito nobis beatitudinis desiderio inferunt, nos etiam in particulari quodlibet malum necessario aversari, et quodlibet bonum necessario amplecti. Egregie id ostendit *S. Thomas* (1) ita disserens: « Dicendum quod quando ad finem non posset perveniri nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem, et ea, quae sunt ad finem. Sed ita non est in proposito. Nam multis viis ad beatitudinem perveniri potest, et ideo licet homo ex necessitate velit beatitudinem, nihil tamen eorum, quae ad beatitudinem ducunt, ex necessitate vult. » Angelicus Doctor etiam alio modo declarat, quomodo homo in genere quidem in beatitudinem feratur, et tamen in particulari bona sibi proposita haud necessario eligat; ait enim (2): « In omnibus particularibus bonis potest (homo) considerare rationem boni alicuius, et defectum alicuius boni, quod habet rationem mali. Et secundum hoc potest unumquodque buiusmodi bonorum apprehendere ut eligibile, vel fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione mali, aut alicuius defectus, et ideo ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus, aut esse miser. Electio autem cum non sit de fine, sed de his, quae sunt ad finem... non est perfecti boni, sed aliorum particularium bonorum. Et ideo homo non ex necessitate, sed libere eligit. » Praeterea notandum est, quod, quamvis voluntas ut potentia caeca intellectum sequi teneatur, ipsa tamen intellectus applicatio ad aliquid considerandum, et quidem sub uno potius respectu, quam sub alio, ab ipsâ vicissim voluntate dependeat. Hac de re quoque sensus intimus nos certos reddit. Cognoscimus enim, quod vel cum praevia deliberatione, vel etiam praecipitanter procedere possimus, et ideo post imprudentem actionem positam dolemus, quod non melius rem perpenderimus, nobismetipsis culpam imputantes. Falsum denique est, quod voluntas semper necessario id amplectatur, quod intellectus ut bonum, et necessario id refugiat, quod intellectus ut malum proponit. Contrarium ipsa experientia testatur. Persaepe enim voluntas intellectum, ducem suum, sequi renuit, stimulis inferioribus et ignobilioribus libere inbaerens: quod toties fit, quoties aliquis ex certa scientia, deliberato proposito, atque ex sola malitia legem divinam, aut humanam transgreditur; talis enim est, qui eligit peccatum, quod actu cognoscit grave malum esse, iuxta illud Poëtae: « aliudque cupido, mens aliud suadet; video meliora proboque, deteriora sequor. » Exinde patet, hominem vera libertate indifferentiae gaudere. Si hac careret, et rationis dictamina necessario sequeretur, nunquam irrationabiliter agere; nunquam peccare posset, et semper felix esse deberet, vel si contrarium contingeret, ipsius infelicitas non voluntatis culpae, sed inculpabili intellectus errori esset adscribenda. Et quomodo dein iustitia et providentia divina in ipso manifestarentur (3)?

Obi. V. Argumentum ex sensu intimo deductum hominis libertatem non probat. Nam sensus intimus decipere nos potest, dum videtur te-

(1) Q. 6 de malo art. un. ad 9.
(2) L. 2, q. 13, art. 6.

(3) Cf. Storchenau Instit. metaphys. l. 3, P. 1, sect. 3, cap. 3.

stari nos pro lubito velle, dum tamen reipsa a causa exteriori movemur; eadem ratione ac si acui magneticae, aut lapidi decidenti paullo ante motum cum cognitione desiderium aliquod versus aliquem locum determinatum se movendi imprimeretur, viderentur sibi haec corpora a se ipsis ad eum motum determinari, ac proinde libere. Eodem modo homines falluntur, liberum sibi arbitrium adscribentes, dum per praemotionem physicam, seu per applicationem divinae omnipotentiae ad actum determinantur, ad quem ponendum Deus etiam inclinationem, seu desiderium homini ingerit.

Resp. Philosophi ostendunt, nunquam sensum intimum in iis, de quibus aperte testatur, et quae eius obiectum sunt, decipere nos posse. Tale vero obiectum constituit libertas, cuius nobis intime conscii sumus, ita ut de ipsa dubitare non possimus, et actiones libere positas ab illis, ad quas aliena vi impellimur, optime distinguamus. Eandem persuasionem ex sensu intimo haustam etiam caeteri homines testantur. Haec certa, constans et universalis persuasio non potest repeti, nisi ex veritate quae lucet menti nostrae: quae autem in ipsius veritatis luce videntur, falsa esse non possunt, Th. gen. § 34 (1). Inepte paritas ex motu corporum proponitur. Nam, ut optime dicit Cl. *Perrone* (2): « Numquam vel acus magnetica, vel lapis, qui in dicta hypothesi putarent, se libere moveri, possent propriae libertatis demonstrationem exhibere cessando a motu; contra vero homo non solum sentit, dum movetur, se libere moveri, sed sentit praeterea se actu habere potestatem ad oppositum atque ad diversa, et cuilibet a se petenti demonstrationem suae libertatis, illico eam exhibet exsiliendo, consistendo, motum cohibendo, vel accelerando, prout ipsi libet. » Deus certe libertatem, quam creavit, etiam continuo per omnipotentiam suam conservat, et in hoc sensu praemotio physica negari nequit. Ast Deus omnipotens, qui vult hominem libertate gaudere, hanc quoque cum caeteris facultatibus conservat, et per ipsam praemotionem physicam efficit, non solum ut actus ab homine ponantur, sed etiam ut libere ponantur. Sed hac de re plura in tractatu de gratia dicentur (3).

IV. *De animae humanae immortalitate.*

§ 200. Per ipsam experientiam edocemur, corpus humanum non semper in eodem statu permanere, sed post incrementum et decrementum tandem vita privari, et in pulverem abire. Summi igitur momenti pro nobis est, ut sciamus, an etiam anima cum corpore intereat, vel an emortuo corpore vitam suam continuet? — Quaestionem istam solvit ipsa Revelatio divina, quae nos edocet, animam a corpore solutam vitam suam continuare, eamque immortalem esse, ita ut existentia ipsius numquam finem habeat. Dogma hoc probatur praecipue in tractatu de statibus alterius vitae, ubi de aeternitate praemiorum et poenarum sermo instituitur. Ast ordo dicendi et rei gravitas requirunt, ut hic quoque maxima animae humanae praerogativa, nimirum eius immortalitas *ex S. Scriptura* et *Traditione* probetur, ac etiam argumenta ponderentur, quae *ex ratione* ad illam probandam petuntur.

(1) Cf. Storchenau Logic. § 158. et seq.
(2) N. 575.

(3) Cf. Cl. Perrone de Deo Creat. P. 3, c. 5, Prop. 2, n. 555 - 579.

1. *S. Scriptura* tum V., tum N. T. de immortalitate animae nos certos reddit. Pentateuchus quidem de ipsa diserte non loquitur, sed tamen testatur Patriarchas firmam de illa fidem habuisse. Isti enim se tanquam peregrinos et hospites super terram considerabant, et vitam suam *Dies peregrinationis* (1) nuncupabant: verum Hebr. XI, 14 etc.: *Qui enim haec dicunt, significant, se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est, coelestem.* Eadem Israëlitarum fides deducitur ex illo loquendi modo Scripturis usitato, quo mortui dicuntur *colligi ad populum suum, ire, pergere ad Scheol*, i. e. ad locum inferorum. Neque enim per Scheol solum sepulcrum intelligi potest, quia hoc ab illo aperte distinguitur, et congregati prius ad populum suum postea sepeliri dicuntur: sic Gen. XXV, 8 etc. de Abrahamo legitur: *Mortuus..... congregatusque est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac et Ismaël* (2). Etiam Moyses dicitur: *Iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron... et appositus populis suis* (3), quamvis Israëlitae de illius sepultura nihil cognoverint. Ergo non corpus sed anima credebatur, et dicebatur congregari ad populum suum, transire ad Scheol. Hac fide repletus Iacob, morti adpropinquans, inquit: *Salutare tuum expectabo, Domine* (4). Immortalitatem animarum clare comprobant verba Dei ad Moysen dicentis: ***Ego sum Deus patris tui; Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob*** (5); ubi Deus non dicit: ego fui quondam, sed *ego sum* tempore praesenti Deus Abraham, Isaac et Iacob, ut hos Patriarchas actu existere et vivere ostendat; nam *non est Deus mortuorum, sed viventium* (6), sicuti Christus ait, ut ex citatis Dei verbis contra Sadducaeos futuram resurrectionem probaret. — In Psalmis fides de immortalitate animae variis modis confirmatur. Ps. LIV, 16 de impiis dicitur: *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes;* idcirco Ps. XXXIII, 22 dicitur: *Mors peccatorum pessima;* e contra de iustis legitur: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius* (7): maxima haec inter pessimam et pretiosam mortem differentia nonnisi ex diverso statu animarum post mortem repeti potest. Ideo etiam iusto liberatio ex inferno, id est ex limbo Patrum, et visio Dei beatifica promittitur. Nam iustus dicit: *Deus redimet animam meam de manu inferi cum acceperit me* (8), et: *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua* (9). Eandem fidem habuit Iob, qui, se morti iam proximum putans, ait: *Videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo* (10). Aliam vitam, et quidem maxime beatam expectavit etiam Tobias, dicens: *Filii Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo* (11). — In libris Sapientialibus pro animae immortalitate sat luculenta testimonia leguntur. Eccl. XII, 7 dicitur: *Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum:* quibus verbis apertissime negatur, animam cum corpore perire, et clare asseritur, ipsam redire ad

(1) Gen. 47, 9.
(2) Cf. Gen. 35, 29 et c. 49, v. 28 etc.
(3) Deuteron. 32, 50. (4) Gen. 49, 18
(5) Exod. 3, 6. (6) Matth. 22, 32.
(7) Ps. 115, 15. (8) Ps. 48, 16.
(9) Ps. 16, 15. (10) Iob 19, 26 etc.
(11) Tob. 2, 18.

Deum factorem suum, ut vel praemia recipiat, vel poenas. Sap. II graphice describuntur illi qui putant, animam quoque mortalem esse, et cum hac vita terrestri omnia finem habere, ac demum dicitur: *Haec cogitaverunt et erraverunt: excaecavit enim illos malitia eorum* (1). Dein c. III, 1 etc. dicitur: *Iustorum autem animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, et aestimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter exterminium: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se.* Cap. IV, v. 7 additur: *Iustus autem si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum... quoniam gratia Dei, et misericordia est in sanctos eius, et respectus in electos illius* (2). In N. T. Christus immortalitatem animae clarissime docet, dicens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam* (3). Animas a corpore solutas vivere et pro meritis aut demeritis maxime diversam habere sortem, praeclare ostenditur in parabola de Lazaro et de divite Epulone (4). Christus etiam persaepe adseverat, animas nunquam perire, sed in aeternum vivere, uti: *Qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (5). *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam* (6). *Ibunt hi* (mali) *in supplicium aeternum; iusti autem in vitam aeternam* (7). Eandem doctrinam Apostoli proposuerunt (8). Adduci hic praecipue merentur verba Pauli II Cor. V, 1 scribentis: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam aeternam in coelis* (9).

2. Constans *Ecclesiae fides* de animae immortalitate patet inprimis ex *Symbolis*. Nam in Symbolo Apostolico dicitur: *Credo - in vitam aeternam;* et in Symbolo Nicaeno-CPtano: *Expecto - vitam venturi saeculi. S. Iustinus M.* (10) dicit: «Credite et pro certo tenete, animam etiam post mortem vivere, et (si impia fuerit) aeternas poenas expectare debere.» Ibid. (11) ait: «Verba Dei, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob*, testantur ipsos (homines) etiam post mortem existentiam suam continuare.» *Auctor Ep. ad Diognet.* (12) scribit: «Immortalis anima habitat in corpore mortali.» Animam immortalem esse et solutam a corpore vivere, docent *Tatianus* (13), et *Athenagoras* (14). *S. Irenaeus* (15) haec habet: «Sicut autem corpus animale, ipsum quidem non est anima, participatur autem animam quoadusque Deus vult: sic et anima ipsa quidem non est vita, participatur autem a Deo sibi praestitam vitam..... Deo itaque vitam et perpetuam perseverantiam donante, capit et animas primum non existentes; dehinc perseverare quam eas Deus et esse et subsistere voluerit.» — *Tertullianus* l. de anima (16) ita disserit: «Anima si dissolubilis, iam non immortalis: itaque quia non mortalis,

(1) Sap. 2, 21. (2) Ibid. v. 14.
(3) Matth. 10, 28. (4) Luc. 16, 19 etc.
(5) Io. 3, 16. (6) Io. 12, 25.
(7) Matth. 25, 46.
(8) Rom. 2, 6 etc. 2 Petr. 1, 10 etc.

(9) Cf. 1 Cor. 15, 32. (10) Apol. 1, n. 18.
(11) N. 63. (12) N. 6.
(13) Adv. Graec. n. 16. (14) Legat. n. 27.
(15) L. 2 adv. haer. c. 34, n. 4. (16) C. 14.

neque dissolubilis, neque divisibilis.» Idem fidem suam de immortalitate animae contestatur in l. de resurr. carnis praecipue c. 34. *Origenes* l. 4 de princip. n. 36 etc., totus in eo est, ut probet animae immortalitatem, et inter alia dicit: « Omnis mens, quae de intellectuali luce participat, cum omni mente, quae simili modo de intellectuali luce participat, unius sine dubio debet esse naturae... Incorruptae autem sunt et immortales coelestes virtutes; immortalis sine dubio et incorrupta erit etiam animae humanae substantia. » *Lactantius* (1) ait: « Unum est igitur summum bonum immortalitas, ad quam capiendam et formati a principio et nati sumus. Ad hanc tendimus, hanc spectat natura humana, ad hanc nos provehit virtus. » — *S. Athanasius* (2) dicit: « Immortalis est hominis anima, et semper vivit: ipsa corpus movet et seipsam movet:—nec anima moritur, sed decessu eius corpus moritur, sed ipsa vivit, siquidem animae motus nihil aliud est, quam eius vita. » *S. Hilarius* (3) inquit: « In anima ita constituta est natura, ut maneat aeterna, nec ex sua a corpore solutione quidquam detrimenti patiatur. » *S. Cyrillus Hier.* (4) animam appellat « opus Dei praestantissimum, iuxta imaginem Conditoris factam, immortalem propter Deum, immortalitatem ipsi conferentem, ratione praeditam, corruptionis expertem. » *S. Gregorius Naz.* (5) docet, animas « esse ex Deo, atque divinae supernaeque nobilitatis participes... immortales quoque, atque immortalibus vel suppliciis, vel laudibus ob vitium, aut virtutem afficiendas. » *S. Ambrosius* (6) scribit: « Mortuo homine caro corrumpitur, sensus pereunt, vox amittitur, remanet mens immortalis, incorpoream vitam recipiens. » *S. Chrysostomus* (7) ait: « Quod nihil mali male viventes patiuntur, hoc ipsum argumentum est, quod post exitum e vita omnino punientur. » *S. Augustinus* librum de immortalitate animae scripsit, quam variis argumentis probat: sicque (8) dicit: « Est autem animus vita quaedam, unde omne, quod animatum est, vivere; omne autem inanime, quod animari potest, mortuum, id est vita privatum intelligitur. Non potest ergo animus mori. Nam si carere poterit vita, non animus, sed animatum aliquid est. —Quod si absurdum est, multo minus hoc genus interitus timendum est animo, quod vitae certe non est timendum » (9). Sententiis Ss. Patrum adiungi possunt *decisiones Conciliorum*. Teste *Eusebio* (10), *Concilium in Arabia* circa annum 247 celebratum est contra haereticos affirmantes, animas hominum mortales esse, cum corporibus extingui, et in novissimo die cum iisdem resuscitari, quos *Origenes* in hoc concilio praesens doctissime expugnavit. Concilium *Lateranense V* (11), praesidente *Leone X*, haec promulgavit: *Cum diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animae rationalis quod mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus: et aliqui temere philosophantes - verum id esse asseverant; sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes. Cum illa non solum vere et per se, et essentialiter humani corporis forma existat, sicut in Ca-*

(1) L. 7 instit. c. 8. (2) Cont. Gent. c. 33. (3) In Ps. 120, n. 14. (4) Catech. 4, n. 18. (5) Or. 1. (6) L. 2 de Abrah. c. 1, n. 3

(7) Hom. 77 in Matth. (8) Cap. 9. (9) Conf. l. 1 Retract. c. 15. (10) L. 6, H. E. c. 3. (11) Sess. 8.

none Clementis Papae V, in generali Viennensi Concilio edito continetur, verum et immortalis et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda sit. Quod manifeste constat ex Evangelio, cum Dominus ait: Animam autem occidere non possunt; et alibi: *Qui odit animam suam in hoc mundo*, etc; *et etiam cum aeternam poenam, et aeterna supplicia pro merito vitae iudicandis repromittit: alias Incarnatio, et alia Chrysti mysteria nobis minime profuissent, nec resurrectio expectanda foret, et sancti, et iusti miserabiliores essent* (*iuxta S. Paulum*) *omnibus hominibus.*

3. *Ex ratione* quoque pro animae immortalitate varia argumenta afferri solent. Intime enim rationi persuasum est virtutes praemia, vitia vero poenas mereri, atque Deum, qui omnia propter semetipsum, i. e. ad gloriam suam operatur, in bonorum remuneratione et malorum punitione suam sanctitatem, sapientiam, bonitatem et iustitiam manifestare velle (§ 141). Ast in hac vita sat frequenter iusti, qui semetipsos continuo abnegantes, aliis plurima beneficia praestant, gravissimis laboribus et adversitatibus premuntur; impii vero, qui voluptatibus indulgentes alios vexant, diripiunt et persequuntur, temporalibus bonis abundant; qua de re iam Iob XXI, 7 stupens dixit: *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?*— Nisi ergo altera vita daretur, virtus sine praemio, et vitium sine debita poena maneret, eademque fuisset sors Pauli, qui omnibus omnia factus est, ut omnes faceret salvos, atque Neronis, qui, foedissimis voluptatibus brutales crudelitates adiungens, humani generis opprobrium et flagellum factus est. Quantum autem tale quid tum a fine hominis, tum a recta notione Dei abhorreat, mens humana facile cognoscit, atque ideo necessario statuit, animam cum corpore non perire, sed in aliam vitam transire, in qua Deus, qui harmoniam moralitatis et felicitatis perficere vult, bonis praemia dabit, malos autem condignis poenis afficiet. — Hoc argumentum satis solide probat animam cum corpore non interire, sed in alterius vitae statum transferri: sed non eadem certitudine ex illo infertur, alteram hanc vitam in aeternum durare, et sic animam in sensu stricto immortalem esse, quia pro finitis et temporalibus meritis, aut demeritis solum finitae et temporales remunerationes, aut punitiones requiruntur. Idcirco non pauci cordati viri putant, animae immortalitatem ex sola ratione demonstrari non posse. Id tamen alii aliis argumentationibus tentant. Aiunt enim animam simplicem esse, partibus carere, atque ideo per dissolutionem interire non posse; « Quomodo enim, ait *S. Gregorius Nyss.* (1), dissolvi potest, quod non est compositum? » — Ergo anima non potest mori, neque finem habere nisi a Deo annihiletur. Sed, iuxta satis solidam sententiam, Deus nullam rem, quam creavit, penitus annihilat; nam ipsum corpus post mortem non in nihilum, sed in pulverem abit: anne Deus animam, longe nobiliorem annihilabit, quam ad cognoscendam veritatem, ad servandam moralitatem, et ad acquirendam felicitatem creavit? — Eximiae animae facultates, quae continuo perfici possunt et debent, fine suo frustrarentur, si animae existentia aliquando finem haberet. Necessario ergo dicitur, animam ita a Deo constitutam esse, ut veritatem intueri, et ob moralitatem, quam exercuit, per-

(1) Or. Catech. c. 8.

fecta et perenni felicitate frui possit. Vehemens ideo, ac indelebile talis felicitatis desiderium nos omnes sentimus, quod certe sapientissimus et benignissimus Creator naturae nostrae non indidisset, si illud explere et aeternam animae vitam concedere nollet. Ex negata hac veritate maxime absurda consectaria deducenda essent: nam si anima mortalis est, natura humana omnem suam dignitatem, et vita praesens pretium et solatium amittit, atque homines brutis similes nascuntur, edunt, bibunt, genus propagant, moriuntur, hac funesta praerogativa a brutis solum distincti, quod interitus sui sibi conscii felicitatem veram, cuius ardentissimum desiderium in se habent, frustra expectantes, et in mortalitate hac non invenientes, infelicitatis miseria longe superent. — Argumentationes istae profecto spernendae non sunt, sed tamen ad immortalitatem animarum omni ex parte probandam haud sufficere videntur. Ratio enim ipsa cognoscit necessariam perfectae felicitatis conditionem esse perfectam moralitatem. Quid ergo fiet de animabus, a moralitate deficientibus, aut hanc imperfecte tantum exercentibus? nonne istae in poenam culpae suae aliquando annihilabuntur? - ad has similesque quaestiones ratio sibi relicta satis certa responsa dare non potest. Grato animo igitur Revelatio suscipienda est, quae de veritate summi momenti nos certos reddit. Equidem nonnulli philosophi, e. g. Plato, immortalitatem animae propugnaverunt, eandemque multae antiquae gentes crediderunt, quae pro animabus ex hac vita excedentibus elysum, aut tartarum statuerunt. Sed haec fides non tam ex argumentis philosophicis, quam potius ex ipsa divina Revelatione, iam mature Patriarchis facta, et inter gentes aliquo modo conservata, repetenda esse videtur (1).

Nota 1. Negavit immortalitatem animae *Epicurus*, prout communis est sententia (2). - Multi *Stoicorum* diuturnam, non perennem animae vitam admiserunt. - *Dicaearchus*, familiaris Aristotelis, ex instituto animorum immortalitatem impugnavit, ut refert *Cicero* (3). - Ipsum *Aristotelem* nonnulli de negata animorum immortalitate accusant, quamvis alii ab hoc errore illum liberent. — In fide de animae immortalitate etiam *Cicero* (4) et *Seneca* (5) fluctuarunt. Saeculo 16° ineunte, nonnullos Pseudophilosophos immortalitatem animae negasse, patet ex Conc. Later. V. Eandem negarunt *Spinoza*, *Obbesius*, *Tolandus*, et praecipue auctor operis: *Système de la nature* (*Mirabeau*). *Humius* et *Baelius* circa illam dubia movent. *Voltaire* (6) scribit: « Ratio humana tam parum sufficit seipsa ad immortalitatem animae cognoscendam, ut Religio obligata fuerit eam nobis revelare. » Generatim quicunque suave Religionis iugum abiiciunt, ut inordinatis suis passionibus fraena laxent, dogmati de immortalitate animae se infensos ostendunt. Ideo Cl. *Ant. Valsecchi* (7) scribit: « Haec veritas (immortalitas animae) est ingratissima et maxime adversa libertinis. Alia Religionis capita facile amplecterentur, aut saltem audacia tanta totque conatibus ea non aggrederentur, nisi ex necessaria consecutione vitam animae aeternam in alia regione, in qua expectanda sunt supplicia ab illo iudice, cuius numen ludibrio habent,

(1) Cf. Wiest § 507, Klee l. c. n. 4, Staudenmayr § 116.
(2) V. S. Augustin. l 6 confess. cap. ult.
(3) Q. Tuscul. l. 1 c. 31.
(4) Q. 1 Tuscul. c. 11, n. 25.
(5) Ap. Wiest § 467.
(6) Lettre 18 sur le Loke.
(7) De fundam. Relig. l. 1 c. 5.

superfuturam esse docerent » (1).

Nota 2. Dogma catholicum etiam contra adversariorum conatus defendendum est, qui ipsa S. Scriptura abutuntur, ad perversam suam sententiam propugnandam.

Obi. I. Animam simul interire cum corpore scribit Ecclesiastes III, 19 etc., ubi haec leguntur: *Idcirco unus interitus est hominis, et iumentorum, et aequa utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo iumento amplius: cuncta subiacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* — Ergo sicut brutorum, ita et hominum animae corruptibiles sunt, et vivere cessant.

Resp. Ecclesiasten de immortalitate animae non dubitasse, patet ex eodem capite v. 16 etc., ubi iudicium, quod in hac vita non semper exercetur, in altera vita futurum pronuntiat, ait enim: *Vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iustitiae iniquitatem. Et dixi in corde meo: Iustum et impium iudicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit*, et clarissime animae immortalitatem adseverat cap. XII, v. 7.—Non possunt ergo verba citata III, 19 etc. in sensu adversariorum accipi. Illa autem duplici modo exponi solent. Nonnulli putant, citata verba non esse attribuenda hagiographo scriptori, sed hunc solum ea referre, quae impii cogitare et dicere solent, quod idem fit Sap. II. Sic S. *Thomas*, ad eandem obiectionem respondens, dicit (2): « Salomon inducit rationem illam ex persona insipientium, ut exprimitur Sap. II. » — Alii autem dicunt, Ecclesiasten ex propria sententia loqui, sed tamen ipsius verba dogmati de immortalitate animae nullatenus contraria esse. Sensus enim Ecclesiastae est, unum esse interitum et hominum et iumentorum quantum attinet ad vitam corpoream communem omnibus animantibus, quoniam et homini dictum est: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Ita nihil habet homo iumento amplius ratione corporis et vitae animalis in carne praetereuntis, et cuncta ad eandem terrae conditionem, unde facta sunt, quoniam humani corporis molem Deus de limo formavit. Mens ergo in terram non revertitur, cum de terra non sit producta. Ultimorum verborum: *Quis novit* etc. sensus est, vel difficile esse cognoscere per rationem animam esse immortalem, idque a paucis cognosci: vel neminem id posse cognoscere notitia sensuum, seu experimentali: ideo tamen non negatur, id cognosci posse aliquo modo per rationem, et certissime per Revelationem.

Obi. II. Iob. XIV, 7 dicit: *Lignum habet spem: si praecisum fuerit, rursum revirescit: homo vero cum mortuus fuerit, ubi est?* quae interrogatio, negationi aequivalens satis indicat, hominis existentiam in morte omni ex parte finem habere. Idem innuunt verba Lev. XVII, 7: *Anima omnis carnis in sanguine est:* sub nomine autem *omnis carnis* etiam homines intelligi debent; ergo horum animae adinstar sanguinis corrumpuntur.

Resp. Verba Iobi neutiquam innuunt animae mortalitatem, sed tantum quod homo mortuus non redeat ad vitam et non reviviscat, sicut arbor truncata in surculis suis reviviscit. Neque adposita interrogatio hominis post mortem existentiam omni ex

(1) V. Wiest § 467 et 468.

(2) 1, q. 75, art. 6 ad 1.

parte negat; alias etiam sepulcrum corporis, quod plerumque notum est, negandum esset, sed in illa solum negatur, hominem post mortem visibilem fieri et locum conspici, ad quem anima transit. — Quoad locum Levitici multi dicunt, iam ex contextu apparere, ibi solum sermonem esse de anima omnis carnis aut immolandae super altare Domini, aut ad mensam comedendae, cuius profecto generis non est homo. Quodsi sub nomine *omnis carnis* etiam homines intelligantur, notandum est, per *animam* in S. Scriptura saepe vitam temporalem intelligi, quo sensu etiam S. Paulus dixit: *Non enim facio animam meam pretiosiorem quam me* (1); sensus ergo citati loci est, sanguinem per venas diffusum pro vita temporali necessarium esse, quia haec cessat illo amisso.

Obi. III. I Tim. VI, 16 Deus laudatur, *qui solus habet immortalitatem;* ergo animae humanae immortalitatem non habent.

Resp. Deus solus dicitur immortalis per se et essentialiter, quia tamquam Ens necessarium non potest non esse: sed animae humanae sunt entia contingentia, quae non per se et necessario existunt, sed immortales sunt, quia Deus earundem Creator ipsas tales esse voluit. Sic *Theodoretus* (2) dicit, Deum solum immortalem dici, quia « substantia est immortalis, non participatione, eo quod immortalitatem non aliunde accepit. » Alii Patres dicunt, ideo soli Deo immortalitatem adscribi, quia solus immutabilis est. Sic *S. Augustinus* (3) ait: « Immortalitatem Deus habere dicitur solus, quia est immutabilis solus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse, quod erat. Proinde et ipsa anima humana, quae propterea dicitur immortalis, quoniam nunquam desinit vivere, habet tamen pro ipso suo modo quamdam mortem suam, quia si iuste vivebat, et peccat, moritur iustitiae. » Idem sentiunt *S. Gregorius M.* (4), *S. Prosper* (5), *S. Bernardus* (6) et alii (7).

Nota 3. Si beneficia divina pia memoria recolenda et perpetuo pro ipsis gratiae agendae sunt, omnino necesse est, ut homines pro praerogativis sibi quoad corpus et animam concessis benignissimo Creatori suo semper gratias agant. Quamvis autem etiam corpus humanum sapientissime per manus divinas constructum fuerit, longe tamen praestantior est anima, quae est spiritus, intellectu, libera voluntate et immortalitate donatus. Propter istas eximias dotes de homine scriptum est: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis* (8). Anima sane incomparabili modo omnes res materiales et visibiles dignitate praecedit. Ideo *S. Isidorus* (9), exclamat: « O homo! quid miraris siderum altitudines et profunditatem maris? Animi tui abyssum intra, et mirare si potes! » *S. Chrysostomus* (10) dicit, « ne universum quidem mundum esse pretium animae. » *S. Gregorius Naz.* (11) inquit: « Animas esse ex Deo, atque divinae nobilitatis participes. » Maxima proinde inordinatio esset, si homo magis corpus, quam animam aestimaret, atque amaret, et maiorem pro illo, quam pro hac curam gereret. Ne ordo tam insipienti et culpabili modo pervertatur, homo destinationem suam probe cognoscere et considerare debet.

(1) Act. 20, 24. (2) Dial. 3.
(3) L. 3 c. Maximin. c. 12.
(4) L. 12 Mor. c. 17.
(5) In Sentent. S. Aug. n. 183.
(6) Serm. 81, in Cant.
(7) V. Petav. t. 1, lib. 3, c. 4.
(8) Ps. 8, 6. (9) L. 1 de summo bono.
(10) Hom. in Ps. 48, n. 5. (11) Or. 1.

ARTICULUS III.
De hominis destinatione, et imagine divina eidem impressa.

§ 201. Magnum hominis ratione praediti privilegium est, ut non solum rerum existentiam et qualitates, sed etiam earundem finem, et destinationem cognoscere possit. Ita probe intelligimus, e. g. solem ad diffundendum calorem et lucem, herbas ad alendos homines et animalia etc. destinari. In tali theologica consideratione etiam infinitam Creatoris sapientiam admirari debemus, qui res ita disposuit, ut ad finem et destinationem suam maxime accommodatae essent (Th. gen. § 29). - Si autem dignum et iustum, aequum et salutare est, talia de rebus extra nos existentibus inquirere et considerare, multo magis conveniens, imo et necessarium est, ut attenta mente investigemus, quem in finem Deus nosmetipsos condiderit, et quomodo ad illum acquirendum nos idoneos fecerit. Ut has summi momenti veritates recte cognoscamus: 1° *de hominis destinatione, et* 2° *de imagine divina, ipsi impressa* agendum est.

I. *De hominis destinatione.*

§ 202. Ex cognita natura hominis finem quoque, seu destinationem eiusdem deduci posse, in Theologia generali (§ 41) probatum est. Ratio enim intelligit, talem hominis finem statuendum esse, quo posito nulla ipsi facultas frustra insita sit, et quem omnes eius facultates cum suis legibus et originariis stimulis promoveant. Reiicienda ideo est *Eudaemonistarum* et *Puristarum* sententia, qui vel solam felicitatem, vel solam moralitatem pro fine hominis statuunt, atque dicendum est, finem seu destinationem hominis esse harmoniam moralitatis et felicitatis, veritati innixam. Hanc ipsam vero rationis theoriam de fine hominis divina revelatio non solum approbat, sed et maiori luce perfundit. Ex hac cognoscimus, hominem ideo conditum esse, ut veritatem cognoscens moralitatem perfectam libere sectetur, et per hanc felicitatem veram, summam et aeternam consequatur.

1. Sicuti ratio ostendit, Religionem necessariam esse (Th. gen. § 44), et hanc exigere, ut homo omnes facultates suas, et quidquid rerum externarum ipsum afficit, ex puro motivo ad Deum referat, quem interne, et externe colere tenetur (ibid. § 46 et 47): ita etiam Revelatio clarissime enuntiat, summum hominis officium esse, ut Deum colat, timeat, amet, eiusque sanctissima praecepta observando ad perfectam moralitatem, seu sanctitatem tendat. Id iam colligitur ex fine totali cunctis creaturis praefixo. Nam *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (1): universa ergo entia, quae ex manibus divinis prodierunt, ad promovendam gloriam Dei destinata sunt (§ 141): creaturae autem irrationales mediate tantum finem totalem promovent, dum creaturis rationalibus attributa divina manifestant (ibid. nota 1): homo vero immediate propter Deum creatus fuit atque ideo ipsius proxima ac praecipua destinatio est, ut Dei magnitudinem cognoscat et adoret, beneficia laudet, omnipraesentiam ante oculos habeat, iustitiam timeat, omnipotentiam et misericordiam plenus fiducia imploret, pulcritudinem amet, praecepta observet, et sic supremum Numen, Creatorem suum in omnibus glorificet.—S. Scriptura tum V., tum N. T. ubique homines exhortatur, ut haec summi momenti officia adimplentes destinatio-

(1) Prov. 16, 4.

nem suam assequantur. Ideo sane Deus Abrahamo dixit: *Ambula coram me, et esto perfectus* (1); ex eadem ratione laudantur *Henoch* (2), *Noë* (3) et alii, quia cum Deo ambulaverunt; quibus verbis indigitatur, Patriarchas Deum colentes, et praecepta eius observantes, destinationem suam assecutos esse. Populo israëlitico Moyses dixit: *Quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini* (4) etc. Porro homines ad summam perfectionem moralem tendere debere, patet ex locis, in quibus sanctitas Dei ipsis tanquam exemplar proponitur: Deus per Moysen filiis Israël dixit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester* (5); et: *Sanctificamini, et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. Custodite praecepta mea, et facite ea: Ego Dominus, qui sanctifico vos* (6). In Psalmis frequentissime homines extimulantur ad Deum adorandum (7), laudandum (8), magnificandum(9), timendum(10), diligendum(11), cum spe et fiducia invocandum (12), et ad mandata eius fideliter observanda (13). Egregie Ecclesiastes XII, 13 etc. totam hominis destinationem exprimit, dicens: *Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo. Et cuncta, quae fiunt adducet Deus in iudicium.* Cum veteri consonat novum Testamentum. Christus enim non venit *solvere legem, aut prophetas, sed adimplere* (14), atque perficere. Quapropter divinus Redemptor, homines ad summam perfectionem moralem obligans, ait: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* (15). In eundem finem docet, Deum in spiritu et veritate adorandum (16), ipsum solum timendum (17), ipsi soli serviendum (18); et remota omni anxia sollicitudine filialem confidentiam in ipsum reponendam esse (19). Praecipue vero Cristus cuilibet homini inculcat summum diligendi Deum officium, ait enim: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum* (20). Dilectio autem Dei ita efficax esse debet, ut hominem ad omnia mandata divina observanda impellat. Idcirco Christus ait: *qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me* (21). Sicut Christus ita etiam Apostoli gravissimis monitis homines ad moralem perfectionem, seu ad perfectam sanctitatem exhortantur. S. Petrus fidelibus acclamat: *Secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum* (22). S. Paulus I Thess. scribit: *Haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra* (23). Idem Apostolus ita persuasus fuit, homines ad Deum ubique glorificandum destinari, ut I Cor. scribere: *Sive ergo manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite* (24). Ex citatis S. Scripturae locis clare patet, proximam ac praecipuam hominis destinationem esse perfectam moralitatem et sanctitatem, seu hominem immediate

(1) Gen. 17, 1. (2) Gen. 5, 22. (3) Ib. 6, 9.
(4) Deut. 10, 12. (5) Lev. 19, 2.
(6) Ib. 20, 7 etc. — Cf. Lev. 11, 44.
(7) Ps 28, 2. (8) Ps. 148.
(9) Ps. 33, 4. (10) Ps. 32, 8
(11) Ps. 30, 24. (12) Ps. 49, 15.
(13) Ps. 118. (14) Matth. 5, 17.
(15) Matth. 5, 48. (16) Io. 4, 24.
(17) Matth. 10, 28. (18) Matth. 4, 10.
(19) Matth. 6, 25-34. (20) Matth. 22, 37.
(21) Io. 14, 21. (22) 1 Ep. 1, 15 etc.
(23) 4, 3. (24) 10, 31.

propter Deum creatum esse ita, ut omnes facultates suas ad Deum referre, et eiusdem gloriam ubique et in omnibus promovere teneatur. Sicuti autem entia inanimata pathologico modo ad fines suos diriguntur; ita homo *libero modo* tum finem debitum sibi praefigere, tum omnibus viribus ad illum tendere tenetur: huiusce libertatis testes sunt monita, praecepta, et motiva, quibus in Ss. Litteris ad officium suum implendum excitatur (§ 199, n. 4). Eandem esse *Ss. Patrum* doctrinam, nullus negare potest. Ubique enim docent, primarium hominis officium esse, ut Deum colat, ipsi soli serviat, eius praecepta observet et ad perfectam sanctitatem tendat. Ad hoc summi momenti officium adimplendum homines. de quorum libertate non dubitarunt, monitis, promissionibus, minis, aliisque motivis propositis excitare nunquam cessaverunt. Imo de exposita iam destinatione hominis ita persuasi fuerunt, ut clare assererent, hominem in omnibus actionibus suis sibi pro fine gloriam Dei praefigere debere. Sic *S. Basilius* (1) ait: « Christianus omni actione tam parva, quam magna ad Dei voluntatem directa simul et opus suum diligenter conficit et perficit praeceptum illud: *Sive manducatis* etc. » *S. Augustinus* (2) inquit: « Haec regula dilectionis divinitus constituta est, ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa, quae confers. » Idem (3) scribit: « Quo fine facias, vide. Si eo id facis, ut tu glorificeris, hoc prohibuit; si autem ideo, ut Deus glorificetur, hoc iussit. » *S. Bernardus* (4) dicit: « Quidquid facimus, iubemur facere propter gloriam Dei. » *S. Thomas* (5) ait: « Sub praecepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; et ideo praeceptum charitatis homo implere non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. »

2. Sicut divina Revelatio moralitatem iubet, ita etiam felicitatem pollicetur, quae tamen solummodo per illam obtinenda est. Ideo iam Caino dictum est: *Si bene egeris, recipies* (6). Frequentissime in S. Scriptura, qui moralitatem debito modo sectantur, beati praedicantur: *Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini* (7) etc. *Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis* (8) etc. Sed Ps. I, 4 *non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae*. Variae etiam rationes tam diversae sortis in Ss. Bibliis adducuntur. Nam iis tantum, qui destinationem suam debito modo prosequuntur, pax, honor, protectio divina, et per hanc varia bona ad temporalem et spiritualem felicitatem conducentia promittuntur. Ps. CXVIII, 165 dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam*, sed Is. XLVIII, 22: *non est pax impiis*. I Reg. II, 30 Deus ipse dicit: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Idem Prov. VIII, 17 profitetur: *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me;* ast Sap. XIV, 9 legitur: *Odio sunt Deo impius, et impietas eius*. Ideo Propheta regius inquit: *Iniusti autem disperibunt simul: reliquiae impiorum interibunt. Salus autem iustorum a Domino. et protector eorum in*

(1) In Regulis fusius tractatis resp. ad 5 inter (2) L. I de doctr. christ. c. 22.
(3) En. in Ps. 53.

(4) Serm. 2 de divers. n. 5.
(5) 1. 2, q. 100, art. 10 ad 2.
(6) Gen. 4, 7. (7) Ps 118, 1. (8) Ps. 111, 1.

tempore tribulationis; et adiuvabit eos Dominus, et liberabit eos: et eruet eos a peccatoribus et salvabit eos: quia speraverunt in eo (1). Israëlitis legem divinam observantibus magna felicitas temporalis promittitur (2); sed a via mandatorum recedentibus maxima infortunia praedicuntur (3). Iustis denique etiam longaeva vita promittitur (4), et Prov. X, 27 dicitur: *Timor Domini apponet dies: et anni impiorum breviabuntur*. Ex his iam patet, in divina Revelatione ita moralitatem praecipi, ut etiam respondens illi felicitas promittatur. Ast Revelatio in destinatione hominis nobis adhuc maius ac excellentius quid ostendit, et altius animos nostros attollit. Ipsa certos nos reddit, Deum nobis non solum naturalem et terrestrem ex virtute manantem felicitatem praestituisse, sed etiam hac omnino superiorem et supernaturalem, quam ratio nec sibi competentem praetendere, nec viribus propriis obtinere potest. Iuxta doctrinam ergo Revelationis ultimus finis hominis, per ipsam moralitatem, seu sanctitatem obtinendus, est summa et aeterna beatitudo, quae in visione et fruitione Dei, infiniti boni, consistit. Hanc Deus Abrahamo, sibi fideliter servienti promisit, dicens: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis* (5). Eadem promissio ad omnes iustos extenditur: *Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum* (6). Ad Apostolos suos Christus dicit: *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis* (7). Eiusdem beatitudinis omnes participes fieri possunt, quia *Deus omnes homines vult salvos fieri* (8). Idcirco S. Petrus scribit: Deus *vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu* (9). Paulus inquit: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam* (10). Apoc. II, 10 dicitur: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae*. In hac porro beatitudine immensis et aeternis gaudiis fruemur; nam I Io. III, 2: *videbimus eum* (Deum) *sicuti est*; I Cor. XIII, 12: *tunc autem facie ad faciem*; imo erimus Matth. XXII, 30: *sicut Angeli Dei in Coelo*, talibus repleti gaudiis, quae a mente humana comprehendi, et explicari non possunt. Nam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (11).

Nota. Nihil ita hominis dignitatem ostendit sicut sublimis finis, ad quem ordinatur. Factus est enim homo ad cognoscendum et colendum Deum, cui servire regnare est. Et in quale excellentius obiectum homo facultates suas dirigere potest, quam in Deum, veritatem primam, sanctitatem summam, bonum infinitum? — Iam in hac vita vera mentis tranquillitas extra Deum inveniri nequit. Nam, uti ad Deum loquitur *S. Augustinus* (12): « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Crescit hominis dignitas, si consideremus, ipsum ad aeternam Dei visionem et fruitionem destinari, ex qua talis beatitudo consurgit, qua maior cogitari nequit. Sublimem suam destinationem homo perpetuo ante oculos habere debet: nam ex sola illius oblivione fieri potest, ut a recta semita deviet vanis et caducis bonis inhiando. Quo frequentius autem homo nobilem suum finem contemplatur, eo maiori studio

(1) Ps. 36, 38 etc. (2) Deut. 29, 8 etc. (3) Ibid. v. 17 etc. (4) Ps. 90, 16. (5) Gen. 15, 1. (6) Sap. 5, 16. (7) Matth. 5, 12. (8) 1 Tim. 2, 4. (9) 1 Ep. 5. 10. (10) Rom. 6, 22. (11) 1 Cor. 2, 9. (12) L. 1 Conf. c. 1.

perfectam moralitatem et sanctitatem sectabitur.

II. De imagine divina homini impressa.

§ 203. Deus creaturas suas ita sapientissime construxit, ut ad fines suos obtinendos maxime idoneae essent. De hac veritate eo magis persuademur, quo diligentius entia creata consideramus, et in eorundem structura miram concinnitatem, et scopo congruentiam observamus. Exinde recte inferimus, etiam hominem a Deo ita conditum, talibusque facultatibus ac donis insignitum esse, ut nobilissimam suam destinationem assequi posset. Id etiam iam in ipsa historia creationis indigitatur, dum homo ad imaginem et similitudinem Dei factus dicitur. Creaturus enim Deus hominem dixit Gen. I, 26: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, ac additur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum* (1). Hoc idem repetitur Gen. V, 1: *In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum*, et: Gen. IX, 6: *Ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Sap. II, 23 dicitur: *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum*. Eccli. XVII, 1: *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum*. Iac. III, 9: *homines... ad similitudinem Dei facti sunt*. In his S. Scripturae locis non obscure innuitur, duplex privilegium esse homini concessum, qui tum *ad imaginem*, tum *ad similitudinem Dei* creatus dicitur. Quoniam autem S. Scriptura distinctionem istam haud satis declarat, recurrendum est ad Traditionem, quae est linea, iuxta quam S. Scripturam exponere oportet. Ex Traditione vero cognoscimus, per *imaginem* facultates et praerogativas animae naturales, per *similitudinem* autem virtutes et dotes animae supernaturales intelligendas esse. Hanc fuisse Ss. Patrum doctrinam, probat Cl. *Bellarminus* de gratia primi hominis (2), ubi eorundem dicta refert, ac demum concludit: « Ex his igitur tot Patrum testimoniis cogimur admittere, non esse omnino idem imaginem, et similitudinem, sed imaginem ad naturam, similitudinem ad virtutes pertinere. » Recte igitur Theologi duplicem imaginem divinam in homine distinguunt, nimirum *naturalem*, quae in facultatibus et praerogativis hominis naturalibus consistit, et *supernaturalem*, quae sita est in gratia et sanctificatione hominis, qua ipse consors fit naturae divinae (3). Duplex haec imago divina homini concessa fuit, ut sublimem suam destinationem assequi posset. Utramque propius considerare oportet.

1. Homo a benignissimo suo Creatore tales facultates naturales accepit, quibus caeteris rebus terrestribus longe antecellit, et imago Dei omni iure dicitur.

Primario haec imago Dei naturalis sita est in mente hominis, sive in eo, quod homo sit naturae intelligentis; per rationem enim, mentem et intellectum homo maxime refert Deum, illique prae aliis creaturis simillimus est. Etiam Patres in ratione, seu mente hominis imaginem divinam agnoscunt. *Clemens Alex.* (4), « hoc ipsum, quod dicitur *ad imaginem, et similitudinem*, non ad corpus referri, ait; non enim mortale immortali assimilari fas est, sed ad mentem, et ratiocinationem. » Idem (5) scribit: « Hominem ad Dei imaginem esse

(1) Gen. v. 27. (2) Cap. 2.

(3) V. Cornel. a Lapide Comment. in Gen. 1, 26. (4) L. 2 Strom. (5) L. 6 Strom.

factum non propter structurae suae figuram, sed quoniam uti Deus ratione molitur omnia, sic homo, qui perfecta cognitione praeditus est, ex rationali facultate bonas et honestas actiones exequitur. » *S. Gregorius Nyss.* (1) in verba: *faciamus hominem* etc. dicit, « secundum imaginem rationalem substantiam esse creatam. » *S. Gregorius Naz.* (2) asserit, « Deum homini, sive corpori ex humo formato a se ipso vitam inspirasse, hoc est, intelligentem animam et imaginem Dei. » *S. Ambrosius* lib. de dignitate condit. hum. cap. 11 inquit: « Sicut Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens et gubernans; sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans, movens illud et gubernans; » et inferius addit: « Sicut Deus est, vivit et sapit; ita anima secundum suum modum est, vivit et sapit. » *S. Augustinus* l. 12 de Trin. (3) ait: « Sicut non solum veracissima ratio, sed etiam ipsius Apostoli declarat auctoritas, non secundum formam corporis homo factus est ad imaginem Dei, sed secundum rationalem mentem. » Idem Tract. 3 in Io. sic hominem affatur: « Non distas a pecore, nisi intellectu. Noli aliunde gloriari etc. — Unde ergo melior es? ex imagine Dei. Ubi imago Dei? in mente, in intellectu. »

Secundo multi Patres imaginem Dei naturalem, quam refert homo, in libero arbitrio reponunt, quod rationem, seu intellectum supponit, et alteram naturae spiritualis praerogativam constituit. *Tertullianus* lib. 2 c. Marcion. (4) ait: « Liberum, et sui arbitrii et suae potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem et similitudinem Dei in illo animadvertens, quam eiusmodi status formam. Neque enim facie et corporalibus lineis variis in genere humano ad uniformem Deum expressus est, sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est animae, ad formam Dei spondentis, et arbitrii sui libertate et potestate signatus est. » Ibid. (5) scribit: « Oportebat igitur, imaginem et similitudinem Dei, liberi arbitrii et suae potestatis institui, in qua hoc ipsum imago et similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas et potestas; in quam rem ea substantia homini accommodata est, quae huius status est, ad statum Dei utique liberi et suae potestatis. » *S. Ambrosius* (6) inquit: « Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra, quae libera est, et diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quae considerando spectat omnia. » *S. Gregorius Nyss.* (7) docet, oportuisse hominem suae potestatis arbitriique liberi esse, ne ex hac parte defecta esset imago et archetypo dissimilis; « etenim regnantis ac dominantis naturae, qui tandem imago dici posset illa, quae necessitatis legibus adstricta foret? » *S. Hieronymus* (8) scribit: « Solus Deus est, in quem peccatum non cadit. Caetera enim cum sint liberi arbitrii, iuxta quod et homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem. » *Macarius* (9) ita hominem alloquitur: « Tu vero propterea es ad imaginem et similitudinem Dei, quoniam, uti Deus sui iuris ac potestatis est, et quod vult facit etc., ita etiam tu potestatis es tuae. » *S. Cyrillus Alex.* (10) dicit, « partem illam esse

(1) Or. 1. (2) Or. 38. (3) C. 7.
(4) Cap. 5. (5) Cap. 6.
(6) Lib. 6 Hexaem. c. 8.

(7) Or. Catechet. cap. 5.
(8) Epist. 146. (9) Hom. 15. (10) L. 9 in Io.

imaginis, quod suae spontis est homo, et voluntates proprias habet in potestate, sicut Deus suas. » *S. Io. Damascenus* l. 2 de fide c. 12 inquit: « Quod ad imaginem factum in homine dicitur, intelligens significat, et liberum, ac sui iuris. » Ibid. lib. 3 c. 14 haec habet: « Cum ad imaginem beatae et supersubstantialis divinitatis homo sit factus; sit autem divina natura per se libera, suique iuris ac voluntate praedita; consequens est, hominem, velut ipsius imaginem liberum esse natura sua et voluntate praeditum. » *S. Bernardus* (1) docet, « in libertate arbitrii ad imaginem ipsius, qui creavit, animam esse conditam. »

Tertio nonnulli Patres rationi et libero arbitrio, seu intellectui, et voluntati etiam memoriam adiungunt, et in his tribus naturalibus animae facultatibus imaginem Ss. Trinitatis admirantur. *S. Ambrosius* (2) ita disserit: « Licet unius illa (anima) naturae, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem et memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in Evangelio designatur, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*, id est, ex toto intellectu, et ex tota voluntate, et ex tota memoria etc. Nam sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria etc. — Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres Dii sunt, sed unus Deus tres habens personas: ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animae in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates, atque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo. » *S. Augustinus* l. 9 de Trinit. cap. 4 et seq., fusius hac de re disserens, tandem c. 12 concludit: « Est quaedam imago Trinitatis, ipsa mens et notitia eius, quod est proles eius, ac de seipsa verbum eius, et amor tertius, et haec tria unum atque una substantia. »

Quarto a Ss. Patribus imago divina constituitur in imperio dominatuque, quem in animalia ac terrarum orbem universum homini Deus concessit, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram: et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra* (3). Quae verba considerans *S. Gregorius Nyss.* (4) dicit: « Ut in vita hac artifices instrumentum ea forma moliuntur, quae usui sit apta: ita sic tanquam vas quoddam ad regni administrationem idoneum naturam nostram praestantissimus fabricavit artifex, ac tum animae dotibus, tum figura ipsa corporis talem designavit hominem, ut ad regnum esset aptissimus. » *Marius Victor* (5) canit: « Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe, et sit imago Dei. Similem decet esse creanti, liber ad arbitrium fruitur qui mente creatis. » *S. Chrysostomus* (6) ait: « Igitur ad dominationis imaginem factus est homo, non ad aliud quidquam. Etenim omnium, quae in terra sunt, principem creavit hominem Deus, neque quidquam est in terra maius illo, verum omnia sub eius potestate sunt. » Idem (7) inquit: « Hoc enim est secundum imaginem... secundum rationem do-

(1) In lib. de gratia et libero arbitrio.
(2) Lib. de dignitate conditionis humanae cap. 11. (3) Gen. 1, 26
(4) Lib. de hom. Opif. c. 4. (5) Lib. I.
(6) Hom. 8 in Gen. (7) Hom. 21 in Gen.

minii et principatus. Nam sicut omnium Deus principatum habet, super omnia tam visibilia, quam invisibilia, qui omnium conditor et opifex est: sic et cum formavit rationale hoc animal, voluit omnium visibilium praefectura insigne esse. Proinde et animae substantiam illi largitus est, volens ipsum immortale esse et perpetuum. » Idem (1) citans verba Gen. I, 26 dicit: « Et hunc brevem et tricubitalem, et viribus corporis brutis longe inferiorem fecit cunctis excelsiorem, animam rationis compotem ei largitus, quod quidem est honoris signum maximum. Per eam enim et civitates condidit, et mare secuit, et terram coluit, - et feras superavit etc. » Ex dictis patet, Ss. Patres circa imaginem divinam homini impressam varias prodere sententias: nullatenus autem putandum est, ipsos hac in re penitus inter se dissentire. Omnes enim conveniunt, imaginem divinam naturalem sitam esse in rationalibus animae facultatibus et in iuribus naturalibus exinde manantibus. Ideo solum Patres dissentire videntur, quia imaginem divinam quasi per excellentiam modo intellectui, modo libero arbitrio, modo utrique iuncta memoria, modo dominatui attribuunt. Dum autem imaginem divinam in homine sub uno respectu laudant, sub alio non negant; sicuti etiam dum de imagine divina naturali loquuntur, ideo supernaturalem non excludunt, uti ex dicendis patebit.

2. Deus hominem ad aeternam beatitudinem, quae in visione et fruitione Dei consistit, et omnino *supernaturalis* est dicenda, ita destinavit, ut illam de condigno mereatur, quae ideo etiam merces, praemium, corona iustitiae pro operibus bonis dicitur (§ praec. n. 2). Praemium autem supernaturale etiam merita supernaturalia exposcit, quae homo per solas vires naturales sibi comparare nullatenus valet. Indiget ergo homo adiutorio divino, quo super vires suas naturales extollatur, et in statum gratiae supernaturalis reponatur, ut nobilissimum suum finem assequi possit. Sicut autem Deus hominem ex gratuita bonitate ad beatitudinem supernaturalem destinavit, ita etiam ex gratuita bonitate eidem donum supernaturale concessit, dum ipsummet ad imaginem et similitudinem suam fecit. Imago enim divina supernaturalis consistit in gratia sanctificante, per quam homo Deo acceptus et similis redditur, et quae est primaria et maxime necessaria conditio, ut homo libero arbitrio donatus etiam supernaturaliter bene agere possit. Ita intelligendam esse imaginem divinam supernaturalem patet ex verbis Pauli. Nam Ephes. IV, 24 scribit: *Induite novum hominem, qui secundum Deum* (ad imaginem Dei) *creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* Idem Col. III, 10 ait: *Induentes novum* (hominem) *eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum.* Ex his locis patet, imaginem divinam supernaturalem consistere in eo, quod per peccatum amittitur et per poenitentiam recuperatur: id autem esse gratiam sanctificantem, in confesso est apud omnes. Ex iisdem Pauli monitis apparet, homines gratia adiutos iustitiae et sanctitati insistere, et virtutes exercere debere, ut imagini naturali etiam imagine supernaturali adiuncta, maiorem usque cum Deo sanctissimo similitudinem acquirant. Hoc idem docuerunt Patres et Ecclesiae Doctores, *imaginem* et *similitudinem* divinam in homine caute discernentes. *S. Irenaeus* (2) ait: « Si spiritus Dei

(1) Hom. in Ps. 48 (2) L. 5 adv. haer. c. 6.

animae iunctus cum creatura unitur, per hanc ipsam spiritus effusionem spiritualis et perfectus homo constituitur, et hic est, qui secundum imaginem et similitudinem Dei factus est. Si autem animae deest spiritus.... tunc homo habet quidem imaginem in plasmate, sed non obtinet similitudinem per spiritum. » *Clemens Alex.* (1) ex aliquorum sententia refert: « id quod est ad imaginem, statim in ipsa generatione hominem accepisse, ut autem ad similitudinem sit, postea in consummatione esse capturum. » Similitudinem nempe reponit in perfecto animi corporisque statu omnium virtutum ac bonorum possessione cumulato, qui nos Deo quam proximos reddit (2). *Origenes* (3) inquit: « Deus dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* si autem postea solum dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*, de similitudine vero tacetur; ex hoc probatur, hominem in prima creatione imaginem Dei accepisse, perfectam vero similitudinem pro consummatione reservatam esse ita, ut propria diligentia, accepta ex dignitate imaginis ad hoc possibilitate, per imitationem Dei in perfectis bonis operibus ad similitudinem Dei pertingat. » *S. Gregorius Nyss.* (4) in verba: *Faciamus hominem*, etc. declarans, cur duplici verbo Deus usus sit: *imagine* et *similitudine* dicit: « Unum (imago) situm est in creatione, alterum (similitudo) in electione. Creationi adscribere debemus, quod ad imaginem Dei facti sumus, sed per voluntatem et propositum assequimur, ut Deo similes reddamur... Imagini adscribere debeo, quod ratione praeditus sim, similitudinem adipiscor, si bonus sum. » *S. Ambrosius* (5) ita fideles exhortatur: « Fugiamus haec mala et transformemus animam nostram ad illam imaginem Dei et similitudinem. Fuga malorum similitudo Dei est, et virtutibus imago Dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit auctor, pinxit virtutum coloribus. » *Gelasius* (6) inquit: « Bonus Deus natura sua, intelligenti hominis substantiae indidit illud, ad imaginem ipsius et similitudinem ut bonitatem, simplicitatem, sanctitatem, puritatem, etc. » *S. Augustinus* (7) ait: « Ille spiritus dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei, in quo est cognitio veritatis et amor virtutis. Imago siquidem in cognitione, similitudo in dilectione: imago, quia rationalis, similitudo, quia spiritualis. » *S. Cyrillus Alex.* (8) adseverat, imaginem Dei in Spiritus sancti communicatione sitam esse. *S. Maximus Martyr* (9) haec habet: « Ad imaginem sunt omnes prorsus homines; ad similitudinem vero soli boni et sapientis. » *S. Anselmus* (10) inquit: « Similitudinem ad Deum hoc modo habere poterimus, si eum bonum esse considerantes, nos boni esse studuerimus; si eum iustum esse cognoscentes, nos iusti esse contendamus; si misericordem contemplantes, nos misericordiae operam demus. » *S. Thomas* (11) ita disserit: « Alio modo potest considerari similitudo secundum quod significat imaginis expressionem et perfectionem. Et secundum hoc *Damascenus*(12) dicit: quod est secundum imaginem, intellectuale significat, et arbitrio liberum per se potestativum. Quod autem secundum similitudinem, virtu-

(1) Lib. 2 Strom. c. 22.
(2) Cf. Strom. l. 7, c. 3.
(3) L. 3 de princip. c. 6, n. 1.
(4) Orat. 1. (5) L. de bono mortis c. 5.
(6) In Actis Nicaenae Synodi P. 2, c. 16.
(7) De spiritu, et anima c. 10.
(8) Thesaur. c. 34, et in Dial. 6
(9) Cent. 3. c. 25. (10) Medit. 1.
(11) 1, q. 93, a. 9 (12) L. 2, c. 12.

tis (secundum quod homini possibile est inesse) similitudinem. Et ad idem refertur, quod similitudo dicitur ad dilectionem virtutis pertinere. Non enim est virtus sine dilectione virtutis »(1).

Nota 1. Circa imaginem divinam turpiter aberrarunt *Antropomorphitae*, putantes, divinitatem adinstar animae humanae corpore circumscriptam esse, et hac de causa hominem ad imaginem Dei factum dici, quorum error iam refutatus est (§ 20 et § 22). Cum isto errore non est confundenda sententia nonnullorum, e. g. *Irenaei*, *Tertulliani*, *Prudentii* etc. asserentium, hominem etiam quoad corpus conditum esse, ad imaginem Christi, seu Verbi carnem assumpturi: isti enim Patres Deum corpore expertem crediderunt, neque negarunt, imaginem divinam etiam naturalem primario in facultatibus animae rationalis et liberae sitam esse, uti constat de *Tertulliano*(2). — *S. Epiphanius* (3) contendit, certum esse, hominem ad imaginem Dei factum esse, sed nullo modo determinari posse, qua in parte ista ratio imaginis collocanda sit: sed singularis haec sententia per ea, quae probata sunt, satis refellitur. — Nonnulli etiam autumarunt, imaginem divinam mulieribus non competere, sed solum viris, quia Paulus dicit: *Vir... imago, et gloria Dei est*, *mulier autem gloria viri est* (4). Sed haec sententia admitti nequit, quoniam etiam mulier ratione et libero arbitrio praedita, gratiae sanctificantis et virtutis capax est. Egregie hanc difficultatem solvit *S. Thomas* (5) dicens: « Tam in viro, quam in muliere invenitur Dei imago quantum ad id, in quo principaliter ratio imaginis consistit, scilicet quantum ad intellectualem naturam. Unde cum dixisset: *Ad imaginem Dei creavit illum* (6), scilicet hominem, subdit: *Masculum, et foeminam creavit eos:* et dixit pluraliter *eos*, ut *Augustinus* (7) dicit: Ne intelligatur in uno individuo uterque sexus fuisse coniunctus. Sed quantum ad aliquid secundarium imago Dei invenitur in viro, secundum quod non invenitur in muliere. Nam vir est principium mulieris et finis, sicut Deus est principium et finis totius creaturae. Unde cum Apostolus dixisset, quod *vir imago et gloria Dei est*, *mulier autem est gloria viri;* ostendit quare hoc dixerit, subdens: *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro: et vir non est creatus propter mulierem, sed mulier propter virum.* » *Sociniani* imaginem divinam nihil aliud esse dicunt nisi dominium, quod habebat homo in res creatas: id post *Socinum* (8) docet Catech. Racov. (9). *Lutherani et Calviniani* contendunt, per imaginem Dei non esse intelligendam nisi « notitiam Dei certiorem, timorem Dei, fiduciam Dei, aut certe rectitudinem et vim ista efficiendi. Idque aiunt, testatur Scriptura, cum inquit, hominem ad imaginem et similitudinem Dei conditum esse » (10). Agnoscunt ergo aliquo modo imaginem divinam supernaturalem, iuxta quam homo conditus est, sed negant naturalem, quia de illa solum loquitur Paulus Eph. IV, Col. III. Ast si Apostolus in his locis de imagine divina supernaturali loquitur, nullatenus ideo naturalem negat: de hac quoque ipse loquitur, dum dicit: *Vir imago et gloria Dei est* (11), etc.; quod certe non de gratia sanctificante,

(1) Cf. Petav. de opif. 6 dier. l. 2, c. 2, et seq., Staudenmayr § 91. (2) L. c. n. 1.
(3) Haer. 70. (4) 1 cor. 11, 7.
(5) 1, q. 93, a. 4 ad 1. (6) Gen. 1.
(7) L. 3, sup. Gen. c. 22
(8) Prael. Theol. c. 3. (9) C. 1.
(10) V. Mohler Symb. l. 1, c. 1, § 2.
(11) 1 Cor. 11, 7.

quam etiam mulier habere potest, sed de dominatu intelligi debet, quem vir per peccatum non amittit, cum ex praecepto Apostolorum etiam discolis praepositis obediendum sit.

Nota 2. Quaesitum est an solus homo ad imaginem Dei conditus sit, an etiam Angelis eadem praerogativa competat. *Methodius* (1), *Theodoretus* (2) et *Macarius* (3) hanc Angelis denegarunt, quia in Ss. Bibliis imagines Dei non vocantur. Sed cum Angeli intellectu et voluntate praediti, atque gratia sanctificante ornati sint, negari nequit, rationem imaginis divinae in ipsis quoque inveniri. *S. Chrysostomus* (4) explicans illa verba, *Qui est imago Dei invisibilis*, quaerit: « Cur nusquam Angelus neque filius, neque imago nominatur, homo vero utrumque dicatur? » Et respondet, id ea causa factum esse, quod si Angelo illa tribuerentur, propter naturae eius excellentiam facile divinus honor ei tribueretur; in homine vero nullum insit tale periculum ob humilem eius et abiectam conditionem. *S. Gregorius M.* (5) dicit, Angelum *Signaculum similitudinis Dei* (6) dici, « ut quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. » Dum autem sive hominem, sive Angelum imaginem Dei dicimus, committendum non est, ut eos Filio Dei pares ponamus, qui itidem *imago Dei* (7) appellatur. Est enim Verbum, seu Filius imago Dei perfectissima, essentialis, communem habens cum Patre eandemque numero essentiam divinam, sola hypostasi ab eo distincta, a cuiusmodi quidem similitudine, seu potius aequalitate sive Angelus, sive homo infinite distant, cum in his non sit, nisi imago finita, creata et analogica similitudinis inadaequatae et imperfectae sensu explicatae. Gratias tamen Deo semper agere debemus, quod talibus nos donis naturalibus et supernaturalibus instruxerit, quibus ad nobilissimam et beatissimam destinationem nostram pervenire possimus.

(1) Ap. Phot. l. de Castit.
(2) Q. 20 in Gen. (3) Hom. 15.
(4) Hom. 3 in Ep. ad Colos. 1, 15

(5) L. 1 Mor. c. 18. (6) Ezech. 28.
(7) 2 Cor. 6, 4. Col 1, 15.

ARTICULUS IV.

De Protoparentum gratia et felicitate.

§ 204. Quamvis ex hactenus dictis pateat, nos homines quoad corpus et animam a benignissimo Creatore magnis praerogativis exornatos et ad nobilissimum finem destinatos esse; ex altera tamen parte praesentem nostrum statum considerantes probe cognoscimus, nos a veritate et moralitate facillime deficere, virtutes non sine magna difficultate exercere, per inordinatas passiones, quas sentimus, saepe in devia abripi, et etiam quoad corpus multis miseriis repleri. Magni profecto momenti est, ut indagemus, an etiam primi homines, Adam et Eva, in eodem statu uti nos conditi fuerint, vel an meliorem ac feliciorem conditionem adepti sint. Agitur hic de facto historico, quod a liberrima supremi rerum omnium Auctoris voluntate dependet, et quod ideo non ex ratione, sed solum ex Revelatione cognosci et probari potest. Hanc regulam non adtendentes, et praedictam quaestionem ex principiis philosophicis magis quam ex doctrina Revelationis solvere tentantes, in gravissimos errores prolapsi sunt. Nonnulli dixerunt, Adamum et Evam in eodem statu conditos esse, in quo nos generamur, ipsosque tunc immunes quidem a peccato, sed nullis donis supernaturalibus exornatos fuisse: ita senserunt *Pelagiani*, et eandem

sententiam defendunt *Sociniani* et *Arminiani*, quibus *Rationalistae* adstipulantur. Alii e contra recte quidem docuerunt, hominem primum ita conditum fuisse, ut non solum a peccato, a morte et a praesentis vitae miseriis immunis, sed etiam iustitia originali, seu gratia sanctificante ornatus esset; ast ulterius progressi sunt ita ut dicerent, statum, in quo primus homo conditus fuit, eidem debitum fuisse et naturalem: hunc errorem defendunt *Lutherani*, *Calviniani* et *Iansenistae*. Ex utroque errore falsa consectaria deducuntur, quae fundamentalibus Religionis christianae dogmatibus adversantur: ex priori enim infertur, nullam esse gratiae necessitatem, nullum originale peccatum, nullam proprie dictam redemptionem et reparationem; ex posteriori deducitur, concupiscentiam verum esse peccatum, hominem lapsum destitutum esse libero arbitrio, opera bona nulla dari etc. Magnae igitur necessitatis est, ut vera de originario primorum hominum statu doctrina non ex principiis philosophicis, sed ex divina Revelatione hauriatur, declaretur, et contra adversariorum sophismata defendatur. Ex divina autem Revelatione discimus: 1° *Primos parentes in statu iustitiae et sanctitatis constitutos fuisse a Deo;* 2° *cum originali parentum iustitia coniuncta fuisse eximia tum animae, tum corporis dona;* et 3° *statum iustitiae, seu gratiae sanctificantis et felicitatis, in quo primi homines a Deo constituti sunt, nullatenus eis debitum fuisse.* Istae tres propositiones declarandae et solide probandae sunt, ut his oppositi errores refellantur, atque pro dogmatibus summi momenti iam in decursu pertractandis fundamenta ponantur.

I. *Primi parentes in statu iustitiae seu sanctitatis a Deo constituti sunt.*

§ 205. Donis naturalibus, quibus protoparentes quoad corpus et animam insigniti fuerunt, additum est a benignissimo Creatore etiam donum supernaturale, nimirum iustitia originalis, seu gratia sanctificans, per quam ad statum supernaturalem evecti, et charitatis vinculo Deo uniti fuerunt. Propositio haec ad fidem spectat, utpote in S. *Scriptura* et in *Traditione* contenta, atque *ab Ecclesia definita*.

1. Ecclesiastes c. VII, v. 30 ait: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum*, quod non solum de rectitudine morali, sed praecipue de iustitia et sanctitate supernaturali intelligendum est, quia per hanc solum homo vere rectus coram Deo ad destinationem suam aptus, iustus et sanctus fit: de hoc primi hominis privilegio sermonem esse patet ex ipsa voce hebraea: *Iasciar, rectum*: nam eadem vox adhibetur tum ad sanctitatem Dei exprimendam, tum ad significandos homines, qui per iustitiam, seu gratiam sanctificantem Deo uniti sunt: sic *Deus fidelis... iustus, et rectus* (1). *Moriatur anima mea morte iustorum* (2). *Salvos facit rectos corde* (3). *Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio* (4). Omni iure igitur ex citato loco Eccl. VII, 30 infertur, Deum ita hominem fecisse, ut esset *rectus*, i. e. iustitia, et sanctitate supernaturali ornatus. Hoc idem ex *Genesi* eruitur. Deus enim creaturus Adamum dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram:* per *imaginem* autem facultates animae naturales, per *similitudinem* vero donum supernaturale gratiae sanctificantis in-

(1) Deut. 32, 4. (2) Num. 23, 10.
(3) Ps. 7, 11. (4) Ps. 32, 1.

lelligi debere, § 203 probatum est. Nec refert, quod Gen. I, 27 solum legatur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam* etc., nam Gen. V. I etiam *ad similitudinem Dei* Adam factus dicitur (1). — Invictum denique pro praesenti dogmate argumentum suppeditant verba Pauli, quibus praecipimur *renovari*; ut: *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis* (2); et: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creavit illum* (3). Porro, ut observat *Bellarminus* (4), qui renovari iubetur, fuit aliquaudo novus. Quod si renovatio in eo posita est, ut induamus hominem Christo similem, creatum secundum Deum in iustitia et sanctitate veritatis, fuimus igitur aliquando, in primo videlicet parente nostro, homines novi, conditi secundum Deum in iustitia et sanctitate veritatis; seu quod idem est, primi parentes fuerunt a Deo in iustitia et sanctitate constituti.

2. *Traditio* Ecclesiae patet ex adductis (§ 203, n. 2) sententiis *Ss. Patrum*, qui per similitudinem divinam in homine rectitudinem moralem, iustitiam, seu gratiam sanctificantem intelligunt. Cum enim Adam conceptis verbis non solum iuxta imaginem, sed etiam ad similitudinem Dei factus dicatur, eo ipso citati Patres testantur, Adamum, antequam laberetur, in iustitia et sanctitate constitutum fuisse. His testimoniis alia quoque addi possunt. *S. Cyprianus* (5) dicit: « Non per manus impositionem quis nascitur quando accipit Spiritum sanctum, sed in baptismo; ut spiritum iam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim Deus eum plasmavit, et tunc insufflavit in faciem eius flatum vitae. Nec enim potest accipi spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat. » *S. Gregorius Nyss.* (6) in haec verba: *Faciamus hominem* etc. docet, prius hominem conditum fuisse ad imaginem secundum naturalia, tum ad similitudinem secundum supernaturalia. *S. Hieronymus* (7) scribit: « Cum boni creati simus et recti a Deo, ipsi vitio nostro sumus ad peiora delapsi. » *S. Augustinus* (8) ait: « Nec ipsum ergo Adamum Deus esse voluit sine gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio: » et in Enchirid. c. 105 dicit, Adamum fuisse « conditum in salute. » *S. Io. Damascenus* (9) inquit: « Creavit Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere ornatum, Angelum alterum, adoratorem mixtum spiritum simul et carnem, spiritum ob gratiam. » Concilium *Arausicanum II* (10) haec habet: *Unde cum sine Dei gratia salutem non possit* (humana natura) *custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* Cum igitur reparetur per Christum gratia sanctificans, quam in Adam perdidimus, consequens est, hac sanctificante gratia primum hominem praeditum fuisse. Denique S. Scripturae et Traditionis documentis insistens *Concilium Tridentinum* Sess. V, can. 1 sic statuit: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse... anathema sit.* Et can. 2 definit, Adamum per prae-

(1) Cf. Sap. 2, 23. (2) Ephes. 4, 23-24.
(3) Colos. 3, 9 etc.
(4) L. de grat. primi hom. c. 3, n. 2 etc.
(5) Ep. 74 ad Pompeium. (6) Or. 1.
(7) L. 1 adv. Iovinian. c. 16.
(8) L. de corrept. et grat. c. 11.
(9) L. 2 de Fide, c. 12.
(10) Cap. 19.

varicationem *acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam... perdidisse.*

Nota 1. Omnes Theologi catholici unanimi consensu docent, Adamum ante lapsum institiam supernaturalem, seu gratiam sanctificantem a Deo accepisse. Non tamen ita consentiunt circa tempus, quo donum illud supernaturale Adamo concessum fuit. Communior equidèm et longe probabilior sententia est eorum, qui dicunt, primos parentes in ipso creationis momento cum donis naturalibus etiam gratiam sanctificantem obtinuisse, et in iustitia et sanctitate supernaturali *conditos* fuisse, ita ut etiam de hominibus dicendum sit, quod *S. Augustinus* (1) de Angelis dixit: « Deus erat... simul in eis condens naturam et largiens gratiam. » Hanc sententiam defendunt *S. Thomas* (2), *Suarez* (3), *Tournely* (4), et recentiores Theologi pene universi. Nonnulli autem veteres Theologi distinguunt iustitiam originalem, seu in ipsa creatione acceptam, a gratia sanctificante: illam reponunt in rectitudine quadam et sanitate tum corporis, tum animae, qua poterat homo facillime ea, quae sunt ordinis naturalis adimplere, ac contendunt, prius in illa originali iustitia conditum hominem fuisse, tum vero illum - et quidem ante eius lapsum, mox post creationem - a Deo sanctificantem gratiam accepisse. Huius sententiae fuerunt *Hugo Victorinus* (5), *Magister sentent.* (6), *Alex. Halensis* (7), *Scotus* (8), *S. Bonaventura* (9) et alii, qui pro hac sententia, cui etiam adducta loca *S. Cypriani et S. Gregorii Nyss.* favere videntur, hanc rationem afferebant: per gratiam sanctificantem perficitur matrimonium quoddam spirituale inter Deum et animam; quapropter ut aliquis accipiat gratiam requiritur consensus ex parte recipientis. Sed consensus in gratiam esse non potest nisi prius existentis: ergo homo non accepit gratiam in primo instanti suae creationis. Cl. *Möhler* (10) eandem sententiam commendat, quia melius ordinem naturae et ordinem gratiae distinguit, ostenditque, hominem ut imaginem Dei naturalem facultatem, seu dispositionem Deum cognoscendi et amandi habere, et ipsam naturam hominis a Deo creatam, in se bonam ac solummodo per libertatis abusum vitiatam fuisse. Caeterum hanc veterum scholasticorum sententiam non posse ut falsam, aut erroneam, et multo minus ut haereticam damnari, iam ostendit *Estius* (11). Ipsum *Concilium Tridentinum* noluit hanc sententiam reprobare. Equidem ab initio canon ita conceptus erat: Adamum iustitiam et sanctitatem, in qua *conditus* fuerat etc.; ast, ne praedictorum scholasticorum sententia reprobaretur, pro voce *conditus*, fuit substituta vox *constitutus*. Id testatur *Pallavicini* Hist. Conc. Trid. l. 7, c. 9, ubi dicit: « *Paceco* monente, non esse citra controversiam, an Adamus interiorem sanctitatem obtinuerit primo, quo creatus fuerit momento » praedictam mutationem factam esse, « unde patet, quam infirma a quibusdam deducatur probatio ad id affirmandum ex verbis Concilii, quae nunc extant.»

Nota 2. Sicuti nos ex S. Scriptura et Traditione dogmata probamus, ita etiam haeretici utroque fonte abuti solent ad errores suos defendendos. *Pelagiani* quoque et *Sociniani* ita pro

(1) L. 12 de Civ. Dei, cap. 9.
(2) 1, q. 95 art. 1.
(3) De op. 6 dier. l. 3 de creat. hom. c. 17.
(4) De gratia Ch. q. 2, art. 1.
(5) L. 2 de Sacr. (6) In 2, dist. 24
(7) 2 P. Summae q. 96.
(8) In 2 sent. dist. 29.
(9) In 2 dist. 29 art. 2, q. 2.
(10) Symbol. l. 1, c. 1 § 1.
(11) L. 2 sent. dist. 18 § 2.

re sua decertarunt, sed perperam, uti ex solutione obiectionum patebit.

Obi. I. Paulus docet, Adamum, quando creatus est, non habuisse Spiritum sanctum, nullam babuisse virtutem et gratiam supernaturalem, sed solummodo animam viventem vita quadam terrena; ait enim: ***Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam*** (Christus) ***in spiritum vivificantem. Sed non prius, quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra, terrenus, secundus homo de coelo, coelestis*** (1). Adam ergo sine gratia, Christus in sanctitate et iustitia creatus est. Confirmatur hoc idem auctoritate S. *Augustini*, qui (2), adductis Pauli verbis, ait: « Primus homo de terra terrenus in animam viventem factus est, non in spiritum vivificantem, quod ei per obedientiae meritum servabatur; » et l. 2 de Gen. c. Manich. (3) expresse asserit, Adamum gratia donatum non fuisse nisi postquam in paradisum translatus est.

Resp. Apostolus in adductis verbis antithesin instituit, non inter gratiam Adami et Christi, sed inter statum corporis Adami creati et corporis Christi post resurrectionem. Ut enim contextus evincit, ibi sermo est de statu resurgentium. Apostolus enim, conferens corpus recens formatum Adami cum corpore Christi post resurrectionem, corpus Adae *animale* vocat, utpote cibo potuque egens, et Christi corpus post resurrectionem, cum nulli necessitati sit obnoxium, *spiritale* vocavit. Caeterum potuit corpus Adae animale esse, et eius animus spiritualis, cuiusmodi revera fuit per babitantem in eo Spiritum sanctum. S. *Augustinus* (4) non loquitur de gratia sanctificante, sed solum dicit, nondum assecutum fuisse Adam in paradiso conditionem corporis glorificati, quae non erat tribuenda nisi eius fidelitati, quemadmodum et ea iusti donabuntur, cum gloriose resurgent: hanc esse S. Doctoris mentem patet ex eo, quia in eodem capite dicit, quod Apostolus sic loquatur, « volens a spiritali, quod in resurrectione futurum est, hoc, quod nunc est, animale discernere. » Alter locus (5) dogmati catholico non adversatur, quia S. Doctor iam profitetur, Adamum spiritualem factum esse, seu sanctificantem gratiam accepisse «cum in paradiso constitutus praeceptum etiam perfectionis accepit: » iste locus solum sententiae illorum faveret, qui dicunt, Adamum non quidem in ipso creationis momento, sed tamen ante lapsum gratiam sanctificantem consecutum esse. At notandum est, S. Augustinum hanc suam sententiam retractasse; nam l. 1 Retract. c. 10 scribit: « Nec illud Apostoli, ubi adhibet testimonium de Genesi dicens: ***Factus est primus homo Adam in animam viventem***, sicut ille voluit, intellexi. Apostolus enim ad hoc adhibuit illud testimonium, ut probaret esse corpus animale: ego autem hinc putavi, hoc esse monstrandum, animalem factum prius hominem, non corpus hominis solum. » Hinc est, quod (6) opinionem de homine creato prius animali, postea spiritali, luculenter impugnat, eodemquo modo Apostolica verba exponit, quam nos supra tradidimus.

Obi. II. S. ***Augustinus*** (7) **ait**: « Deum sic ordinasse Angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum

(1) 1 Cor. 15, 45 etc.
(2) L. 13 de Civ. D. c. 23.
(3) C. 8, n. 10.
(4) L. 13 de Civ. Dei c. 23.
(5) Ex l. 2, in Gen. c. Manich. c. 8.
(6) In l. 6, de Gen. ad litt. c. 21 et seq.
(7) L. de corrept. et grat. c. 10, n. 27.

arbitrium; deinde quid posset suae gratiae beneficium, iustitiaeque iudicium. » Ergo primus homo ante lapsum solum habuit liberum arbitrium sine gratia.

Resp. S. Augustinus hic non loquitur de gratia habituali et sanctificante, de qua nunc movetur quaestio; sed inquirit, de gratia actuali disserens, quodnam gratiae, seu adiutorii actualis genus habuerit primus homo ad bene agendum; nam, ait ibid. (1): « Adiutoria ipsa distinguenda sunt: aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit; et aliud est adiutorium, quo aliquid fit. » Prius Adamo innocenti attribuit, « quid enim, inquit (2), Adam non habuit gratiam? imo vero habuit magnam, sed disparem. » Id est, Adam non habuit quidem adiutorium *quo* ipsa perseverantia datur, sed tamen habuit adiutorium *sine quo non*, cum quo autem perseverare poterat, libero suo arbitrio recte utens. In hoc ergo sensu dicit, Deum sic ordinasse Angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium etc., per quod gratia nec sanctificans, nec actualis negatur.

II. *Una cum iustitia et sanctitate coniuncta erant in primis parentibus eximia tum animae, tum corporis dona.*

§ 206. Divina Revelatio docet, primos parentes, quoad animam et corpus perfectiores et beatiores nobis fuisse; nam cum illorum iustitia et sanctitate coniuncta erant alia eximia dona; nimirum ***sublimis scientia, recte ordinata voluntas, plenum dominium in animalia, immortalitas etiam quoad corpus, felix demum vita omnis perturbationis et miseriae expers.***

1. Adam a benignissimo Creatore *eximia scientia* praeditum fuisse, ipsa ratio convenientissimum agnoscit. Primus enim homo a Deo conditus est, ut esset principium aliorum hominum, non solum per generationem corporalem, sed etiam per instructionem et gubernationem, non solum in ordine morali et naturali, sed etiam supernaturali, ad quem erat elevatus: ergo sicut institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare, ita etiam convenientissimum erat, ut etiam in statu perfecto constitueretur quantum ad animam, ut posset statim alios instruere, se et alios gubernare tam in ordine naturali et morali, quam in supernaturali, ad quem totum genus humanum in Adamo erat elevatum: ad hoc vero perficiendum indiguit cognitione omnium rerum tam naturalium, quam moralium, quae studio et diligentia humana acquiri possunt, et earum supernaturalium, quae ad finem supernaturalem scitu necessariae sunt. — Id autem, quod ratio primo homini exoptatissimum et convenientissimum agnoscit, eidem vere concessum fuisse, Revelatio testatur. Constat enim, Angelos perspicacissimo intellectu praeditos esse; cum autem de homine dicatur: ***Minuisti eum paullo minus ab Angelis*** (3), hinc recte infertur, primum hominem magna intellectus perspicacia donatum e manibus Creatoris prodiisse. Id confirmatur ex iis, quae Gen. II, 19 leguntur de nominibus animantibus brutis impositis ab Adamo, quae eorundem naturae congruerent, ut insinuant verba illa: ***Omne enim, quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius***, quod nisi a naturae doctore sapientissimo fieri non poterat, uti vel ipsius Pythagorae auctoritate comprobat *S. Augustinus* (4), dicens: « Nam ipse Pythagoras, a quo

(1) Cap. 12. (2) Ibid cap. 11.

(3) Ps. 8, 6. (4) Op. imperf. l. 5, c. 1.

ternam nimirum elationem, illud patraverat; « nec arbitrandum est, inquit *S. Augustinus* (1), quod esset hominem deiecturus iste tentator, nisi praecessisset in anima hominis quaedam elatio comprimenda. » Ast *Adam non est seductus* (2); sed, ait *S. Augustinus* (3), « ille noluit ab unico consortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideo minus reus, sed sciens prudensque peccavit. » Caeterum, quia etiam innocens homo non omnia cognovit, sed, e. g., non scivit cogitationes hominum, nec libere et contingenter futura, ideo videtur, quod in his decipi potuisset: verum *S. Thomas* (4) haec notatu digna respondet: « Homo in statu innocentiae non credidisset (falsum dicenti) ita esse, sed credidisset quod hoc esset possibile: et hoc non esset existimare falsum. Vel potest dici, quod divinitus ei subventum fuisset, ne deciperetur in his quorum scientiam non habebat. Nec est instantia, quam quidam afferunt quod in tentatione non fuit ei subventum, ne deciperetur, licet tunc maxime indigeret: quia iam praecesserat peccatum in animo, et ad divinum auxilium recursum non habuit. » Ergo S. Doctor inerrantiam Adami non ex solis facultatibus naturalibus repetit, sed et ex auxilio divino, per humilitatem et orationem obtinendo.

2. *Voluntas* protoparentum ita *bene ordinata* erat, ut nullis inordinatis motibus exagitaretur, nullis pravis affectionibus vitiaretur. Fuit ergo in ipsis optimus ordo stabilitus, adeo ut inferiores corporis vires rationi, ratio autem Deo subderetur, ac summa in illorum animis inesset pax, cum nec caro concupisceret adversus spiritum, nec spiritus adversus carnem. Id patet ex Eccl. VII, 30, ubi dicitur, *quod fecerit Deus hominem rectum;* sicuti enim haec sententia positive probat, hominem primum in sanctitate et iustitia constitutum fuisse sine qua rectus et ad suam destinationem supernaturalem aptus non fuisset: ita negative excludit inordinatos concupiscentiae motus, quibus homo deorsum trahitur, et a suo fine alienatur: de homine tali inordinatione corrupto dici non posset, quod *rectus* a Deo conditus sit. Rectos et sine inordinata concupiscentia fuisse protoparentes, patet etiam ex Gen. II, 25, ubi dicitur: *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet, et uxor eius, et non erubescebant:* sed Gen. III, 7 de iisdem post peccatum dicitur: *Aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus* etc. Imo Adamo dicenti: *Timui, eo quod nudus essem* etc. *Cui dixit* (Deus): *Quis enim indicavit tibi*, quod nudus esses, *nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti* (5)? Ergo ante peccatum habuerunt primi parentes speciale donum, quo appetitus eorum continebatur, ne contra rationem insurgeret, quod donum per peccatum amiserunt. Hoc sensu etiam Ecclesiae Patres allata testimonia intellexerunt. Sic *S. Augustinus* (6) de protoparentibus ait: « Hanc ergo (obedientiam) priusquam violassent placebant Deo et placebat eis Deus, et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo iustitiae, ut, quia eorum animo famulum corpus a Deo acceperat, sicut ipsa eidem domino suo, ita illi cor-

(1) L. 11 de Gen. ad litt. c. 5.
(2) 1 Tim. 2. (3) L. 14 de Civ. D. c. 11.
(4) L. c. ad 5. (5) Gen. 3, 10 etc.
(6) L. 2 de peccat. merit. et remiss. c. 22, n. 36.

pus eius obediret, atque exhiberet quae illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc et nudi erant, et non confundebantur. » S. *Thomas* (1) generatim docet, quod in protoparentibus innocentibus fuerint quidem passiones recte ordinatae circa bonum habitum, vel tempore suo habendum, ut amor, gaudium, desiderium et spes non affligens, quod autem passiones, quae malum respiciunt, ut timor et dolor et inordinatae cupiditates nullo modo in ipsis fuerint. Hanc immunitatem vero a passionibus inordinatis *S. Thomas* repetit a iustitia originali, seu a gratia sanctificante, quam acceperant; ait enim (2): Protoparentes post peccatum « senserunt motum inobedientis carnis suae tanquam reciprocam poenam inobedientiae suae. Ex quo datur intelligi, si, deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur. » — Imo ut protoparentes bene ordinatam voluntatem haberent, et etiam actus supernaturaliter bonos sublimi suae destinationi conformes ponere possent, Deus praeter gratiam sanctificantem ipsis etiam gratiam actualem impertitus est. Vires enim naturales sphaeram suam excedere et in ordine supernaturali bene agere nequeunt. Neque ad hoc sufficiebat status iustitiae et gratiae sanctificantis. Nam ait *S. Augustinus* (3): « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere, sic homo etiam perfectissime iustificatus, nisi aeterna luce iustitiae divinitus adiuvetur, recte non potest vivere. » Et in Enchir. cap. 106 scribit: « Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen iustitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adiutorium praeberetur. » Hoc vero Adamo collatum fuisse. S. Doctor docet (4) his verbis: « Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet; et (5) ait: Nec ipsum (Adam) Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio; et (6), id explicans, dicit: Quod adiutorium, si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus, sed deseruit et desertus est. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret, cum vellet, et in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet. » Theologi quoque unanimi consensu docent, protoparentibus ad supernaturaliter bene agendum et ad perseverandum actualem gratiam necessariam et actu collatam fuisse: non consentiunt autem, si quaeritur, quaenam gratia in statu innocentiae necessaria fuerit. *Thomistae* etiam pro hoc statu adstruunt necessitatem gratiae physice promoventis: *alii* reiiciunt quidem praemotionem physicam, sed tamen asserunt, etiam in statu innocentiae necessarium fuisse *adiutorium quo*, seu gratiam efficacem, quae data est Angelis bonis, non autem Adamo, cui concessa est gratia, intellectum quidem illustrans, sed voluntatem non movens. Communior tamen sententia est, Adamum innocentem ad bene agendum et perseverandum opus non habuisse aut gratia physice promovente, aut *adiutorio quo*, seu efficaci, sed cum

(1) I. q. 95, art. 2.
(2) Ibid. art. 1.
(3) L. de Nat. et grat. c. 26.

(4) L. de corrept. et grat. c. 11.
(5) Ibid. n. 31. (6) Ibidem.

adiutorio sine quo non, seu sufficienti perseverare in bono potuisse, si voluisset (1). Auxilium vero actualis gratiae collatum Adae erat illuminatio mentis et quaedam inclinatio voluntatis ad bonum in communi, qua poterat liberum arbitrium hoc vel illud bonum specialiter eligere et in bona voluntate permanere; quod probat Cl. *Berti* (2).

3. Primus homo in statu innocentiae habuit *dominium super omnia animalia* non solum quoad ius et potestatem, sed etiam quoad exercitium et usum, ita ut imperaret et ei obediretur. Id constat Gen. I, 26, ubi de homine dicitur: *Et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra* etc.; Deus protoparentibus dicit: *Dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram*. Hoc dominium confirmatum fuit, quando Deus cuncta animantia terrae et volatilia coeli adduxit ad Adam, ut *videret, quid vocaret ea*. Quod considerans *S. Io. Damascenus* (3) dicit, « Adamum animantibus veluti mancipiis sibi datis, herili quadam auctoritate nomina imposuisse. » Hinc regius Psaltes, hominis excellentiam ostendens, inquit: *Gloria, et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius* (4). Et Eccli. XVII, I, etc. legitur: *Deus creavit de terra hominem; et secundum imaginem suam fecit illum... posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum, et volatilium*. Adam ergo in statu innocentiae perfectum dominium habuit in animalia, quae a Deo ipso sic disposita erant, ut hominem timerent eique obtemperarent. *S. Thomas* (5) ostendit, animalia homini, si in statu innocentiae permansisset, semper ad nutum obeditura fuisse, quia omnia animalia sunt naturaliter homini subiecta: id probat ex ipso naturae processu; nam imperfectiora naturaliter cedunt in usum perfectorum: sic plantae utuntur terra ad sui nutrimentum, animalia plantis, et homines plantis et animalibus: ergo homo naturaliter dominatur animalibus: « *Secundo*, ait, apparet hoc ex ordine divinae providentiae, quae semper inferiora per superiora gubernat. Unde, cum homo sit supra caetera animalia, utpote ad imaginem Dei factus, convenienter eius gubernationi alia animalia subduntur. » Tertiam rationem desumit ex proprietate hominis: in aliis enim animalibus invenitur secundum aestimationem naturalem quaedam participatio prudentiae ad aliquos particulares actus, v. g. in hirundine ad nidificandum: in homine autem est universalis prudentia, quae est ratio omnium agibilium: atqui quod est per participationem, subditur ei, quod est per essentiam et universaliter: ergo etc.

4. Protoparentibus concessa fuit etiam *immortalitas* non solum quoad animam, sed etiam quoad corpus. Si enim Adam in statu innocentiae permansisset, etiam corpus ipsius nec corruptioni obnoxium, nec unquam ab anima separatum fuisset, et Deus ipse omnipotente sua providentia impedisset, quominus quidpiam ei obesset, aegritudinibus aut senio conficeretur, veneno, igne, aqua, ferro, aut alia externa vi necaretur; contra effecisset, ut incolumis super terram,

(1) V. Tournely de Grat. Chr. q. 2, art. 1, Concl. 3 (2) Lib 12, cap 8.

(3) L. 2 de fide c. 30. (4) Ps. 8.

(5) 1, q. 96, art 1.

quamdiu ipsi Deo placuisset, perstaret, et ut sine morte ad beata regna perveniret. Id negarunt *Pelagiani* asserentes, Adamum sic a Deo creatum fuisse, ut moreretur, sive peccasset, sive non peccasset. Idem fere sentiunt *Sociniani* et *Rationalistae*. Sed istorum sententia aperte repugnat S. Scripturae, quae docet, mortem non esse nisi effectum, seu poenam peccati. Et sane - Deus solum ob peccatum Adae mortem minatus est (1), et propter peccatum commissum in eundem mortis sententiam tulit (2). — Sap. I, 13 legitur: *Deus mortem non fecit*, id est, Deus non ita hominem condidit, ut esset morti obnoxius, si in eo statu perseverasset, in quo illum Deus creavit. Ibidem apertius dicitur: *Deus creavit hominem inexterminabilem... Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (3). Eodem modo Apostolus ait: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors* (4); et: *Stipendia peccati mors* (5); neque id de sola morte spirituali animae intelligi potest, uti contendebant *Pelagiani*, sed Apostolus de morte corporis loquitur, quod patet ex loco parallelo: *Corpus mortuum est propter peccatum* (6); ergo homo si in statu innocentiae perseverasset, etiam quoad corpus immortalis fuisset. Consonat cum S. Scriptura Traditio, et perperam *Socinus* in disputat. adv. Puccium cap. 1 de auctoritate veterum Patrum sibi consentientium gloriatur: isti enim omnino contrarium senserunt et docuerunt, dogmati catholico fideliter inhaerentes. Sic *Tatianus* (7) dicit: « Non facti sumus, ut moreremur: morimur autem nostra culpa. » *Theophilus Ant.* (8) scribit: « Homo sua inobedientia mortem sibi accersivit. » *S. Cyprianus* (9) ait: « In illa prima transgressione praecepti firmitas corporis cum immortalitate discessit. » *S. Athanasius*(10) disserens de protoparentibus inquit: « Si autem legem transgrederentur, scirent, se naturalem mortis corruptionem esse passuros, morientes in mortem putredinemque solvendos. » *S. Ambrosius*(11) ita loquitur: « Deus mortem non fecit, sed postquam homo lapsus in flagitium est, sententiam tulit, ut terra in terram suam remearet. » Idem docent *Tertullianus*(12), *S. Basilius* (13), *S. Cyrillus Alex.* (14)— Et *S. Augustinus*(15), Pelagianorum sententiam ex Traditione confutans, ita concludit: « Unde constat, inter Christianos, veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturae, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati. » Testimoniis Ss. Patrum accedunt definitiones Conciliorum. Concilium *Mileritanum II* (seu iuxta alios Carthaginense universale) (16) haec pronuntiat: *Quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae; anathema sit.* Idem sancitum fuit in Concilio *Diospolitano*, *Carthaginensi IV*, *Arausicano II*, ac demum in Concilio *Tridentino* (17). — Immortalitas autem, qua homo in

(1) Gen. 2, 17. (2) Gen. 3, 19.
(3) 2, 23-24. (4) Rom. 5, 12.
(5) Ibid. 6, 23. (6) Rom. 8, 10.
(7) C. Graec. c. 7. (8) L. 2 ad Autol. c. 27.
(9) Ser. de patient.
(10) L. de incarn. Verb n 4-6
(11) L. de bono mort. c. 4
(12) L. de anima.
(13) In Ps. 114, n. 5.
(14) Hom. 15 in Fest. Pasch.
(15) L. 13 de Civ. Dei c. 15.
(16) Can . (17) Sess. 5, can. 1.

statu innocentiae gavisus fuisset, non potest repeti ex ipsa naturae humanae conditione; nam etiam Adami innocentis corpus, uti nostrum, ex partibus constabat, quae iuxta suam naturam dissolvi poterant: sed corpus a corruptione et a morte praeservatum fuisset a Deo, qui in paradiso plantaverat arborem vitae, cuius fructu corporis vires reficerentur et conservarentur. Ideo S. *Augustinus* (1) ait: « Aliud est, non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est, posse non mori secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei praestabatur ligno vitae, non de institutione naturae. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. » Hoc idem docuerunt alii Patres, ut *Tatianus* (2), *Basilius* (3), *Cyrillus Alex.* (4) et alii. S. *Thomas* (5) dicit: « Vis illa praeservandi corpus a corruptione non erat animae humanae naturalis, sed per donum gratiae. » Hinc iure damnata est haec propositio inter Baianas 78: « Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio. »

5. Homines si in statu innocentiae permansissent, vitam felicissimam duxissent, omnis perturbationis et miseriae expertem. Quamvis enim, quae hominis ante peccatum vivendi ratio fuerit, accurate determinari non possit; omnes tamen in eo conveniunt, quod eam prorsus beatam fuisse concedant, omnibusque, quae mortalem nostram vitam conturbant, malis solutam. Mens enim hominis inordinatis passionum motibus non agitabatur et cruciabatur; corpus sicut a morte, ita etiam a morbis et doloribus, qui morti viam sternunt, liberum fuisset, deficientesque vires homo per lignum vitae reparare potuisset. Nihil homini periculi fuisset a belluis, quibus praeerat imperio; nihil ab aliis hominibus, quos concors benevolentia consociasset; et ne quocunque casu sinistri quidquam accideret, specialis Dei providentia curabat. Id docet S. *Thomas;* loquens enim de passione proprie dicta, quae in eo consistit, ut aliquid a naturali sua dispositione removeatur, ait (6): « Homo in statu innocentiae... erat impassibilis et secundum animam et secundum corpus, sicut et immortalis. Poterat enim passionem prohibere sicut et mortem si absque peccato perstitisset. » Et ad obiectionem, quam ex natura corporis repetit (7), respondet: « Corpus hominis (quamvis molle) in statu innocentiae poterat praeservari, ne pateretur laesionem ab aliquo duro, partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare, partim etiam per divinam providentiam, quae sic ipsum tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improviso a quo laederetur. » — Neque dubitari potest, in statu innocentiae hominum vitam etiam deliciis abundasse. Nam Gen II, 15 legitur: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum*; in quae verba ita disserit S. *Chrysostomus* (8): « Non simpliciter dixit, *in horto*, sed apposuit *voluptatis*, ut excellentem voluptatem, qua fruiturus esset inhabitando, nobis declararet. Et, ut dixit: *Posuit illum in horto voluptatis :* addit, ut *coleret illum et custodiret*. Etiam hoc magnae curae et providentiae nostri argumentum est. Nam cum omnibus deliciis potirentur ibi vitam agentes, tum oblectamentis eorum,

(1) L. 6 de Gen. ad litt. c. 25.
(2) L. c. (3) L. c. (4) L. c.
(5) 1, q. 97, art. 1. (6) 1, q. 97, a. 2.
(7) Ibid. ad 4. (8) Hom. 14 in Gen.

quae videbant, quam laetitia eorum, quibus fruebantur, ut ne immodica prosperitate homo insolesceret (omnem enim malitiam docuit otium), propterea praecepit Deus, ut operaretur illum et custodiret. Quid antem? dicet aliquis, illius cura indigebat paradisus? Non hoc dico, sed voluit, ut parvam quandam sibique congruam gereret curam partim custodiendo, partim operando. Si enim laboris omnis fuisset expers, protinus ex multo otio in ignaviam delapsus esset: nunc vero in operatione occupatus, quae neque dolorem, neque molestiam adferret, moderatior utique atque continentior esse debuit.» Hominis in statu innocentiae felicitatem egregie describit *S. Augustinus* (1) dicens: « Vivebat itaque homo in paradiso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus iusserat. Vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate: cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus extrinsecus ictus metuebatur. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus, aut frigus, ita in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonae voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum; gaudium vero perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat *caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta;* atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. »

Nota 1. Paradisum non in coelo, uti nonnulli autumabant, neque in sublimi aëre prope lunam, uti alii dicebant, situm fuisse, sed per illum particularem aliquem locum terrestrem intelligendum esse, communiter cum *S. Thoma* Theologi docent (2). De situ Paradisi (3) in textu hebr. legitur: *Plantaverat Deus hortum in Eden ab Oriente*, seu ut vertunt 70 *ad Orientem*: ubinam autem praecise fuerit paradisus, et an etiamnum existat, certo determinari non potest (4). Varias quoque quaestiones moverunt Scholastici circa conditionem corporis et animae, in qua homines constituti fuissent, si protoparentes non peccassent (5). Sed parum interest scire quid futurum fuisset in statu, ad quem in hac vita pervenire iam non amplius possumus, neque Deus voluit, ut per Revelationem nobis omnia nota fierent. Notandum tamen est, errasse illos, qui putabant, homines in statu innocentiae nullo cibo indiguisse; nam Adamo innocenti Deus dixit: *Ex omni ligno paradisi comede* (6); et cum homo ex natura sua quoad corpus vitam animalem agat, ideo etiam naturaliter cibo indiget, ut docet *S. Thomas* (7) — Admitti etiam non potest sententia eorum, qui putavere, in statu innocentiae humanum genus vel omnino non, vel saltem non per carnale commercium propagandum fuisse, quamvis huius posterioris opinionis etiam nonnulli Patres fuerint, ut *Gregorius Nyss.* (8), *S. Chrysostomus* (9), *S. Io. Damascenus* (10)

(1) L. 14 de Civ. Dei cap. 26.
(2) V. Billuart de opere sex dier. Diss. 7, art. 1. et 2. (3) Gen. 2, 8.
(4) V. Billuart l. c. art. 3.
(5) V. S. Thomam 1, q. 97—q. 102.
(6) Gen. 2, 16. (7) 1, q. 97, a. 3.
(8) L. 1 de hom. opif. c. 16.
(9) Hom. 8 in Gen.
(10) L. 4 de fide c. 24.

et alii, praecipue inter Graecos, qui arbitrati sunt, quod homines in statu innocentiae non per coitum multiplicati fuissent, sed virtute divina per creationem sicut Angeli; et ob hanc rationem dictum fuisse putarunt, hominem ob peccatum a dignitate Angelorum ad statum brutorum deiectum fuisse (1). — Etiam S. *Augustinus* aliquamdiu favit huic sententiae, ut patet ex l. 1 de Gen. c. Man., sed illam retractavit (2), et contrariam sententiam, quae dicit, etiam homines innocentes per coitum-sine inordinato tamen libidinis aestu perficiendum-propagandos fuisse, solide defendit (3). - Et certe, haec sententia per ipsam S. Scripturam probatur: ideo enim Deus in ipsa hominum creatione, sexus diversitatem adesse voluit, et *Masculum et foeminam creavit eos* (4), hisque antequam peccarent, dixit: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram* (5); id autem per coitum fieri debuisse, patet ex verbis Adami, qui divino afflatus spiritu prophetice praedixit: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (6). Quae verba Christus (7) allegavit, ut ostenderet Pharisaeis, matrimonium dissolvi non posse, concludens: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Apostolus etiam ex iisdem verbis concludit, eum *qui adhaeret meretrici unum corpus effici* (8) cum ipsa meretrice. Ideo etiam Deus (9) protoparentibus innocentibus *benedixit*, ut filios ipsi procrearent; nam ait S. *Augustinus* (10): « Illa benedictio nuptiarum, ut coniugati crescerent, et multiplicarentur, et implerent terram, quamvis et in delinquentibus manserit, tamen antequam delinquerent, data est, ut cognosceretur, procreationem filiorum ad gloriam connubii, non ad poenam pertinere peccati. » Eandem doctrinam propugnat S. *Thomas* (11). Caeterum quidquid sit de variis quaestionibus circa hunc statum inter scholasticos agitatis, de fide certum est, primum hominem Adam ante peccatum in sanctitate et iustitia constitutum secundum corpus et animam perfectiorem et a morte immunem fuisse; id enim colligitur ex Concilio Tridentino (12), uti articulo sexto fusius ostendetur.

Nota 2. Primam hominum vitam felicissimam fuisse, sicut vitiorum ita et malorum omnium expertem, cunctarum fere gentium traditionibus continetur. *Sinenses* traditam hanc a maioribus doctrinam religiose servarunt, eamque scriptis consignarunt viri inter eos doctissimi. In libris, quos *King*, seu sacros vocant, haec leguntur: « Tempore primi coeli pura voluptas et pax perfecta ubique regnabant. Nulli tunc labores, non poenae, non dolores, non crimina; omnia humanae in terris parebant voluntati » (13). — *Indorum* traditionem refert *Strabo*, qui (14) Gymnosophistarum doctrinam sic exponit: « Olim omnia plena erant triticeae et hordeaceae farinae, ut nunc pulveris. Fontes alii lacte, alii aqua fluebant, nonnulli melle, alii vino, quidam oleo. Homines autem ob satietatem et luxuriam ad contumeliam se transtu-

(1) Ps. 48, 13. (2) L. 1 Retract. c. 19.
(3) L. 9 de Gen. ad litt. c. 7, et seq.; atque lib. 14 de Civ. D. a c. 21-cap. 26.
(4) Gen. 1, 27. (5) Ib. v. 28.
(6) Gen. 2, 24. (7) Matth. 19, 4 etc.
(8) 1 Cor. 6, 16. (9) Gen. 1, 28.
(10) L. 14 de Civ. D. c. 21.
(11) 1. q. 98, art. 1, et 2. — Cf. Gazzaniga T. 4, Diss. 3, Sect. 1, cap. 5, ubi variae quaestiones circa conditionem hominum in statu innocentiae solvuntur.
(12) Sess. 5, can. 1.
(13) Cf. Windischmann die Philosopie im forschritte der Weltgeschichte 1 B. Th. 1 Absch.
(14) L. 15.

lerunt. Iupiter igitur illum statum exosus omnia abolevit. » Apud *Persas* eandem traditionem viguisse, testis est *Plutarchus* (1).—Hoc idem etiam *Graecos* credidisse, patet ex *Platone*, qui (2) primam aetatem vere auream appellat, et de primis hominibus dicit: « Deus eos pascebat, custosque eorum ipse erat, sicut nunc homines divinius animal pascunt animalia sequiora. Nudi autem et sine stragulis sub dio plerumque pascebant. » *Dicaearchus* peripateticus (3) dicit: « Primos illos, Diisque proximos mortales optimae fuisse indolis, vitamque vixisse optimam, unde et auream dici aetatem. » Hanc etiam describit *Hesiodus* (4). Alia Graecorum testimonia referunt *Clemens Alex.*(5) et *Eusebius*(6). Quod *Romani* eandem persuasionem habuerint ostendunt eorundem poëtae, qui aureum Saturni saeculum nobilissimis imaginibus depinxerunt: ut *Virgilius* (7) canit: « Ante Iovem nulli subigebant arva coloni, nec signare quidem, aut partiri limite campum fas erat, in medium quaerebant ipsaque tellus omnia liberius, nullo poscente, ferebat etc. » *Ovidius* (8) ait: « Aurea primum sata aetas etc. » *Tibullus* (9) exclamat: « Quam bene Saturno vivebant rege etc. » Similia habet *Iuvenalis* (10). —Cl. *Perrone* (11), relatis his testimoniis, recte concludit: «Haec gentium omnium conspiratio originem primitivam eiusmodi traditionum apertissime evincit, qua facti veritate constituta omnia bene cohaerent, ea sublata, nulla amplius earum traditionum ratio probabilis dari potest. »

Nota 3. Solvendae remanent nonnullae difficultates, quas *Sociniani* et *Rationalistae* contra propositam doctrinam movent.

Obi. I. Absonum est dicere, primos homines in sanctitate et iustitia a Deo conditos aut constitutos esse. Hominis enim sanctitas et iustitia ex libera eiusdem activitate prodire debet, quod Catholici negare nequeunt, qui pro quolibet actu moraliter bono et meritorio libertatem exposcunt.

Resp. Dum primi homines in sanctitate et iustitia constituti dicuntur, sermo non est de actibus iustitiae et sanctitatis, ad quos ponendos liberum arbitrium concurrere debet, sed de statu supernaturali, quem viribus naturalibus acquirere non potuissent, ad quem autem elevati fuerunt a Deo, qui ipsis gratiam sanctificantem concessit, seu charitatem in ipsorum animos diffudit, et imaginem suam supernaturalem ipsis impressit, per quam sibi caros et acceptos effecit. Deum id perficere potuisse, ab eo solum negari potest, qui divinam omnipotentiam non agnoscit: et maxime insanit, qui ideo operationem divinam inficiatur, quia per limitatam suam rationem eam perfecte comprehendere non valet. Deum autem id vere perfecisse, Revelatio docet, cuius testimonia per vana ratiocinia enervari non possunt. Caeterum Deus homini gratiam sanctificantem et actualem dedit, ut hac adiutus etiam cum libero arbitrio actualem iustitiam et sanctitatem consequeretur. Nec desunt Theologi, qui hominem non in ipso creationis momento, sed postea in gratia constitutum dicunt, ut coniunctionem gratiae cum libero arbitrio et necessarium ad matrimonium spirituale consensum ostendant

(1) In lib. de Iside et Osiride.
(2) In Politico.
(3) Apud Varronem de re rustic. l. 1, c. 2.
(4) In sua Theogonia a v. 521-579.
(5) Strom. lib 5.
(6) Praep. evang. l. 1, c. 8 et l. 12, c. 13.
(7) Georg. l. 1, v. 125 etc.
(8) Metamorph l. 1 v. 89.
(9) L. 1 Eleg 3, v. 35. (10) Satyra 6.
(11) Tr. de Deo creat. p 3, c. 2, n. 318.

(§ 205, not. 1). Sed hunc etiam illi Theologi non excludunt, qui hominem in gratia conditum dicunt; nam ait *S. Thomas* (1) « dicendum, quod cum motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet, etiam in primo instanti suae creationis primum hominem gratiae consensisse. »

Obi. II. Primi homines nudi erant et non erubescebant, quia in statu infantiae conditi erant, et malum non agnoverunt, hinc quasi infantes recens nati pudore non afficiebantur; ergo exinde eorum rectitudo et immunitas a concupiscentia inferri nequit. Ita post *Clericum Rosenmuller* et alii Rationalistae.

Resp. Infantes de sua nuditate non erubescunt tum quia rationis usu carent, tum quia malae concupiscentiae motus non experiuntur. Prima ratio nequit applicari primis hominibus, qui cum adulto corpore etiam perfectum rationis usum in creatione obtinuerunt (§ 206, n. 1). Ergo ipsis applicari debet solum altera ratio, ita ut dicatur, ipsos de sua nuditate non erubuisse ante peccatum, quia nullam malam concupiscentiam sentiebant, erubuisse autem post peccatum, ob quod malos concupiscentiae motus experiebantur.

Obi. III. Quae apud populos de aetate aurea circumferebantur, ad fabulas sunt referenda, ex quibus pro veritate narrationis mosaicae argumentum haud resultat. Ex historia potius constat, omnes populos in suis primordiis incultos et barbaros fuisse, belluino more vixisse, nudos in silvis degisse etc. Quia autem homines tunc perfecta libertate fruebantur, poterant postmodum statum illum ut aetatem auream considerare.

Resp. Non negatur, traditionem ex narratione mosaica haustam per adiunctas fabulas corruptam fuisse; quoad substantiam tamen populi etiam dissiti, et qui vix ullam inter se communicationem habuerunt, consentiunt, et iste consensus nonnisi ex uno eodemque fonte repeti potest, nimirum ex divina Revelatione Noëmo et filiis nota, ex quibus omnes populi originem duxerunt. Fabulis pleno iure accensentur ea, quae nonnulli de primitivo hominum belluino more viventium statu sine authenticis monumentis referunt. Ex antiquissimis monumentis, nimirum ex libris Moysis constat, Deum non solum primos homines creasse, sed etiam in necessariis paterno modo instruxisse. Quo magis autem populi a luce revelationis recesserunt, eo magis in morum cultura defecerunt, et inordinatis passionibus indulgentes, ac in primis idolatriae dediti, accedentibus quoque causis externis, ut bellis, seditionibus etc. ad maximam barbariem pervenerunt, sicut etiam Europa per barbarorum incursiones a summa humanitate in eam barbariem transgressa est, quam medio aevo deploramus. Si ergo nonnulli populi, praecipue in locis calidissimis inventi sunt, qui nudi incedebant et vitam silvestrem agebant, solum dicendum est, istos ab incultis iam nationibus descendentes ob educationis defectum et alias causas in maiorem barbariem prolapsos esse; ex ipsis autem concludere non licet, eadem fuisse omnium populorum initia, cum contrarium authentica monumenta commonstrent. Maxime absonum autem est, persuasionem de aurea mundi aetate a tali statu repetere velle, in quo homines plurimis commodis et omni securitate carebant, multaque ardua sustinere debebant (2).

(1) 1, q. 95, art. 1 ad 5.

(2) V. Perrone de Deo Creat. P. 3 c. 2 P. 2 Difficult.

III. *Status iustitiae, seu gratiae sanctificantis et felicitatis, in qua primi parentes a Deo constituti sunt, non erat eis debitus, quia non erat naturalis, sed supernaturalis.*

§ 207. Ut haec propositio rite intelligatur, imprimis declarandum est, quid *naturale*, seu *naturae debitum*, et quid *supernaturale* et *naturae indebitum* dicatur. Naturale dicitur, quod est secundum exigentiam naturae, ipsique debitum vel tanquam eius pars, vel tanquam proprietas ex eius principiis fluens, cuiusmodi in homine sunt corpus et anima, aut facultas sentiendi et intelligendi. E contra supernaturale est, quod superat omnem humanae naturae exigentiam, quod ei plane indebitum est, et sine quo illa consistere potest. His praenotatis, quaestio movenda est, an status iustitiae, sanctitatis et felicitatis, in quo primi parentes constituti sunt, naturalis eisque debitus, an supernaturalis eisque indebitus sit dicendus? — Priorem sententiam propugnavit *Lutherus*; nam (1) de originali iustitia primi hominis scribit: « Quare statuamus, iustitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet separatum a natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut naturae Adae esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Haec tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt. » Et inferius addit: « Porro haec omnia probant, originalem iustitiam esse de natura hominis, ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut scholastici delirant. » *Calvinus* pariter (2) docet, divinae iustitiae et bonitati repugnare, primitus hominem creari absque iustitia originali eius naturae debita. Eandem sententiam proposuerunt *Baius*, *Iansenius* et *Quesnellus* contendentes, tum gratiam sanctificantem, tum immunitatem a concupiscentia, atque immortalitatem cum reliquis consectariis sic homini naturales esse, ut sine ipsis, hominis perfecta, seu integra natura consistere non possit, neque Deum, salva sua bonitate et iustitia, sine illis hominem condere potuisse. — Doctrina autem catholica tenet, tum gratiam sanctificantem, tum immunitatem a concupiscentia, ac immortalitatem dona supernaturalia esse in se, et ita gratuita, ut Deus, salvis suis attributis, hominem sine illis condere potuisset. — Magni momenti est, ut haec doctrina catholica sedulo probetur contra Novatores, qui per contrariam suam sententiam errores suos circa liberum arbitrium, et concupiscentiam tueri conantur, uti ex inferius dicendis apparebit.

1. Cum Traditio sit alter Revelationis fons et linea illa, iuxta quam S. Scripturam exponere oportet, convenientissimum est, ut indagemus, quid *Ss. Patres* circa praesentem quaestionem docuerint. Facile autem est ostendere, Ss. Patres iustitiam et sanctitatem, in qua primi parentes constituti erant, non ut naturalem ipsisque debitam, sed ut supernaturalem et ut donum Dei mere gratuitum considerasse. Ideo plurimi dixerunt, hominem conditum esse *ad imaginem Dei* secundum suam naturam, et *ad similitudinem Dei* per gratiam (§ 203). Testimoniis ibi citatis alia hic addi possunt. *Origenes* (3) ita disserit: « Propter hoc consequenter adest etiam gratia Spiritus sancti, ut ea, quae substantialiter sancta non sunt, participatione ipsius sancta efficiantur... Est quaedam inoperatio Dei Patris praecipua

(1) In cap. 3, Genes.
(2) L. 1 instit. cap. 15.
(3) L. 1 de princip. c. 3.

praeter illam quam omnibus ut essent, naturaliter praestitit.» *S. Irenaeus* (1) lamentatur: « Eam quam habui a Spiritu sancto sanctitatis stolam per inobedientiam amisi. » *S. Athanasius* (2), discrimen ostendens inter Filium Dei naturalem et filios adoptivos, ait: « Filium istum verum natura, - alios autem, quibus dictum est: *Ego dixi, Dii estis* etc. solummodo participatu Verbi per Spiritum sanctum hanc gratiam a Patre obtinuisse etc. Qui ex virtute et gratia nomen solummodo filiorum obtinent, et non natura, sed gratia ad ius liberorum nituntur etc., quod ad peiora se contulerunt, ablato spiritu, reiecti abdicatique fuerunt ab eo, qui eis ab initio gratiam dederat. » — *S. Basilius* (3) scribit de Angelis: « Sanctificatio non est absque spiritu: non enim natura sanctae sunt coelorum virtutes, sed iuxta proportionem eminentiae inter ipsas sanctificationis mensuram a Spiritu sancto habent:» si id de Angelis dicitur, multo minus homo natura sua gratiam sanctificantem habuit. - *S. Gregorius Nyss.* (4) inquit: « Excedit homo suam ipsius naturam... nam dignus habitus est, qui filius Dei fiat: o divitis Domini magnificam largitionem! etc. » *S. Cyrillus Hier.* (5) dicit: « Non secundum naturam habes adoptionem, profectu accipis gratiam; » et (6): « donum adoptionis est ex benignitate. » *S. Ambrosius* (7) ait: « Non te praeferas, quia filius Dei diceris: agnoscenda est gratia, sed non ignoranda natura;» et (8): « Homines per filium adsciscit in gratiam filiorum: alius igitur naturae amor sempiternus, alius gratiae etc. » *S. Maximus* (9) inquit: « Secundum imaginem quidem Dei est omnis natura rationalis, secundum similitudinem vero tantum boni et sapientes: illud secundum naturam, hoc ex gratia. » *S. Chrysostomus* (10) asserit, protoparentes de sua nuditate non erubuisse, quia « gloria, quae superne venerat, vestiti erant» et (11) eosdem dicit « nudatos supernae gratiae amictu. » *S. Cyrillus Alex.* L. 1 in Io. c. 9 scribit: « Participatione luminis splendet supra naturam suam glorificantis Dei gratia et variis donorum ornamentis ascendens... Misericors enim Dominus est, qui creaturam parvam atque abiectam secundum naturam magnam atque mirabilem sua efficit bonitate.» Et cap. 13 dicit: «Creatura, cum serva sit, nutu solum et voluntate Patris ad supernaturalia vocatur, non debito naturae. » — Nec refert, nonnullos ex allatis Patribus de gratia, homini lapso concessa, loqui, nam si gratia sanctificans in homine innocente fuisset pars, seu proprietas naturae, eadem postquam a Redemptore recuperata est, etiam naturae humanae ut debita pars, aut proprietas adscribenda foret: hoc autem longe remotum est a Ss. Patrum doctrina, qui gratiam sanctificantem sicut in homine lapso, ita etiam in homine innocente tanquam donum supernaturale indebitum, et gratuitum praedicant. — Sed quia adversarii auctoritate *S. Augustini* errores suos tueri conantur, etiam huius gratiae Doctoris testimonia, doctrinae catholicae omnino consona, in medium proferenda sunt. Lib. 2 ad Bonifac. c. 6 ait: « Dei gratia non solum omnia sidera et omnes coelos, verum etiam omnes Angelos supergreditur: » quanto ma-

(1) L. 3. adv. haer. c. 37.
(2) Orat. 2. c. Arian.
(3) L. de Spir. S. c. 16.
(4) De beatitud. Or. 7.
(5) Catech. 3.
(6) Cat. 7.
(7) L. 8 in Luc.
(8) L. 5 de fide c. 3.
(9) Cent. 3, n. 25.
(10) Hom. 16 in Gen.
(11) Hom. 17.

gis ergo naturam humanam? omnino ergo donum supernaturale et indebitum dici debet. Generatim apud S. Augustinum haec duo verba: *gratia et res indebita* idem significant: hinc l. de gestis Pelagii c. 14 inquit: « Ipsum gratiae nomen et eius nominis intellectus aufertur, si non gratis datur - si autem debitum est, gratia non est; gratia quippe donatur, debitum redditur. » Clare sententiam catholicam S. Doctor propugnat l. 2 c. Maximin. (1), dicens: « Homo ad Dei similitudinem factus est, tamen quia non est unius eiusdemque substantiae, non est verus filius, et ideo fit gratia filius, qui non est natura. » Si igitur *gratuita* est eius filiatio, non est eidem debita. — Sicut gratiam sanctificantem, ita et immunitatem a concupiscentia Ss. Patres non ut proprietatem hominis naturalem, sed ut donum Dei supernaturale et indebitum considerarunt. *S. Chrysostomus* Hom. 16 in Gen. de protoparentibus dicit: « Propter peccatum... eos Deus sentire fecit, quae ante ob singularem illius in se benevolentiam non sentiebant. » Et hom. 19 ad pop. Antioch. inquit: « Concupiscentiae radix habet a natura principium; concupiscere enim naturale est. » *S. Augustinus* (2) ait: « Gratia Dei magna ibi erat, ubi terrenum, et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore, quod puderet, spoliatus gratia sensit, quod operire deberet. » — Immortalitatem quoque corporis Ss. Patres non ut attributum humanae naturae proprium, sed ut donum Dei gratuitum considerarunt. *S. Irenaeus* (3) de primo homine scribit: « Corruptibili incorruptelam gratuito donat Deus. » *S. Cyprianus* (4) de daemone dicit: « Homini gratiam datae immortalitatis eripit. » *S. Athanasius* (5) ita de protoparentibus disserit: « Cognoscerent, se per mortem pro ipsorum natura corruptionem subituros... secundum naturam corruptibiles, gratuita tamen communione Verbi, vitium illud naturae evasuri fuissent. » *S. Augustinus* (6) ita loquitur: « Aliud est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei praestabatur de ligno vitae, non de constitutione naturae... Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. » Et (7), de immortalitate disserens, inquit: « Qui status eis (protoparentibus) mirabili Dei gratia praestabatur. » *S. Cyrillus Alex.* (8) de Adamo scribit: « Immortalitatis bonum supra suam naturam consecutus est. » Imo Ss. Patres dona recensita ita naturae humanae indebita putaverunt, ut adseverarent, Deum etiam sine illis hominem ab initio creare potuisse. *S. Augustinus* (9) ait: « Si (anima) talis esse coepit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat. » Eadem sentit *S. Thomas*, qui (10) expresse dicit, « quod illa subiectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, » sed effectus iustitiae originalis,

(1) Cap. 15, n. 2.
(2) L. 4 c. Iulian. c. ult. n. 82.
(3) L. 5, c. haer. c. 2.
(4) Tr. de zel. et liv.
(5) Lib. de Incarn. Verbi.
(6) L. 6 de Gen. ad litt. c. 25.
(7) Lib. 13. de Civ. D. c. 20.
(8) L. 1 in Io. c. 15.
(9) L. 1 de pecc. merit. et remiss. c. 5.
(10) 1. q. 95, art. 1.

quam Deus gratuito homini concessit. Idem (1) scribit: « Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in conditione naturae suae relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens, in quo nihil humanae naturae derogaretur, quia hoc ex principiis naturae consequitur, non tamen iste defectus in eo rationem culpae et poenae habuisset, quia non per voluntatem (Adami) iste defectus causatus esset » (2).

2. Ecclesiae Traditioni insistentes summi Pontifices iustissime propositiones doctrinae catholicae adversantes condemnarunt. *S. Pius V, Gregorius XIII* et *Urbanus VIII*, sequentes Baii propositiones proscripserunt: 21am: « Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est et non supernaturalis. » 26am: « Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio: » 55am: « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur: » 78am: « Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio: » ac demum 79am: « Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine iustitia naturali. » Cum vero *Quesnellus* eandem doctrinam instaurasset propositione 35ta, quae ita sonat: « Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae; » eam rursus damnavit *Clemens XI* in Constitutione: *Unigenitus*. Cum igitur omnes istae propositiones utpote doctrinae catholicae adversantes, proscriptae sint, ab hisce ipsis patet veritas contradictoriae doctrinae.

3. Argumentis ex auctoritate petitis addi potest *ratio theologica*, quam cum Card. *Gotti* proponit Cl. *Perrone* (3). — Si declaratus sanctitatis et felicitatis status homini debitus esset, debitus foret vel ex parte hominis, vel ex parte Dei: atqui ex neutra parte debitus dici potest: non quidem *ex parte hominis*, cuius natura non exigit, nisi ut sit animal rationale, seu ens ex corpore organico, et anima rationali, libera et immortali constans, et ad bonum sui ordinis comparatum, cuiusmodi profecto non est gratia sanctificans, ut ratiocinatur Apostolus (4) ac ipsa ratio commonstrat; nam qui per peccatum gratiam sanctificantem amittit, iuxta omnes non desinit esse homo: neque immunitatem a concupiscentia exigit per se, seu tanquam essentialem proprietatem sibi vindicat natura humana, cuius est ferri in bonum sensibile per sensum et appetitum, et in bonum spirituale et intelligibile per intelligentiam et voluntatem, ex quarum contrariis propensionibus naturaliter conflictus oritur, ac ingens recte agendi difficultas: denique etiam immortalitas et immunitas a doloribus, et poenis non potest naturalis et necessaria proprietas naturae humanae dici, cum naturae sensibilis et contrariis principiis, seu elementis concretae, proprium sit uti gratis, ita et ingratis et molestis modis affici, dolores pati, ac demum corruptioni, et totali solutioni subiacere. — Multo minus status sanctitatis et felicitatis hominibus debitus

(1) In 2, dist. 31, q. 1 a. 2 ad 3.

(2) In hanc rem plura loca Ss. Patrum citantur in diss. P. Casini S. I. annexa lib. 2 Petavii de opif. 6 dierum.

(3) L. c. n. 343.

(4) Rom. 4.

erat *ex parte Dei*, qui, cum in donorum suorum distributione liberrimus sit, nulla adigitur necessitate, ut hunc potius, quam illum perfectionis gradum creaturis suis largiatur. Quicunque rectos conceptus habet de bonitate divina, quae nec legibus subest, nec motivis quasi a priori ad agendum incitatur (§ 50); sole clarius cognoscet, non sine maxima absurditate dici posse, sanctitatis et felicitatis dona homini, seu naturae humanae debita fuisse.

Nota 1. Ad controversias, quae circa praesentem materiam aguntur, recte intelligendas opus est, ut varii naturae humanae status declarentur, quos Scholastici distinguere consueverunt. Generatim per naturae humanae statum intelligunt certam conditionem, qua, iuxta legem divinae providentiae, tota natura humana certo modo se habet in ordine ad suum finem ultimum. Sex possunt distingui huiusmodi status, et quidem *tres reales*, scilicet status naturae innocentis, status naturae lapsae, et status naturae per Christum reparatae; atque *tres possibiles*, nempe status naturae purae, status naturae integrae, et status naturae lapsae per Christum non reparatae. *Status naturae innocentis* est conditio naturae humanae in iustitia et sanctitate creatae, et ad finem supernaturalem destinatae: in hoc statu fuerunt protoparentes ante peccatum. *Status naturae lapsae* est conditio naturae humanae iustitia originali, gratia Dei, et iure ad beatitudinem supernaturalem privatae: in hoc statu sunt omnes posteri Adami ante baptismum. *Status naturae reparatae*, is est, in quo constituti sumus a Christo ita ut per eius merita et per media ab ipso instituta possimus a peccato liberari, gratiam divinam et vitam aeternam consequi. — *Status naturae purae* est conditio naturae humanae consideratae in meris suis perfectionibus naturalibus absque gratia et peccato, obnoxiae tamen iisdem, quibus nunc premitur infirmitatibus, nimirum fami, siti, aegritudini, morti et concupiscentiae: de possibilitate huius status in sequenti nota agetur. *Status naturae integrae* est conditio naturae, in qua homo ordinaretur tantum ad finem naturalem per media naturalia consequendum: in hoc statu homo nec gratia supernaturali praeditus, nec peccato infectus nullam appetitus sensitivi adversus rationem experiretur rebellionem, et a Deo, cui ut auctori naturae subiectus esset, haberet auxilium quoddam ordinis naturalis: si ostenditur, statum naturae purae possibilem esse, id multo magis de statu naturae integrae dicendum est. *Status naturae lapsae non reparatae* est conditio naturae, in qua fuisset homo post peccatum, si Deus eum per suam infinitam misericordiam non redemisset. De huius status possibilitate nullum unquam dubium fuit. Cf. Th. ex Charmes (1), *Herminier* (2), *Billuart* (3).

Nota 2. Statum naturae purae nunquam extitisse, communi consensu docent Theologi catholici. Quaestio autem inter ipsos agitata est, an status naturae purae possibilis sit, an non? — *Suarez*, *Tournely*, *Th. ex Charmes*, *Perrone*, plerique Thomistae, et omnes Molinistae affirmative respondent, et sine ulla distinctione statum naturae possibilem dicunt. Haec sententia tanquam corollarium fluit ex propositione modo iam probata. Si enim status iustitiae et felicitatis, in quo primi homines constituti

(1) De Deo Creat. Diss. 2, c. 1, q. 7.

(2) De gratia Dei p. 10, Ed. Ven.

(3) Tract. de Gratia Diss. 2, praeamb. a. 1.

fuerunt, ipsis debitus non erat; potuissent ergo a Deo sine iustitia originali, sine immortalitate et sine reliquis donis gratuitis creari: ideo etiam propositiones huic doctrinae adversantes damnatae sunt. Quid Ss. Patres senserint, ex citatis eorundem testimoniis colligitur. *S. Thomas* clarissime sententiam suam manifestat (1) dicens: « Possibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus. » Imo, ex principiis *S. Augustini* et *S. Thomae*, qui malum nonnisi in defectu seu privatione boni reponunt, et ex altera parte docent, bonitatem Dei externam nec legibus subesse, nec motivis ad agendum incitari, et omnia solum bona fieri, quia Deus ea vult; ex his, inquam, principiis non tantum sequitur, iuxta nostrum concipiendi modum possibilem esse statum naturae purae, sed etiam difficultates evanescunt, quae dictae possibilitati opponi solent. — Mirum proinde videtur, quod nihilominus nonnulli, qui se *S. Augustini*, aut *S. Thomae* discipulos profitentur, sub distinctione tantum dictam possibilitatem admittant: dicunt enim, Deum potuisse quidem hominem sine gratia sanctificante ceterisque donis condere *de potentia absoluta*, sed non *de potentia ordinata:* hanc sententiam propugnant inter *Augustinianos* Card. *Norisius, Bellelli, Berti*, (qui pro eadem sententia citat scholam *Aegydii Romani*), et alii; inter *Thomistas Contensonius, Hyac. Serry, Thomas de Lemos*, etc. Eandem sententiam acerrime defendit *Viator a Cocaleo*, Capucinus, qui (2) naturae purae systema accusat Pelagianismi, Manichaeismi, Philosophismi ac denique Atheismi. Etiam alii iudicarunt, per dictum systema ipsa fundamenta Religionis christianae everti. Ast non sine maxima temeritate tale iudicium ferri potest de sententia, quam doctissimi et piissimi Theologi propugnarunt, quin ideo ab Ecclesia aut damnarentur, aut carperentur, praecipue cum contraria potius sententia in propositionibus Baii damnata videatur. Imo non defuerunt, qui dicerent, per sententiam quae solum sub distinctione statum naturae purae possibilem admittit, doctrinam Baii et Iansenii renovari, quia etiam isti eandem possibilitatem *de potentia Dei absoluta* admiserunt, atque eandem censuram in illam sententiam cadere, quoniam propositiones Baii *in sensu auctoris* proscriptae sunt. Ast haec quoque criminatio adprobari nequit. Nam Ecclesia etiam istos Theologos, publice suam sententiam defendentes, nec damnavit, nec reprehendit. Praeterea isti Theologi ostenderunt magnum discrimen intercedere inter se et Iansenium, quia hic autumabat, hominem esse distortum et malum illis donis destitutum; contra vero se expresse affirmare, bonum hominem sine illis fore: eodem modo commonstrarunt, se ab erroribus Baii distare, quia non obstante sua distinctione adseverant, neque iustitiam originalem, seu gratiam sanctificantem, neque gratiam actualem Adae debitam fuisse, sed Deum illam ex gratuita bonitate protoparentibus concessisse (3). — Nonnulli dissentientes Theologos conciliare, aut media quadam via incedere conati sunt, ad quorum conamina cognoscenda aliquas animadversiones adiicere iuvat.

Nota 3. Cum existant Theologi, qui dicunt, Deum quidem *de potentia absoluta* potuisse hominem absque do-

(1) Quodlib. I, a. 8

(2) Tentam. theol. T. 3, Diss. 3, c. 8, ac praecipue in Adnot. 8. et seq. in S. Prosperum.

(3) V. Berti, Addit. ad lib. 12, c. 3 Cf. Diss. 2, Syst. August. vindicati.

nis supernaturalibus et gratuitis condere, non autem *de potentia ordinata;* summi momenti est, ut haec ipsa distinctio recte intelligatur et bene ponderetur. Iuxta nonnullos potentia *ordinata* dicitur illa, quae in operando est coniuncta divinae iustitiae, sapientiae et bonitati, ita ut nihil agat nisi quod hisce attributis congruum est; potentia vero *absoluta* nominatur, quae in se tantum, ac veluti a reliquis attributis praecisa consideratur: et hac potentia Deus Angelos in infernum detrudere ac diabolos in coelum elevare posset. Verum haec metaphysica praecisio futilis et absona est: omnia enim attributa divina sunt una eademque simplicissima essentia, atque ideo ab invicem separari non possunt; quidquid ergo est contra Dei bonitatem, sapientiam, iustitiam, aut quodvis aliud eius attributum, debet censeri simpliciter et absolute impossibile. Deus enim, ut ait Apostolus, *seipsum negare non potest* (1), et *S. Thomas* (2) dicit: « Nihil potest esse in potentia divina, quod non possit esse in voluntate iusta ipsius et in intellectu sapiente eius. » Admissa ergo distinctione in sensu declarato, omnino sequeretur, hominem sine gratia sanctificante adnexisque donis creari *nullatenus* posse, quod tamen pugnat cum propositionibus damnatis (3). — Ast solidiores Theologi, praecipue *Thomistae,* praefatam distinctionem, quam in praesenti materia amplectuntur, in alio sensu accipiunt. Per potentiam *absolutam* intelligunt illam, qua Deus potest multa facere, quae tamen decrevit non facere, et quae consequenter non subiacent ordini praesentis providentiae, hoc est, ordini, quem ipse statuit in rebus perducendis ad fines, quos ipse sibi proposuit. Vocant potentiam *ordinatam,* seu *ordinariam* illam, qua Deus exequitur, quod ipse facere decrevit. Neque haec distinctio recenter inventa est, sed ipsa in *S. Thoma* invenitur, qui (4) dicit: « Quia potentia (Dei) intelligitur ut exequens, voluntas autem ut imperans, et intellectus et sapientia ut dirigens: quod attribuitur potentiae secundum se consideratae, dicitur Deus posse *secundum potentiam absolutam,* et huiusmodi est omne illud, in quo potest salvari ratio entis. Quod autem attribuitur potentiae divinae secundum quod exequitur imperium voluntatis iustae, hoc Deus dicitur posse facere *de potentia ordinata.* » Iuxta hanc intelligentiam dicendum est, Deum non potuisse creare hominem in statu naturae purae potentia ordinaria, sed absoluta tantum; quia supposito ordine, quem Deus statuit in rebus, elevatione scilicet creaturae rationalis ad finem supernaturalem ex singulari benevolentia, iste status non subiacet praesenti providentiae, sed mansit in sua possibilitate; modo tamen in ea sententia omnino admittatur, quod Deus plene, et sine ullo suorum attributorum praeiudicio, potuerit alium rerum ordinem statuere, et iuxta illum creare hominem in statu naturae purae. Id vero omnes admittunt, qui in sensu *S. Thomae* praefatam distinctionem amplectuntur. Quod, ut melius intelligatur, observandum est, iuxta principia *S. Augustini et S. Thomae,* hoc esse discrimen inter nostram et Dei voluntatem, quod voluntas divina efficiat bonum, iustum, conveniens omne quod vult, quia ipsa est prima et suprema regula totius bonitatis, iustitiae et convenientiae; nostra e contra

(1) 2 Tim. 2, 13.
(2) 1, q. 25, a. 5 ad 1.
(3) V. Perrone n. 342, nota 1.
(4) 1, q. 25, art. 5 ad 1.

supponat in rebus bonitatem, iustitiam et convenientiam, quibus debet conformari. « Poterat Deus..., inquit *S. Augustinus* (1), facere quidquid vellet, iudicare ut vellet, et hoc quod vellet ipsa iustitia est. » Et *S. Thomas* (2) ait: « Quod secundum suam voluntatem Deus facit, iuste facit, sicut et nos, quod secundum legem facimus, iuste facimus; » et (3): « Falsum est, quod dicitur: Deus non potest facere nisi quod modo conveniens est et iustum... erit vera locutio sub hoc sensu: Deus non potest facere nisi id, quod si faceret, esset conveniens et iustum: » hoc est, si Deus aliud vellet, ipsa voluntate sua faceret hoc conveniens et iustum. Quod ergo Deus tantam creaturae rationali benevolentiam impenderet, ut illam ad finem supernaturalem crearet, huncque, qui nunc est, rerum ordinem potius quam alium institueret, non fuit ex ipsa rerum convenientia, seu exigentia, sed ex gratuita et libera eius voluntate: consequenter poterat alium instituere, secundum quem conveniens fuisset creare hominem in statu naturae purae. Igitur non ideo Deus noluit creare hominem in statu naturae purae, quia id non fuisset conveniens, sed non fuit conveniens, quia Deus volens ex singulari benevolentia creare hominem in ordine ad finem supernaturalem, conveniens erat, ut illi ad suum finem media subministraret incompossibilia cum statu naturae purae: sicque haec convenientia est prorsus a divina voluntate dependens. Itaque secundum diversam acceptionem assignatam potentiae absolutae et ordinariae, vere dicitur, statum naturae purae fuisse et non fuisse possibilem de potentia ordinaria, et sic conciliantur contrariae sententiae Theologorum (4). Ex eadem declaratione apparet, quantum Theologi, praefatae distinctioni inhaerentes, a damnatis Baii propositionibus alieni sint. Statuunt enim, Deum liberrime et ex mero gratuita bonitate hominem ad finem supernaturalem creasse: et quoniam voluntas Dei efficax est (5), et divina Sapientia, dum praefigit finem, eo ipso vult media, sine quibus ille obtineri nequit (§ 43, n. 2); ideo dicunt, Deum supernaturalibus donis exornasse hominem, non ex debito, sed ex eadem liberrima et gratuita bonitate, qua ipsum finem supernaturalem praefixit. Sic etiam homo, qui misericordia motus pauperi subvenire vult, non ex debito, sed ex eadem gratuita bonitate censetur manum movere, pecuniam sumere et pauperi tradere: quod multo magis de Deo dicendum est, in quo nos tantum varios sibi succedentes actus distinguimus.

Nota 4. Immunitatem a morte, morbis et caeteris miseriis non fuisse naturalem hominis conditionem, sed gratiae beneficium, omnes admittere tenentur, tum quia corpori, ex materia compacto, naturale est deficere, laedi ac dissolvi posse; tum quia subiectio ad mortem et caeteras aerumnas primarium finem hominis, scilicet moralitatem non solum non impedit, sed potius promovet. Sapientissime ergo Deus etiam iustos et innocentes affligere potest, et rectissime damnata fuit propositio Baii 72: « Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum, etc. » — Immunitatem quoque a concupiscentia homini indebitam fuisse, et a gratuita Creatoris bonitate repeti debere, omnes Theologi fatentur, quia Deus

(1) Serm. 126, c. 3.
(2) 1, q. 21, art. 1 ad 2.
(3) 1, q. 25, art. 5 ad 2.

(4) V. Billuart l. c. art. 2
(5) Is. 46, 10. Ps. 134. 6.

nil creaturae debet, et quaecunque vult et facit iam ideo iusta et convenientia sunt. Non conveniunt autem Theologi, dum quaeritur, quaenam concupiscentia statui naturae attribuenda, ac ideo naturalis hominis conditio sit dicenda. Qui istum statum simpliciter possibilem dicunt, eandem fere concupiscentiam, quam modo experimur, illi attribuunt (1), et Deum ita hominem creare potuisse, probant ex prop. Baii damnata 55: « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur: » innituntur etiam auctoritati S. *Thomae*, qui (2) iustitiae originali adscribit, « quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus » (3). Theologi autem, qui sub declarata distinctione naturae purae statum possibilem dicunt, etiam concupiscentiam isti statui ut naturalem tribuendam ab illa distinguunt, quam modo homines experiuntur. Admittunt quidem, naturalem esse homini concupiscentiam ceu inclinationem in obiecta sensibilia, et hanc etiam in conflictum cum inclinatione in spiritualia et intelligibilia venire posse, sed ita, ut illa per rationem cohiberi, vinci et dirigi possit: eam vero concupiscentiam, quae viribus superioribus et nobilioribus praeponderat, et hominem continuo a fine suo avertit et ad malum inclinat, in statu naturae purae haud admittendam esse censent. Nam iuxta praesentem divinae providentiae ordinem videmus universas creaturas ita comparatas esse, ut omnes earundem partes ad finem ipsis praefixum promovendum dirigantur. Anne admitti potest, quod Deus solius hominis naturam ita condere voluisset, ut partes inferiores praeponderent superioribns, et finem hominis, i. e., moralitatem non promoveant, sed impediant? Si homo conciperetur cum tali concupiscentia conditus et gratiae auxilio ad illam vincendam destitutus, dicendum foret, Deum ipsius finem voluisse et simul non voluisse, quod est absurdum. — Propositio 55 Baii damnata est, quia hic docebat, non potuisse hominem creari cum carentia gratiae, seu sine iustitia originali prout clarius mentem suam aperuit in prop. 79; non autem dicta propositio in quolibet sensu falsa dici potest; alias dicendum esset, Deum potuisse hominem creare *cum peccato originali.* — *S. Thomas* perfectam illam subiectionem virium inferiorum ad superiores, et corporis ad animam, qua fiebat, ut nullus omnino conflictus in homine oriretur, merito adscribit iustitiae originali: ceteroqnin S. Doctor concupiscentiam naturalem hominis apertissime ab illa distinguit, quae ex peccato orta est. Nam q. 4 de malo (4) inquit: « Aliquid potest esse naturale homini dupliciter: uno modo in quantum est animal, et sic naturale est ei, quod concupiscibilis feratur in delectabile secundum sensum communiter loquendo. Alio modo in quantum est homo, idest animal rationale; et sic naturale est ei, quod concupiscibilis feratur in delectabile sensus secundum ordinem rationis. Concupiscentia ergo, per quam prona est vis concupiscibilis, ut feratur in delectabilia sensus praeter ordinem rationis, est contra naturam hominis, in quantum est homo, ita pertinet ad peccatum originale. » Et l. 2, q. 85, art. 3 ad 3 dicit: « Concupiscentia in tantum est naturalis homini, in quantum subditur rationi; qnod autem excedat limites rationis, hoc est homini contra

(1) V. Tournely de gratia q. 2, a. 3.
(2) 1, q. 95, a. ..
(3) V. Sardagna Theol. t. 4, art. 4. Controv. 8, n. 510, etc.
(4) Art. 2 ad 1.

naturam. » Ideo concupiscentia merito numeratur inter vulnera per peccatum originale inflicta, ut inferius ostendetur (1).

ARTICULUS V.
De protoparentum lapsu.

§ 208. Cognitis iam donis naturalibus et supernaturalibus, quibus primi nostri parentes insigniti fuerunt, ut nobilissimum suum finem assequi possent, investigandum est, quomodo se erga Deum, summum benefactorem suum gesserint, et qualem de tam excellentibus donis usum fecerint. — Ast, quod lugendum est, in hac inquisitione invenimus, sicut Angelos malos, ita etiam primos homines ingratissimo modo a Deo defecisse. Nam iuxta historiam nobis divinitus patefactam Adam et Eva protoparentes nostri 1° *vere peccarunt*, 2° *comedendo fructum vetitum*, 3° *tentati, et seducti a daemone*, atque 4° *hoc ipsorum peccatum gravissimum fuit.*

Nota. Vetustissima haec historia summi profecto momenti est, quia Religionis fundamenta tradit, Deum ceu Legislatorem et Iudicem repraesentans; humanae libertatis quoque tum primam historiam, tum authenticum documentum exhibet, ad quaestionem de origine mali solvendam plurimum refert; et cum praecipuis Religionis christianae dogmatibus intime cohaeret.

I. *Protoparentes nostri vere peccarunt.*

§ 209. 1. Peccatum actuale est libera transgressio legis divinae. Dubitari ergo nequit, protoparentes nostros vere peccasse, si iniunctam sibi legem divinam libere trangressi sunt. Id autem ab ipsis factum esse, S. Scriptura testatur. Deus enim legem tulit, Adae dicens: *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas: quacunque enim die comederis, morte morieris* (2). — Lex ista hominibus conveniens et Deo dignissima fuit; nam si *materia* spectetur, observatu fuit facillima, quoniam abstinentia a fructu unius arboris ardua esse non poterat illis, quibus omnes caeterarum arborum fructus pro alimento praesto erant: si *finis* attendatur, lex eadem aequissima fuit, quia Deus per illam se tanquam supremum rerum omnium Dominum ostendit, et hominibus libertate donatis occasionem praebuit suam erga Creatorem obedientiam exercendi, et per hanc maximam sibi felicitatem comparandi: quoad *modum* denique, ut gravitas legis pateret, transgressori facta est comminatio mortis. — Hanc legem sibi impositam non solum Adam cognovit, qui eandem ex ore Dei percepit, sed etiam Eva, quae ad serpentem dixit: *De fructu vero ligni, quod est in medio paradisi praecepit nobis Deus, ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur* (3). Protoparentes autem liberos quoque fuisse, patet tum ex ipsa hominis natura (§ 199), tum ex imagine divina, secundum quam creati fuerant (§ 203, n. 1). At hac libertate turpiter abusi id egerunt, quod a Deo prohibitum erat. Legitur enim: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulcrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit: deditque viro suo, qui comedit* (4). Itaque protoparentes nostri vere peccarunt, quia notam sibi legem divinam libere transgressi sunt.

2. Protoparentes nostros vere peccasse, constans fuit tum Iudaeorum, tum Christianorum fides. Neque solum in Genesi lugendus hic lapsus nar-

(1) V. Gazzaniga t. 4 in fine Appendix § 4.

(2) Gen. 2, 16. (3) Gen. 3, 3. (4) Gen. 3, 6.

ratur, sed de eodem etiam in aliis V. et N. Testamenti libris, sermo occurrit, uti ex inferius dicendis apparebit. Ss. Patres frequenter de protoparentum peccato disserunt. *Clemens Alex.* (1) scribit: « Adam fuit perfectus: elegit autem, quod vetitum erat. » *S. Cyprianus* (2) ait: « In origine statim mundi et generis humani Adam praecepti immemor, et datae legis transgressor fuit. » *S. Athanasius* (3) ita loquitur: « Homo natura sua liber factus et sine peccato, serpentis astu et persuasione lapsus est. » *S. Augustinus* (4) dicit: « Adam tanta impietate peccavit, quantam nos metiri et aestimare non possumus, sed quantam illam iudicaverit Deus. » — Demum etiam in Conciliis *Adae praevaricatio* tanquam certissima veritas proponitur, et ex illa varia consectaria deducuntur, ut in *Concilio Arausicano II* (5), *Conc. Tridentino* (6).

Nota. Quaerunt nonnulli, quomodo fieri potuerit, ut protoparentes intellectu perspicaci, voluntate recta, ab omni mala concupiscentia immunes, ac insuper supernaturalibus gratiae donis praediti, tam graviter delinquere potuerint? putant igitur, aut originarium gratiae et felicitatis statum, aut peccatum esse negandum, quasi haec duo in protoparentibus sine contradictione admitti non possint. — Ast tota haec difficultas solummodo circa modum versatur, quo primi homines, excellentibus donis instructi, peccare potuerint; ignorantia autem modi non tollit certitudinem facti. Etiam in naturalibus hincinde vix concipere valemus, quomodo aliquid contigerit, quod tamen vere factum esse, negare non possumus. Insistendum ergo est divinae Revelationi, quae nos tum de felici protoparentum statu, tum de eorundem peccato certos reddit. Habemus ergo duas veritates ex Revelatione certas, quas credere oportet, tametsi earum nexus perfecte explicari non posset. Falsum est autem, inter istas duas veritates contradictionem reperiri. Eadem enim Revelatio, quae nobis protoparentes in felicissimo statu exhibet, etiam contestatur, ipsos liberos fuisse ita ut bonum vel malum eligere potuerint, eosdemque magnas quidem sed tamen limitatas vires habuisse, cum Deus solus infinitus sit. Ipsa vero ratio cognoscit, libertatem limitatam per se deficere et peccare posse. Etiam multi ex Angelis, maioribus viribus praediti, lapsi sunt; cur id de hominibus impossibile dicatur? In similibus factis non vanis ratiociniis indulgendum, sed authenticis documentis credendum est. Ceterum inferius aliquae causae internae et externae assignabuntur, quae ad protoparentum lapsum concurrerunt.

(1) L. 5 Strom. (2) Lib. de bono patient.
(3) L. de incarn. Verbi.
(4) Op. imp. c. Iulian. lib. 3, cap. 65.

II. *Protoparentes peccarunt comedendo fructum vetitum.*

§ 210. Narrationem mosaicam de peccato protoparentum nonnulli allegorice exponendam esse censuerunt. Sic *Philo* Iudaeus dixit, per paradisum naturam moralem, per arborem vitae timorem Dei, per arborem scientiae prudentiam, per serpentem voluptatem, per virum intellectum, per mulierem appetitum sensitivum, per comestionem fructus transgressionem legis significari (7). — Similem interpretationem amplexus est *Origenes*, qui, praeexistentiam animarum propugnans, ad allegorias confugere

(5) Can. 1 et 2. (6) Sess. 5, can. 1, 2 et 3.
(7) V. S. Ambros. l. de Paradiso c. 2.

compulsus est, ut declaret, animas ob peccata anterioris vitae in corpora detrusas fuisse, quod significari putavit per *tunicas pelliceas* (1), quibus Deus protoparentes induit (2). Nonnulli sub comestione fructus vetiti, qui dicitur pulcher oculis, aspectuque delectabilis, intellexerunt luxuriam, peccatum carnis contra naturam, aut saltem usum coniugii tunc interdicti: hanc sententiam defenderunt *Encratitae* et *Manichaei*, ut exinde inferrent, nuptias illicitas esse: idem fere commentum recoxit *Beverlandus*, qui Adamum de stupro accusavit. — Inter neotericos biblicos plurimi in narratione mosaica sensum litteralem proprium agnoscere recusant, et illam vel cum *Ierusalem* tanquam poëma morale de origine peccati ex praevalenti sensuum imperio, et de manante inde miseria assumunt, vel cum *Kant* et *Rosenmüller* de usu rationis exponunt, quem tunc primum protoparentes adepti sunt, vel cum *Rationalistis* inter mythos amandant. Contra istos probandum est, narrationem mosaicam de protoparentum lapsu in sensu litterali proprio accipiendam esse.

1. Iuxta regulas hermeneuticas tunc tantum in S. Scripturae expositione a sensu litterali proprio recedere licet, si ex isto aperta sequitur absurditas, aut si sensus improprius, allegoricus, sive mysticus in alio S. Scripturae loco indigitatur. Ast neutrum contingit in narratione mosaica de peccato protoparentum; nullo enim pacto absurdi quid in illa ostendi potest: non ex parte Dei, cuius lex convenientissima fuit; nec ex parte hominum, qui utpote liberi et finiti legem transgredi potuerunt: nec ex parte serpentis seductoris, uti ex sequenti § apparebit; nec ex parte poenarum, protoparentibus inflictarum, quoniam, iuxta ipsius rationis dictamina, temeraria legis transgressio poenam meretur. — Praeterea tantum abest, S. Scripturam alibi sensum improprium seu allegoricum indigitare, ut potius non obscura loca in illa reperiantur, in quibus narratio mosaica in sensu litterali proprio accipitur. Sic Eccl. XXV, 33 dicitur: *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur*. Paulus Adae peccatum in specie *inobedientiam* (3) vocat, quae in transgressione legis prohibentis iuxta narrationem mosaicam specialiter occurrit. Idem Apostolus litteraliter historiam accipit, dum scribit: *Serpens Evam seduxit astutia sua* (4). Itaque etiam nobis a sensu litterali proprio recedere non licet.

2. Idipsum confirmat indoles et scopus Moysis, historiam primorum hominum rudi populo Israëlitico enarrantis: qua in re simplici stilo et sine allegoriarum involucro procedendum erat, quod et aperte praestitit Moyses, prout ipsi non solum ut ingenuo scriptori historico, sed multo magis ut doctori et legislatori gentis suae convenerat: ipsius igitur narratio simpliciter seu litteraliter, et non allegorice est intelligenda. Si tam simplicem et perspicuam narrationem pro libitu allegorice exponere liceret, omnia S. Scripturae loca in sensu improprio sumi et per allegorias exponi, seu potius corrumpi possent; et tunc non iam sensum a Spiritu sancto intentum, sed inania effervescentium ingeniorum commenta haberemus.

3. *Ss. Patres* narrationem Moysis de protoparentum lapsu in sensu litterali proprio intellexerunt. *S. Ire-*

(1) Gen. 3, 21. (2) V. Dobmayr t. 6, § 9.

(3) Rom. 5, 19. (4) 2 Cor. 11, 3.

naeus (1) docet, inobedientiam Adami in ligno, per obedientiam Christi in ligno deletam esse, et seductionem Evae, « quae per verba Angeli (mali) ad violandum praeceptum divinum et Deum deserendum incitata fuit, » reparatam fuisse per obedientiam Virginis Mariae, cui per Angelum incarnatio Verbi annuntiata fuit. *S. Theophilus Ant.* (2) dicit, « non fructum arboris malum fuisse; sed inobedientiam malos effectus produxisse, ac (3) addit: Evam a principio per serpentem seductam fuisse, et primam peccati causam extitisse. » *S. Cyprianus* (4) ait: « Adam contra coeleste praeceptum cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit. » *S. Basilius* (5) inquit: « Adam improbo esu peccatum transmisit: » *S. Gregorius Naz.* (6) lamentatur: « Multa mala nobis lignum illud invexit, et amarus esus, et invidus serpens, et violata lex. » *S. Chrysostomus* (7) integram de lapsu protoparentum historiam litteraliter exponit, et inter alia dicit: « Gustus ille inobedientiae erat argumentum et praevaricatio mandati a Deo traditi: » ut autem convenientiam huius mandati ostenderet, ita praeclare loquitur: « Quemadmodum munificus aliquis dominus aedes amplas et magnificas cuipiam fruendas concedens, non iustum illarum pretium, sed exiguam eius particulam vult accipere, ut et sibi dominii ius integrum servet, et usuarius iste certo sciat, non se esse aedis dominum, sed illius beneficio ac liberalitate utendum sese accepisse; sic Dominus noster, cum quidquid aspectabile est, homini commisisset, eique tum in paradiso domicilium, tum eius delicias ad fructum animi tribuisset, ne paulatim animo in transversum abreptus ista ipsa, quae oculis cernuntur, per se ac temere esse crederet, ut supra dignitatis suae modulum de se ipso sentiret, unius illi usum arboris interdixit. » *S. Hieronymus* (8) scribit: « Paradisi colonum de sua possessione mulier eiecit. » *S. Paulinus* (9) ita conqueritur: « Infelix ego, qui venenatum inimicae arboris gustum nec crucis ligno digessi; durat enim mihi illud ab Adam virus paternum. » *S. Augustinus* (10), recitatis verbis S. Scripturae Gen. III, haec subiungit: « Antequam huius propositae Scripturae textum ex ordine pertractemus, admonendum arbitror, quod iam me et alibi in hoc opere memini praelocutum, illud a nobis esse flagitandum, ut ad proprietatem litterae defendatur, quod gestum narrat ipse, qui scripsit. » *S. Gregorius M.* (11) dicit: « In paradiso mulier viro propinavit mortem. » Eodem modo posterioribus Ecclesiae saeculis in sensu litterali proprio semper intellecta fuit mosaica de protoparentum lapsu historia.

Nota 1. Qui a sensu litterali proprio recedunt, expositionem suam allegoricam nullo authentico monumento probare valent. Ipsa traditio antiquorum populorum illis contraria est. Nam ex narratione mosaica litteraliter accepta profluxit doctrina Zoroastrica de *Ahriman*, malorum geniorum supremo, serpentis specie induto, qui primos homines ad peccandum seduxit. Ex eodem fonte repetendae sunt antiquissimae *Promethei* fabulae, et *Herculis* decerpentis mala aurea ex arbore una cum serpente

(1) L. 5 adv. haer. c. 19.
(2) L. 1 ad Autol. n. 25. (3) N. 28.
(4) L. de bono patient. (5) Hom. de fame.
(6) Orat. 9. (7) Hom. 16 in Gen.
(8) Ep. ad Nepotian.
(9) Ep. 30 ad Sever.
(10) Lib. 11 de Gen. ad litt. c. 1.
(11) Hom. 25 in Evang. n. 7.

Ladon dicto ex arbore pendente. Idem fere innuunt antiqua monumenta hieroglyphica apud *Aegyptios* detecta, et imagines apud *Sinenses* inventae. *Arabes* eandem habuisse fidem, ex eo colligi potest, quod Muhametes eodem fere modo ut Moyses lapsum primorum hominum enarret (1). — Admitti autem nullo modo potest sententia eorum, qui primum hominum peccatum luxuriam fuisse putant. In protoparentibus enim innocentibus inordinata concupiscentia non adfuit, quae solum per peccatum exorta est, uti inferius probabitur. Usum coniugii illis aliquandiu interdictum fuisse, nullo prorsus argumento probari potest: contrarium potius constat ex verbis Dei: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram* (2).

Nota 2. Qui narrationem mosaicam de lapsu protoparentum litteraliter intelligere recusant, pro expositione allegorica sequentes rationes proferunt:

Obi. I. Cum in mundi primordiis litterae nondum inventae essent, facta memoratu digna hieroglyphico modo repraesentari et ad memoriam posterorum transmitti consueverunt. Simili modo primorum hominum peccatum per figuras adumbratum fuit, ita ut per arborem lex, per serpentem tentatio, per comestionem vetiti fructus peccatum indigitetur, quin tamen dici possit, per haec symbola ipsam qualitatem peccati determinatam fuisse. Moyses autem id, quod in figuris repraesentabatur, iuxta genium populi inculti litteris mandavit, ut saltem aliqua de fatis protoparentum cognitio haberetur.

Resp. Non satis constat de tempore et loco, quo hieroglyphica exorta sunt; et si ars pingendi et sculpendi magis antiqua statuitur, quam ars scribendi, poterant per illam facta exhiberi prouti contigerunt, cum eiusdem indoles eo tendat, ut quantum fieri potest, naturaliter res repraesententur. Itaque si praedictae formae hieroglyphicum extitit, quod tamen nemo probavit, non inde sequitur, allegoriam illi subesse, sed potius inferendum est, protoparentes vere per comestionem fructus vetiti peccasse. — Porro certum omnino est, in primis mundi temporibus, sicuti documenta fidei et morum, ita etiam magni momenti facta per traditionem ad posteros transmissa esse, quae ob longaevam Patriarcharum vitam non tam facile corrumpi poterat. Et si corrupta fuisset, Moyses tamen, scriptor hagiographus, nullo modo potuit spuriam traditionem pro vera proponere, sed Spiritus sanctus aut ea, quae in primordiis mundi contigerunt, ipsi immediate revelavit, aut certe ita eum direxit, ut nonnisi vera narraret.

Obi. II. Ipsum nomen arboris scientiae boni et mali mythum prodit; non potest enim lignum homini scientiam tribuere. A sensu litterali recedendum esse, suadent etiam ea, quae Gen. III, 8 leguntur de voce *Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem:* haec enim naturae Dei simplici et immensae aperte repugnant, si in sensu litterali sumantur: ergo improprius, seu allegoricus est adhibendus.

Resp. Nomen arboris scientiae boni et mali nullatenus mythum prodit. Non enim hoc nomine significatur, Adamum per hoc lignum notitiam boni et mali acquisiturum esse, quia intellectu praeditus, et per gratiam illustratus iam antea cognovit, quid agendum, quid fugiendum sit: sed arbor illa lignum scientiae boni et

(1) V. Dan. Huet. Dem. ev. p. 1, pr. 4, c. 9. Hugo Grot. de verit. Rel. chr. l. 1, c. 16. Perrone n. 25..

(2) Gen. 1, 28.

mali nominatur, quia protoparentes, dum fructum eius contra Dei interdictum gustarunt, discrimen boni et mali status clarius perspicere coeperunt: non licet ergo a sensu litterali proprio recedere, quia solummodo hoc reiecto nomen arboris absonum et sine sensu fieret. — Ultro autem fatemur, deambulationem Dei in paradiso non posse in sensu litterali proprio accipi, quia ens immensum non movetur de loco in locum. Ast Deus dicitur in S. Scriptura, descendere, venire, ambulare etc. dum praesentiam suam speciali modo manifestat (§ 24, not. 2, Obi. 2): ergo etiam id, quod Gen. III, 8 dicitur, ita intelligendum est, quod Deus certo loco et certo tempore sub aliqua sensibili forma protoparentibus post peccatum praesentiam suam manifestaverit. Ideo autem non licet in tota mosaica narratione a sensu litterali recedere, sicut non licet historiam Eliae allegorice exponere, quia, cum transiret Dominus, sibilum aurae tenuis sensit (1).

Obi. III. Absona est comminatio mortis praecepto addita; nam protoparentes non potuerunt intelligere gravitatem praecepti, eo quod de morte nullam notitiam haberent.

Resp. Si Deus per comminationem mortis protoparentes a violatione praecepti deterrere voluit, certe illam ita proposuit, ut ab ipsis intelligeretur; neque enim in Genesi omnia conscripta sunt, quae Deus ad protoparentes locutus est: et nihil sane scientiarum Domino facilius est, quam notitiam, quam vult, creaturae rationali communicare. Addunt nonnulli, supponi posse, quod mortis exemplum in animalibus iam viderint protoparentes, antequam mandatum acciperent (2).

Obi. IV. Ss. Patres non pauci dicunt, protoparentes per superbiam, ambitionem, incredulitatem etc. peccasse: ergo a sensu litterali proprio recedunt.

Resp. Ss. Patres ex ipsa narratione mosaica litteraliter sumpta probant, protoparentes per superbiam, ambitionem, incredulitatem etc. peccasse, uti ex inferius dicendis apparebit: ergo a sensu litterali proprio neutiquam recedunt.

III. *Protoparentes peccarunt tentati et seducti a daemone.*

§ 211. Seductio protoparentum ita narratur: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? cui respondit mulier: De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur: de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocunque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum, et malum. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulcrum oculis adspectuque delectabile, et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo, qui comedit* (3). — Circa istum serpentem seductorem variae dantur sententiae. — Multi ex Iudaeis, quibus adhaesit etiam *Ios. Flavius*, dixerunt, Evam seductam fuisse a naturali serpente, qui ab initio erecto corpore incedebat, pedibus instructus, et una cum ceteris bestiis loquendi facultate praeditus erat, quam ob peractam seductionem una cum pedibus amisit. Ast haec sententia ma-

(1) 3 Reg 19, 12. (2) Dobmayr t. 6, § 10.

(3) Gen. 3, 1 etc

xime absurda est; nam ad loquendum et ratiocinandum serpens opus habuisset intellectu; constat autem ex S. Scriptura solum hominem ad imaginem Dei creatum, id est, intellectu et voluntate libera praeditum fuisse: absurdum etiam est dicere, propter seductionem serpentis omnia reliqua animalia facultate loquendi privata fuisse, solo homine, qui peccavit, excepto. — Hac absona sententia reiecta, *Isaac Abarbanel* aliam protulit asserens, naturalem serpentem in arborem ascendisse, de huius fructu manducasse, et, quin verba proferret, solo exemplo suo Evam ad comestionem incitasse: addit, esse tribuendum mori Orientalium, quod sacer Scriptor animal cum Eva loquens induceret, et hac ratione declararet cogitationes et affectiones, quae in Evae animo subortae sunt, cum serpentem manducantem adspexit. — Ast talem morem iam tempore Moysis apud Orientales viguisse nec simili exemplo, nec alio argumento probari potest: praeterea talis mos mentis cogitationes in forma sermonis exprimendi apud poëtas invenitur; alienus autem censendus est a scriptore historico, qui omnia simplici et ingenuo stilo enarrat: denique iuxta hanc sententiam absona fuisset poena a Deo lata in serpentem, cui tamen, utpote ratione carenti, culpa imputari non potuisset. — *Philonem*, quem multi secuti sunt, per serpentem concupiscentiam intellexisse, iam dictum est § praec., eiusque sententia refutatur per ea, quae ibidem contra expositionem allegoricam prolata fuerunt. — Absurditate et temeritate omnes vicerunt *Ophitae*, quibus multi Marcionis et Manichaei asseclae assentiuntur, dicentes, serpentem illum fuisse spiritum Deo, Auctore materiae, meliorem, et protoparentes recte egisse illius suasionibus obtemperando: sed horum deliramenta recitasse et refutasse idem est. — His sententiis reiectis, plerique docent, per serpentem seductorem Angelum malum, diabolum, seu satanam esse intelligendum; circa modum vero tentationis non omnes consentiunt. Nonnulli enim putant, diabolum non sub forma quadam visibili apparuisse, sed serpentis instar latenter solum per tentationes et suggestiones internas Evam seduxisse. Ast haec sententia S. Scripturae non satis consona est, quae non sine causa serpentem externe apparentem et verba proferentem repraesentat. Alii dicunt, diabolum sub corpore parastatico serpentis speciem referente cum Eva locutum fuisse. Communior autem sententia tenet, diabolum serpentem naturalem ingressum, et ex illo locutum esse. Ceterum *ex S. Scriptura* et *ex Traditione* constat, tentationem et seductionem Evae daemoni esse adscribendam.

1. Ex ipsa narratione mosaica colligi potest, per serpentem non posse mere animal naturale intelligi. Dicitur enim *serpens callidior cunctis animantibus terrae:* sermo autem est, uti ex sequentibus patet, de calliditate tali, quae Evae, intellectu et libera voluntate praeditae, motiva ad agendum impellentia suggerit; talis autem calliditas sine ratione, seu intellectu cogitari non potest: ergo ipsa S. Scriptura innuit, in serpente, cui talem calliditatem adscribit, quam ex natura sua non habuit, ens quoddam rationale, et quidem malum fuisse, quia ad peccandum pellexit. Ex iis quoque, quae post peccatum contigerunt idem relucet. In ius enim vocatus est serpens a Deo, et exprobratum est illi seductionis crimen; ex quo necessario infertur, de creatura rationali a Deo

avulsa, sermonem esse. Denique Deus dixit: *Inimicitias ponam inter te* (o serpens!) *et mulierem, et semen tuum, et semen illius: ipsa conteret caput tuum* (1). His verbis facta est prima Messiae promissio (v. Th: gen. § 105, n. 1): quodsi in Genesi de serpente mere naturali sermo esset, absonus sensus prodiret, quod Redemptor, seu mater ipsius serpentis naturalis caput conterere debuerit: dicendum ergo est, in citatis verbis praedici, per Messiam arrogantiam atque potentiam daemonis conterendam fore, qui in serpente homines seduxit, et in suam captivitatem redegit. — Clarissime in aliis S. Scripturae locis traditur, seductionem Evae daemoni esse adscribendam. Ita Sap. II 24 legitur: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Certum est autem, mortem intrasse in mundum per peccatum, uti Paulus docet. (2): non potest ergo ex alia ratione mors hominum diabolo adscribi, nisi quia ipsos ad peccatum induxit, propter quod in eos mortis sententia lata est; nam qui est causa causae, est causa causati. Hoc idem innuit locus, Io. VIII, 44, ubi Chistus ad Iudaeos ait: *Vos ex patre diabolo estis... ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit: quia non est veritas in eo* etc. Diabolus ergo ille erat, qui *ab initio*, i. e. in mundi primordiis homines occidit, et mentitus est, quia homines mendacibus suis suggestionibus ad peccatum induxit, ex quo mors secuta est. Denique Apoc. XX, 2 legitur: *Vidi Angelum descendentem de coelo.... et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas*. Serpens ergo antiquus, per quem certe alius intelligi nequit nisi ille, qui antiquitus, id est, in primordiis mundi Evam seduxit, fuit diabolus, seu satanas.

2. *Ss. Patres* quoque tentationem et seductionem Evae daemoni adscribunt. *S. Iustinus M.* (3) dicit: « Diabolum a Moyse serpentem nominari: » et (4) addit: « Malignum principem, qui serpens vocatur, in ima delapsum esse, quia Evam seduxit. » *S. Irenaeus* (5) in illa verba: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius* (6) inquit: « Ignem paratum esse illi, qui homines decepit et ad peccatum induxit, nempe principi apostasiae et angelis, qui eum ipso lapsi sunt. » — *S. Cyprianus* (7) ait: « Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit. Inde et periit primus et perdidit.» *S. Gregorius Naz.* (8) sic lamentatur: « Totus lapsus sum, et ex primigeni hominis inobedientia et diaboli fraude condemnatus sum. » *S. Chrysostomus* (9) ait: « Eva apposuit porco, huic malae bestiae, daemoni videlicet, qui per serpentem operabatur, divinas margaritas: » idem (10) inquit: « Flebat Christus, quod eos, qui immortales esse poterant, diabolus fecit esse mortales. » — *S. Hieronymus* de vita S. Malchi narrat, hunc monachum, solitudinem deserere volentem, sequentia de se confessum esse: « Clamare coepit Abbas meus, diaboli esse tentationem-nusquam diabolum aperta fronte se prodere. Proponebat mihi exempla de Scripturis plurima, inter quae illud, quod initio Adam quoque et Evam spe divinitatis supplantaverat. » *S. Augustinus* (11) ait: « Prudentissimus

(1) Gen. 3, 15. (2) Rom. 5, 12.
(3) Dial. c. Triph. n. 103.
(4) N. 124. (5) L. 3 adv. haer. c. 23, n. 3.
(6) Matth. 25, 41.
(7) L. de bono patienl.
(8) Or. 3 de pace. (9) Hom. 16 in Gen.
(10) Hom. de resusc. Lazar.
(11) L. 11 de Gen. ad litt. c. 29.

omnium bestiarum, hoc est, astutissimus dictus est serpens propter astutiam diaboli, qui in illo et de illo agebat dolum. »

S. Gregorius M. (1) dicit: « Antiquus hostis contra primum hominem parentem nostrum in tribus tentationibus se erexit, quia hunc videlicet gula, vanagloria et avaritia tentavit; - sed tentando superavit, quia sibi eum per consensum subdidit. » Eiusdem traditionis testes sunt *Tertullianus*(2), *Origenes* (3), *Lactantius* (4), *Eusebius* (5), *S. Basilius* (6), *S. Gregorius Nyss.* (7) et alii.

Nota 1. Quaesitum est, an ambo protoparentes a daemone, ex serpente loquente, seducti fuerint, vel an id de sola Eva dicendum sit. Ss. Patres passim protoparentum seductionem diabolo adscribunt; imo etiam hincinde in specie Adamum a serpente, seu a daemone seductum dicunt. Sed ex nonnullis S. Scripturae locis colligi potest, solam Evam a serpente seductam fuisse. Adamum vero longius ab arbore distantem colloquium Evae cum serpente non audiisse, et a sua uxore tantum ad vetitam comestionem illectum fuisse. Id patet ex eo, quia Eva tantum culpam refudit in serpentem: *Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi*(8); et Deus ait: *Quia audisti vocem uxoris tuae et comedisti* (9): Paulus dicit: *Serpens Evam seduxit astutia sua* (10); et: *Adam non est seductus: mulier autem seducta in praevaricatione fuit* (11). Apostolus hic non negat peccatum Adae, sed solum adseverat, ipsum non fuisse seductum a serpente, sed a muliere. Quod si Patres nihilominus seductionem Adae daemoni adscribunt, non ideo S. Scripturae contradicunt: distinguenda est enim seductio immediata et mediata; illam negat Apostolus, de hac vero loquuntur Patres. Iuxta alios vero ideo Adam *non seductus* dicitur, quia non eodem mentis, seu fidei errore captus fuit, quo Eva captivata est. Sic *S. Augustinus*(12) dicit, Adam non fuisse seductum, sed « scientem prudentemque peccasse: » at idem S. Doctor alibi (13) dicit: «Alio modo quodam et ipse (Adam) deceptus est (non quod crediderit falsae serpentis promissioni, ut credidit Eva, quam proprie seductionem appellavit Apostolus) — sed quod eum propter aliquam mentis elationem... sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret, accepta illa esca, non esse mortuam.» Subtilius *S. Thomas* (14), distinguens seductionem in universali et in particulari eligibili, seu seductionem in errorem formaliter contra fidem et seductionem in actionem moribus tantum contrariam, ait: « Mulier fuit seducta ignorantia in universali, quando scilicet credidit, quod serpens dixit. Sed vir non credidit hoc, sed deceptus fuit in particulari, scilicet quod gerendus esset mos uxori et cum ea comedere deberet, et inexpertus divinae severitatis credidit, quod facile ei remitteretur. » Addit S. Doctor, iuxta hanc distinctionem, Adam et seductum et non seductum dici posse.

Nota 2. Propositae de protoparentum seductione doctrinae sequentia opponi solent.

Obj. I. Narratio mosaica in sensu litterali intelligenda est. Moyses vero Evae seductionem describens non no-

(1) Hom. 16 in Ev. n. 2.
(2) L. de patient. c. 5.
(3) In Io. T. 20. n. 21. (4) L. 2 instit. c. 13.
(5) Praep. ev. l. 7, c. 10.
(6) Hom. in Ps. 29, n. 5.
(7) Tr. 2 in Psalm. c. 16. (8) Gen. 3, 12
(9) Ib. v. 17 (10) 2 Cor. 11, 3.
(11) 1 Tim. 2, 14. (12) L. 14 de Civ. D. c. 11.
(13) L. 11 de Gen. ad litt. c. ult.
(14) Lect. 3 in 1 Tim. 2.

minat nisi serpentem, quem etiam aequiparat caeteris animantibus terrae: non ergo daemon, sed serpens naturalis Evae seductor fuit.

Resp. A sensu litterali proprio hac in re iure recedimus, tum quia ex illo absurdum sequeretur, quod animal intollectu destitutum ratiocinaretur, tum quia in aliis Scripturae locis seductio Evae daemoni adscribitur. Caeterum non negamus, in illa tentatione verum serpentem naturalem adfuisse, quia hunc ingressus est Satan, et ex eo dolosa protulit verba. Comparatur autem cum reliquis animalibus terrae vel serpens propter inhabitantem daemonem, vel ipse daemon, quia animalis forma, seu corpore abusus est.

Obi. II. Ex poena inflicta seductori: *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes* (1), liquido apparet, nonnisi serpentem naturalem intelligi, cuius, utpote pedibus destituti, est repere, et terra nutriri.

Resp. In verbis citatis optime etiam poena daemoni inflicta intelligi potest. Similibus enim terminis saepius in S. Scriptura maxima humiliatio et calamitas exprimitur. Sic de adversariis Messiae dicitur: *Inimici eius terram lingent* (2). David, suam ob commissum peccatum humiliationem et contritionem exprimens, aiebat: *Cinerem tanquam panem manducabam.* Isaias, Messiae victorias de ipsis regibus describens, inquit: *Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent* (3). Ergo etiam verba in seductorem prolata non indigitant nisi miserrimam daemonis conditionem, ad quam per Messiam redigendus erat (4). — Inepte autem poena illata serpenti intelligeretur, cui, utpote rationi carenti, culpa imputari non potuit; quapropter absonum est dicere, serpentem ob seductionem peractam pedibus privatum fuisse, cum tamen homo, qui peccavit, naturalia sua conservavit: reptilia, ad quae spectant serpentes, iam ante hominis lapsum creata fuerunt. Sapientissime autem Deus daemoni seductori pôenam dictans citatis metaphoricis verbis usus est, ut homines, dum serpentes vident, tum seductionis peractae, tum peccati commissi, tum poenae inflictae perpetuo recordarentur.

Obi. III. Serpens loquens nonnisi ad fabulas referri potest, in quibus animalia sermocinantia proponuntur. Et - si serpens, qui naturalem horrorem incutere solet, in arbore adfuit, quomodo Eva illi adpropinquare ausa est? et quomodo ipsa, perspicaci intellectu praedita, credere potuit serpenti, quem dignitate sua longe inferiorem esse sciebat? — quaeri ulterius potest, quomodo daemon scire potuerit, a Deo fructum arboris vetitum fuisse? — omnes istae difficultates probant, totam narrationem inter mythos referendam esse.

Resp. Serpens mere naturalis sine influxu superioris spiritus loquens merito ad fabulas refertur; sed malignus spiritus ex serpente naturali loquens etiam in vera historia locum habere potest (§ 181, et seq.). Eva non exhorruit aspectum serpentis, quia domina animalium certa erat, nullum sibi nocere posse, uti ait *S. Chrysostomus* (5) naturalis horror, quem serpentes hominibus incutere solent, post peccatum exortus est. — Haud facile equidem concipitur, quomodo Eva fidem praestans serpenti seducta fuerit; sed haec difficultas tantum circa modum versatur, cuius igno-

(1) Gen 3, 14 (2) Ps 71, 9.
(3) Is 49, v. 23.
(4) Io. 12, 31. Apoc. 20, 2.
(5) Hom 16 in Gen.

rantia certitudinem facti non labefactat; nam intrinseca impossibilitas nulla ostendi potest (§ 209 not.). Nonnulli, ut modum explicent, dixerunt, Evam seductam fuisse, quia experimento cognoverat, serpentem, quem alias nec ratione, nec loquendi facultate praeditum esse sciebat, postquam de fructu arboris gustaverat, et locutum et ratiocinatum fuisse, ex quo sibi persuaserat, miros prorsus effectus hunc fructum producere. — Alii vero autumant, serpentem, cuius corpore daemon abusus est, splendidissimum fuisse; tales enim in regionibus meridionalibus inveniri, Plinius testatur, et daemones saepe in Angelos lucis transfigurari, constat ex II Cor. XI, 14.—Eva itaque, cum fraudes tentatoris et effectus peccati nondum expertaesset, credidit seductori, quem Angelum bonum, de sua prosperitate solicitum, et omni fide dignum esse putavit. Diabolus vero prohibitionem factam vel ex colloquiis Adae et Evae, quibus, Deo permittente, invisibiliter adstitit, vel iam sub forma serpentis latitans sciscitando comperire, vel multis aliis modis cognoscere potuit. Nihil ergo in tota narratione occurrit, quod mythum prodat.

IV. *Peccatum protoparentum gravissimum fuit.*

§ 212. Gravitas peccati, a protoparentibus commissi, patet tum ex felicissimo eorundem statu, tum ex peccati radice, quae fuit superbia, tum ex aliis malitiae speciebus, cum una illa trangressione coniunctis.

1. *S. Augustinus*, ut peccatum Adae gravissimum fuisse ostenderet (1), dicit: « Adam et terrente nullo et insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio non stetit in tanta felicitate et tanta non peccandi facilitate. »Et sane - nulla adversitas, nulla inopia, nullus metus, nulla mali comminatio Adamum ad vetitam comestionem impulit: e contra sciebat, Deum omnipotentem et iustissimum duram sibi minatum fuisse mortem, si eius praeceptum transgrederetur. Porro beneficia immensa cognoscebat, quibus a Deo cumulatus deliciis undique abundabat. Denique integras habebat vires, intellectum perspicacissimum et voluntatem rectam, ac ab inordinata concupiscentia immunem: neque auxilia supernaturalia deerant, cum gratia sanctificante et iustitia originali ornatus esset: quanta ergo impietate in tam felici statu peccavit?

2. Primum protoparentum peccatum, ex quo ipsa legis positivae transgressio emanavit, fuisse superbiam, innuit S. Scriptura, dicens: *Initium superbiae hominis*, hoc est, primus superbiae hominis actus, *apostatare a Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati est superbia* (2). *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio* (3). S. Scripturae consentiunt Ss. Patres. *S. Ambrosius* (4) ait: « Superbia hominem prima deiecit. » *S. Augustinus* l. 11 de Gen. ad litt. c. 8 dicit: « Neque arbitrandum est, quod esset hominem deiecturus iste tentator, nisi praecessisset in anima hominis quaedam elatio comprimenda. » Et l. 14 de Civ. D., c. 13 scribit: « In occulto mali esse coeperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur; non enim ad malum opus perveniretur, nisi mala voluntas praecessisset. Porro malae voluntatis initium

(1) L. de corrept. et grat. c. 12.

(2) Eccli. 10, 14. (3) Tob. 4, 14.
(4) Ser. 14 in Ps. 118.

quid potuit esse nisi superbia? initium enim omnis peccati superbia. » *S. Prosper* (1) de primis parentibus dicit: « Non desererent Deum, nisi superbirent et similitudinem Dei miserabiliter appetiissent. » *S. Leo M.* (2) effectus peccati originalis vocat vulnera superbiae, humano generi ex parte Adae inflicta. *S. Gregorius M.* in illa verba: *initium omnis peccati est superbia*, subiungit: « per hanc enim ipse (diabolus) succubuit; per hanc sequentem hominem stravit » (3). *S. Thomas* (4) ita disserit: « Sic erat homo in statu innocentiae institutus, ut nulla esset rebellio carnis ad spiritum; unde non potuit esse prima inordinatio appetitus humani ex hoc, quod appetierit aliquod sensibile bonum, in quod carnis concupiscentia tendit praeter ordinem rationis. Relinquitur igitur, quod prima inordinatio appetitus humani fuit ex hoc, quod aliquod bonum spirituale inordinate appetiit. Non autem inordinate appetivisset, appetendo id secundum suam mensuram ex divina regula praestitutam. Unde relinquitur, quod primum hominis peccatum fuit in hoc, quod appetiit quoddam spirituale bonum supra suam mensuram, quod pertinet ad superbiam. Unde manifestum est, quod primum peccatum primi hominis fuit superbia. » Et (5), hanc superbiam declarans, ait, Adamum, ut virum sapientem non potuisse appetere similitudinem Dei quantum ad omnimodam aequiparantiam, sed eam appetiit « quantum ad scientiam boni et mali, sicut serpens ei suggessit, ut scilicet per virtutem propriae naturae determinaret sibi, quid esset bonum et quid malum ad agendum; vel etiam ut per ipsam praecognosceret, quid sibi boni vel mali esset futurum: et secundario peccavit appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem operandi, ut scilicet virtute propriae naturae operaretur ad beatitudinem consequendam. »

3. In peccato protoparentum variae malitiae species coniunctae erant. Nam protoparentes unicum et facile mandatum transgressi sunt: quam foeda *inobedientia!* — Illi obedire recusarunt, a quo plurima et maxima bona acceperant: quam turpis *ingratitudo!* — Omnia in summa abundantia possidentes plura desiderarunt: quanta *avaritia!* — Fructum rapuerunt a Deo reservatum: quam iniquum *sacrilegium!* — Deo similes fieri voluere: quam vesana *ambitio!* — Serpentis suasionibus magis quam Dei comminationibus fidem praestiterunt: quam temeraria *incredulitas!* His addi potest ex parte Evae *curiositas* mala in aspiciendo, et *gula* inordinata in appetendo fructum vetitum; ex parte vero Adami inordinatus uxoris amor, cui ut placeret, Deo displicere non timuit. Denique protoparentes post peccatum commissum a Deo reprehensi non humiliter veniam petierunt, sed vanas et frivolas excusationes quaesierunt: quam perversa *impoenitentia!* Sic superbia inceperunt et consummarunt peccatum; quapropter *S. Augustinus* (6) dicit: « Sed est peior damnabiliorque superbia, qua etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis inquiritur: sicut primi illi homines, quorum et illa dixit: *Serpens seduxit me, et manducavi*, et ille dixit: *Mulier quam dedisti mecum, haec mihi dedit a ligno, et edi.* Nusquam hic sonat petitio veniae, nusquam imploratio medicinae etc. » Dum autem variae malitiae species in

(1) L. 2 de vita contemplat. c. 19.
(2) Ser. 5 de Nativ. (3) L. 31, Mor. c. 17.
(4) 2. 2, q. 163, art. 1. (5) Ibid. art. 2.
(6) L. 14 de Civ. D. c. 14.

uno protoparentum peccato distinguuntur, nullatenus ideo allegorica quaedam narrationis mosaicae interpretatio recipitur, sed ex ipsa narratione litteraliter accepta omnia rectissime deducuntur.

Nota. Tristissimus protoparentum lapsus alta nobis voce acclamat: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (1). Si enim primi homines in statu innocentiae, plurimis tum naturalibus, tum supernaturalibus donis praediti tentationi succumbentes gravissime peccarunt, quanta erit pro nobis res periculi plena, laxare fraena iucunditati sensuum, sermonibus malis aures praebere, et locum cedere tentationi ad peccatum? — Si lugendam protoparentum sortem experiri non velimus, sensus cohibere, pericula fugere, et iuxta monitum Christi continuo orare et vigilare debemus, ut non intremus in tentationem. Praecipue vero cavendum est ab omni superbia; nam *contritionem praecedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus* (2).

ARTICULUS VI.
De effectibus peccati - in ipsis protoparentibus - productis.

§ 213. Sicut *mala arbor malos fructus facit* (3), ita gravissimum peccatum a protoparentibus commissum pessimos in iisdem effectus produxit. Ipsa sana ratio diffiteri non potest bona opera praemium, mala vero opera poenam mereri; et ex Revelatione certissime constat, Deum iustissimum bonos remunerari, malos vero punire (§ 48). Mirum ergo non est, protoparentibus pro atrocitate criminis commissi gravissimas poenas illatas fuisse. Has praeclare proponit *Concilium Tridentinum* (4) dicens: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et institiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit.* Poenae, quae in hoc canone enumerantur, partim *corpus* respiciunt, quod morti, aliisque aerumnis subiectum fuit, partim *animam*, quae *supernaturalibus donis privata*, et *in facultatibus naturalibus sauciata* fuit. Haec est doctrina catholica, quam declarare et contra adversarios vindicare oportet.

I. *Protoparentes ob peccatum morti aliisque aerumnis subiecti fuere.*

§ 214. 1. Deus minatus fuerat Adae mortem, si legem sibi iniunctam violaret; dixerat enim: *De ligno scientiae boni, et mali ne comedas: in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris* (5): cum autem ea, quae Deus minatur, aut praedicit, eventu carere nequeant, dubitare non licet, Adam ob legis transgressionem morti subiectum fuisse. Id claris verbis Deus protoparenti lapso annuntiavit, dicens: *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (6). — Poenam sibi irrogatam Adam etiam expertus est: nam ipsius biographia ita concluditur; *et mortuus est* (7). Mortem hanc considerandam esse ut poenam peccati docent Ss. Litterae, Patres et Concilia,

(1) I Cor. 10, 12. (2) Prov. 16, 18. (3) Matth. 7, 17. (4) Sess. 5, can. 1.

(5) Gen. 2, 17. (6) Gen. 3, 19. (7) Gen. 5, 5.

sicuti ostensum est § 205, n. 4. — Unde intelligi potest, quo sensu Deus auctor mortis dicatur. Quamvis enim Sap. I, 13 dicatur: *Deus mortem non fecit;* attamen Eccli. XI, 14 legitur: *Vita et mors a Deo sunt;* « vita scilicet, ut pulcre commentatur *S. Augustinus* (1), a donante, mors a vindicante. » Idem (2) c. Iulian. (3) ostendit: « Non sibi adversari eloquia divina, quia deceptor hominis, causa mortis, est diabolus, quam non ut primus eius auctor, sed ut peccati ultor intulit Deus. » Denique (4) idem S. Doctor, explanans verba Apostoli: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum* (5), inquit: « Puto quod non expositorem, sed tantum lectorem opus habet tam clara, et aperta sententia. *Corpus*, inquit, *mortuum est*, non propter fragilitatem terrenam, quia de terrae pulvere factum est, sed *propter peccatum,* quid quaerimus amplius? » — Eandem fuisse Ecclesiae catholicae fidem, patet ex condemnatione Pelagianorum dicentium, Adam etiamsi non peccasset, moriturum fuisse, cui assertioni a Rom. Pontificibus et Conciliis anathema dictum est.

2. Praeter mortem Deus etiam poenas speciales primum mulieri, quae prius peccaverat, ac dein viro, in idem peccatum lapso, indixit. Ad Evam nempe ait: *Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* (6); ex quibus verbis recte infertur, acerbos doloris partus peccato ex suggestione serpentis commisso adscribendos esse. Quod dominationem attinet, mulier equidem, ut innuit *S. Thomas* (7), etiam in statu innocentiae viro, cuius *adiutorium* appellatur, aliquo modo, proprio suo bono convenienti, subdita fuisset; sed quisque facile cognoscit, dominationem viri, per peccatum corrupti, mulieri, pariter per peccatum corruptae, grave iugum esse, inter peccati poenas merito numerandum. — *Adae vero dixit* (Deus) *quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es* (8). In haec verba *S. Augustinus* (9) scribit: « Hos esse in terra labores humani generis, quis ignorat? — Et quia non essent, si felicitas, quae in paradiso fuerat, teneretur, non est utique dubitandum, ac per hoc etiam proprie verba haec primitus accipere non pigeat. » — Quod maledictionem latam in terram attinet, nimis illam extendere videntur, qui cum V. *Beda, Ruperto* et aliis putant, terram ita immutatam fuisse, ut spinas et tribulos producat, quos alias non produxisset, sed neque iis assentiendum est, qui praefatae maledictioni vix aliquem effectum tribuere videntur (10): certum equidem est, terram substantialiter immutatam non fuisse, sed tamen speciali benedictione divina privatam, cui frequentissime in S. Scriptura fertilitas terrae adscribitur. Ita *S. Chrysostomus* praefatam maledictionem intellexit; ait enim (11): « *Maledicta terra in operibus tuis:* et merito: nam quia propter hominem producta est, ut ille possit frui his, quae ex ea nascuntur: ideo iterum

(1) L. 1 Retract. c. 21.
(2) L. 5. (3) C. 9.
(4) L. 1, de peccat. merit. c. 4.
(5) Rom. 8, 10. (6) Gen. 3, 16
(7) 1, q. 96. (8) Gen. 3, 17 etc.
(9) L. 11. de Gen. ad litt. c. 38.
(10) V. Dobmayr t. 6, § 12, not. ult.
(11) Hom. 17 in Gen.

propter hominem peccantem maledictum ei indicitur; quia maledictum terrae eveniens hominis securitati et felicitati obest. »

3. Effectibus, seu poenis peccati in paradiso commissi merito etiam accensentur aegritudines, dolores et reliqui naturales defectus. Ab his in statu innocentiae homo non quidem ex naturali sua conditione, sed ex beneficio Creatoris, vi cuius etiam mors arcebatur, immunis fuisset. Hoc vero beneficium per peccatum perdidit, ac ideo sicut morti, ita etiam morbis et infirmitatibus subiectus est, quibus corpus, quoniam natura iuxta legem continuitatis saltum nescit, saltem ordinario modo, quasi per gradus ad omnimodam dissolutionem perducatur. *S. Thomas* (1) hac de re ita disserit: « Subtracta originali iustitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum; ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis; subtractio autem originalis iustitiae habet rationem poenae sicut etiam subtractio gratiae. Unde etiam mors, et omnes defectus corporales consequentes sunt quaedam poenae originalis peccati: et quamvis huiusmodi defectus non sint intenti a peccante, sunt tamen ordinati secundum iustitiam Dei punientis. » Reliquae adversitates, quae ex malis hominum actionibus oriri solent, uti sunt calumniae, persecutiones, bella, etc., eatenus peccato originali adscribendae sunt, quatenus ex inordinatis passionibus oriuntur, quas peccatum produxit, uti ex inferius dicendis patebit.

Nota 1. Quaestio iam saepe mota est, quomodo verificata sit comminatio divina: *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, cum Adam non solum illa die, qua peccavit, mortuus non sit, sed per plura postea saecula vixerit? — Ad hanc difficultatem solvendam, nonnulli dixerunt, ea verba: *in quacumque die* referenda esse ad *comederis*, non ad *morieris:* alii diem pro mille annis interpretantur, quorum annorum summam Adam non attigit: alii comminationis verba non de morte corporis, sed de morte animae, exponunt, quia Adam statim per peccatum vitam spiritualem perdidit. Optime autem difficultatem solvunt, qui dicunt, verba Dei id tantum innuere, quod Adam in die, qua comederit vetitum fructum, mortalis, seu morti subiectus fiat. Legunt enim Hebraei: *moriendo morieris;* id est, erit tibi mors inevitabilis, et eris obnoxius morti certo superventurae, quam significationem inesse istiusmodi reduplicationi constat ex Gen. XXXVII, 33; Exod. XIX, 12; III Reg. II, 37. Vertit hunc locum *Targum: Eris reus mortis; Symmachus*, et *S. Hieronymus: mortalis eris; Vatablus: eris morti obnoxius;* Robertus Stephanus, Pagninus, Arias Montanus, antiquior Itala: *moriendo morieris;* Fagius: *tunc incipies esse mortalis;* Graeci: *eris mortalis.* Magno ergo Hebraeorum, Syrorum, Graecorum et Latinorum consensu in citato loco solummodo pronuntiatur, Adamum in die qua peccaverit, moriendi necessitati subiectum iri, quod et vere factum est. Ideo *S. Augustinus* (2) inquit: « Quamvis (protoparentes) annos multos postea vixerint, illo tamen die mori coeperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt. » Et *S. Chrysostomus* (3) utitur similitu-

(1) 1, 2, q. 85, art. 5.

(2) L. de peccat. mer. et remis. c. 16.

(3) Hom. 17 in Gen.

dine eorum, qui in humanis iudiciis damnantur ad mortem; quamvis enim executio sententiae differatur, dicuntur tamen quadam ratione ea die mori, qua mortis sententiam accipiunt. Nonnulli ipsam hanc vitam, miseriis repletam, continuam mortem appellare non dubitarunt; nam *S. Gregorius M.* (1) ait: « Ipse quotidianae corruptionis defectus quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis? »

Nota 2. *Pelagiani* dixerunt, mortem cum caeteris vitae miseriis non esse poenam peccati, sed necessariam humanae naturae conditionem, et Adam moriturum fuisse etiamsi non peccasset. Eandem sententiam propugnant *Sociniani* et *Rationalistae*, qui continuo clamitant mortem et infirmitates, quae ex naturali hominis conditione sequuntur, non posse effectus, seu poenas peccati dici. Equidem etiam Catholici fatentur, immortalitatem Adae non naturali eiusdem conditioni adscribendam fuisse, sed speciali Dei beneficio, qui pro omnipotentia et bonitate sua corpus a dissolutione et corruptione, cui naturaliter subiectum erat, praeservare potuisset et voluisset, si homo non peccasset. Tanti autem beneficii privatio rectissime inter graves peccati poenas numeratur. — Deridendi autem sunt illi, qui cum nonnullis Iudaeis, et primorum saeculorum haereticis dixerunt, Adam et Evam per peccatum lumen oculorum accepisse, quia Gen. III, 7 legitur: *Et aperti sunt oculi amborum*. Iuxta hanc sententiam, protoparentes per ipsum peccatum a caecitate liberati magnum beneficium consecuti fuissent. Sed absurdum hoc commentum satis refutatur per verba praecedentia v. 6: *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulcrum oculis, aspectuque delectabile;* ergo Eva iam ante lapsum *vidit*, et in protoparentibus *aperti sunt* non corporis sed mentis *oculi*, quibus gravitatem suae praevaricationis et miseriam, in quam lapsi sunt, erubescentes cognoverunt.

II. ***Protoparentes, per peccatum gratia sanctificante privati, incurrerunt iram et indignationem Dei.***

§ 215. Protoparentes per gravissimum suum peccatum statim imaginem divinam supernaturalem, seu gratiam sanctificantem, per quam Deo cari et supernaturali beatitudine digni erant, amiserunt, ac simul iram et indignationem Dei, atque per consequens reatum aeternae poenae incurrerunt.

1. Tristissimus iste peccati effectus, quamvis in Genesi claris verbis non declaretur, ex ipsa tamen offensae divinae natura sequitur. Nam etiam sana ratio cognoscit, hominem, gravi peccato inquinatum, Deo sanctissimo et iustissimo carum et acceptum esse non posse, sed huius iram et indignationem mereri. Hoc idem S. Scriptura variis in locis testatur. Ps. V, 6 etc. legitur: *Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Sap. XIV, 9: *Similiter odio sunt Deo impius, et impietas eius.* Rom. I, 18: *Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum.* Ostendit etiam Apostolus gratiam sanctificantem simul cum peccato consistere non posse; ait enim: *Quae participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras* (2)? et (3) supernaturalem imaginem divinam perditam fuisse docet, iuxta quam primus homo condi-

(1) Hom. 37 in Ev. (2) 2 Cor. 6, 14. (3) Eph. 4, 24, Col. 3, 10.

tus fuerat. Adam autem hoc excellentissimum donum per peccatum amittens incurrit etiam iram et indignationem Dei, ac reatum aeternae poenae, quod patet tum ex locis S. Scripturae, in quibus in genere peccatoribus poena aeterna intentatur, tum ex verbis S. Pauli, qui, in specie de peccato Adami loquens, dicit Rom. V, 16: *Iudicium ex uno in condemnationem;* quod in sequentibus versiculis magis confirmatur; si enim in posteros haec condemnatio propagata est, multo magis ipsum peccati auctorem attingere debuit.

2. Recensiti effectus aliquo modo etiam in narratione mosaica indigitantur. Ipsi enim protoparentes post illicitam comestionem se peccatores, et Deum sibi iratum esse cognoverunt. Nam: *Cum audissent vocem Domini Dei....... abscondit se Adam, et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi* (1); ipseque Adam confessus est se *timore* (2) concitatum latebras quaesivisse, non quod nudus corpore, sed, uti Ss. Patres passim dicunt, quod iustitia originali nudatus esset. — Magna idcirco fuit protoparentibus timoris causa. Nam si antea Deus se tanquam benignissimum Patrem erga ipsos exhibuerat, tunc iisdem tanquam severus iudex apparuit, de facta transgressione rationem exegit, et vanis excusationibus aut placatus graves poenas dictavit. Graves poenae autem a Deo iustissimo nonnisi propter gravem culpam infliguntur; hac itaque se protoparentes reos constituerunt. Immo ipsos aeternae poenae reatum incurrisse, patet ex promissione Messiae, seu Redemptoris (3) (Cf. Th. gen. § 105); qui homines e captivitate daemonis, sub qua ad instar seductoris sui nil nisi aeternas poenas expectare poterant (§ 177), liberaret, et in statum iustitiae et gratiae divinae restitueret. Clementissima haec Redemptionis promissio protoparentibus facta clare ostendit, ipsos per peccatum inimicos Dei, captivos daemonis et aeternae poenae reos ita constitutos fuisse, ut semetipsos a tanta miseria liberare nunquam voluissent. — Denique ira et indignatio Dei, quam incurrerunt protoparentes, manifestata etiam fuit per eorundem eiectionem e paradiso, et per collocatum *Cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae* (4).

3. Doctrinam propositam Ecclesiae traditio confirmat. *S. Irenaeus* (5), ad lapsum Adae respiciens, dicit: « Eam, quam habui a Spiritu sancto sanctitatis stolam, per inobedientiam amisi. » *S. Cyprianus* (6) ait: « Per hoc peccatum Adam divinam similitudinem, quam habebat, perdidit. » *S. Athanasius* (7) ita de protoparentibus lapsis loquitur: « Quia ad peiora se contulerunt, ablato spiritu, reiecti abdicatique fuerunt ab eo, qui eis ab initio gratiam dederat. » *S. Chrysostomus* Hom. 16 in Gen. inquit: « Gustus ille inobedientiae erat argumentum et praevaricatio mandati a Deo traditi: ob quam causam postea ablata est gloria, quae illos circumdabat, quia se indignos tali honore fecerant, nudati propter peccatum supernae gratiae amictu; » et Hom. 18 ait: « Cognovimus, quantis seipsos bonis mandati transgressione privarint Adam et Eva, nudati gloria illa ineffabili et vita non inferiore quam angelica. » *S. Gregorius Nyss.* verba Dei minantis Gen. II, 18, de animae et corporis morte intelligens, scribit:

(1) Gen. 3, 8. (2) Ib. v. 10.
(3) Gen. 1, 15. (4) Gen. 3, 21 etc.

(5) L. 3 adv. haer. c. 37.
(6) L. de bon. patient. (7) Or. 2 c. Arian.

« Multas annorum centurias post inobedientiam vixit primus homo. neque tamen mentitus est Deus, cum dixit: *in quacunque die* etc.; nam eo ipso, quod alienatus est a vera vita, eadem die mortis in eum confirmata sententia est, postea vero interiecto tempore temporalis mors Adamum consecuta est» (1). Hoc idem docet *S. Augustinus* l. 13 de Civ. D. c. 12 ita disserens: « Cum ergo requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus ... utrum animae, an corporis, an totius hominis, an illam, quae appellatur secunda, respondendum est: omnes... Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito: *Quacunque die comederitis ex eo morte moriemini*, non tantum primae mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo; nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima; nec solum ipsam totam primam, ubi anima et a Deo et a corpore separata punitur; sed quidquid mortis est usque ad novissimam, quae secunda dicitur, qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est. » Idem ibid. c. 13 ait: « Cum praecepti facta transgressio fuit, confestim gratia deserente divina de corporum suorum nuditate confusi sunt. » *S. Gregorius M.* (2) inquit: « Divinae suavitatis delicias homo tunc amisit, cum in paradiso peccavit. » Rectissime ergo *Concilium Tridentinum*, S. Scripturae et Traditioni insistens, definivit, Adamum per peccatum *sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse*, atque *iram et indignationem Dei, - et cum morte captivitatem sub potestate diaboli incurrisse.*

(1) L. 1 c. Eunom.
(2) Hom. 36 in Ev.
(3) De op. 6 dier. l. 3. c. 1, n. 8.
(4) 1, 2. q. 17. a. 1 ad 2.
(5) Sess. 6, c. 1.

III. *Liberum arbitrium in protoparentibus per peccatum viribus attenuatum et inclinatum fuit.*

§ 216. Liberum arbitrium iuxta *Petavium* (3) est « Facultas intelligentis naturae, quae ex pluribus ad eligendum propositis unum adsciscere potest, reiecto ac segregato altero. » In libero arbitrio ergo cognitio ex parte intellectus et electio ex parte voluntatis simul concurrunt. Ideo *S. Thomas* (4) inquit: « Radix libertatis est voluntas sicut subiectum, sed sicut causa est ratio; ex hoc enim voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni, et ideo Philosophi definiunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione iudicium, quasi ratio sit causa libertatis. » Iuxta haec principia liberum arbitrium eo perfectius est, quo perfectior est intellectus ad bonum cognoscendum, et quo expeditior est voluntas ad bonum amandum et eligendum. Cum autem protoparentes, ut dictum est § 206, perspicacissimo intellectu et optime ordinata voluntate praediti fuerint, recte exinde infertur, liberum arbitrium in ipsis perfectissimum fuisse. Ast per lugendum peccatum, quod in paradiso commiserunt, etiam ipsorum liberum arbitrium, ut loquitur *Concilium Tridentinum* (5), *Attenuatum et inclinatum* fuit, quia ipsorum intellectus per ignorantiam obscuratus et voluntas debilitata, ac per concupiscentiam ad malum inclinata est. Hunc peccati effectum negarunt *Pelagiani*, qui docuerunt, hominem primum ita creatum esse, prouti eius posteri nascuntur; eundemque errorem tenent *Sociniani*, *Arminiani* et *Rationalistae*, contra quos probandum est, propter ignorantiam ex parte intellectus, et propter concupiscentiam ex parte volun-

tatis liberum arbitrium in protoparentibus attenuatum et inclinatum fuisse.

1. Id ex historia biblica, Gen. III, recte infertur. Adami enim, eximia scientia (§ 206 n. 1) praediti, intellectus statim post peccatum ita obscuratus fuit, ut claram et efficacem notionem de omnipraesentia et omniscientia Dei haud amplius manifestaverit, cum v. 8 latebras quaesierit, quasi a facie Dei immensi se abscondere potuisset, ac praeterea non iam humili et contrito corde culpam suam confessus divinam misericordiam imploraverit, sed v. 12, per vanam et arrogantem excusationem poenam sibi inferendam declinare putaverit. Ex his etiam apparet, Adami voluntatem, quae omnino recta fuerat (§ 206 n. 2), per peccatum debilitatam et deordinatam fuisse, et protoparentem lapsum debitam erga Deum reverentiam, confidentiam et charitatem haud amplius in corde habuisse. Protoparentes etiam statim post peccatum inordinatam et rebellem concupiscentiam senserunt. Nam in statu innocentiae: *Erat uterque nudus... et non erubescebant* (1). Post transgressionem vero: *Aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata* (2). In quae verba ita disserit *S. Augustinus* (3): « Nudi erant et non confundebantur, non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa praeter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat... sed gratia remota, ut poena reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quaedam impudens novitas, unde esset indecens nuditas: et fecit attentos, reddiditque confusos. »

(1) Gen. 2, 25. (2) Gen. 3, 7.
(3) L. 14, de Civ. D. c. 17.

2. In homine lapso ignorantiam et concupiscentiam exortas, ac ideo liberum eius arbitrium attenuatum et inclinatum esse ad malum in variis S. Scripturae locis adseveratur. Gen. VI, 5 dicitur Deus vidisse, *quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*. Gen. VIII, 21: *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Eandem miseriam graphice describit S. Paulus Rom. VII, 14 etc. dicens: *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio . . . Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis*. Talis fuit Adami status, postquam legem divinam transgressus fuerat.

3. Misera hominis lapsi conditio clare proponitur in celebri parabola hominis descendentis a Ierusalem in Iericho, qui, ut inquit sacer textus, *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto... Samaritanus autem misericordia motus... alligavit vulnera eius, infundens oleum, et vinum... et curam eius egit* (4). In homine illo Adam repraesentatur in peccatum lapsus, et a daemone expoliatus, atque insuper vulneratus. « Ipse Adam, inquit S. Au-

(4) Luc. 10 30, etc.

gustinus (1), intelligitur in genere humano... latrones sunt diabolus et angeli eius. » Eodem fere modo parabolam exposuerunt *Origenes* (2), *S. Gregorius Naz.* (3), *S. Ambrosius* (4), *S. Hieronymus* (5), *S Gregorius M.* (6), *S. Basilius*, *S. Chrysostomus*, *V. Beda*, et alii, quos citat *S. Thomas* in Catena aurea. Horum inhaerens expositioni angelicus Doctor (7) dicit: « Adam per peccatum fuit vulneratus in naturalibus, et spoliatus gratuitis, ut dicitur in Glossa Lucae 10. » Vulnera autem homini praeter privationem donorum supernaturalium inflicta sunt ignorantia et concupiscentia, quae equidem liberum arbitrium non perimunt, sed tamen attenuant et inclinant ad malum, quapropter homo dicitur semivivus relictus.

4. Vires liberi arbitrii per peccatum debilitatas et hominem ad malum inclinatum esse, semper credidit Ecclesia. *S. Gregorius Naz.* (8) ita canit: « Nunc (post peccatum ab Ada commissum) etenim menti cedit caro, nunequé vicissim mens carnem sequitur, non tamen ipsa libens. Neque bonum cupiens facit id tamen ipsa, quod odit, servitium lacrimis prosequiturque grave. » *S. Augustinus* (9) ait: « Quia contemptus est Deus iubens, iusta damnatio subsecuta est, talisque damnatio, ut homo, qui custodiendo mandatum futurus erat etiam carne spiritalis, fieret etiam mente carnalis. » Idem (10) inquit: « Sunt homines ingrati gratiae, multum tribuentes inopi sanciaeque naturae. Verum est: magnas arbitrii liberi vires homo, cum conderetur, accepit, sed peccando amisit. In mortem lapsus est, infirmus factus est, a latronibus semivivus in via relictus est. » Item lib. de nat. et grat. cap. 13 explicans verba Ps. XI: *Sana animam meam* « quid sanatur, inquit, si nihil est vulneratum, nihil debilitatum, atque vitiatum? » et ibid. c. 53 ait: « Quid tantum de naturae possibilitate praesumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est. » *S. Caelestinus* Papa, in decretis annexis suae Epistolae ad Episcopos Galliae (11), gratia Dei liberum arbitrium liberari dicit, « ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. » *S. Prosper* (12) duplex a peccato nobis vulnus inflictum, scilicet in intellectu et in voluntate, ita eleganter describit: « Hinc animi vigor obtusus caligine tetra induitur, nec fert divinae fulgura lucis lumen iners; hinc arbitrium per devia lapsum claudicat etc. » *S. Fulgentius* (13), loquens de homine lapso, inquit: « Exspoliatus vestimento fidei carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, - sic iacuit oppressus servitute peccati, ut nullatenus aliquod bonae voluntatis initium habere potuisset. » *Concilium Arausicanum II* docet can. 1, *per offensam praevaricationis Adae totum hominem, id est, secundum corpus, et animam in deterius fuisse commutatum*; can. 13: *arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum*; can. 25: *liberum arbitrium attenuatum, et inclinatum* esse. — *S. Thomas* (14), cum sibi obiecisset verba Dionysii dicentis, Angelum nihil amisisse de donis naturalibus sibi collatis, re-

(1) L. 2 quaest. evang. q. 19.
(2) Hom. 34 in Luc. (3) Orat. 4 de Theol.
(4) L. 7 in Luc.
(5) In Ep. ad Fabiolam, et in c. 20 Matth.
(6) L. 20 Mor. c. 21.
(7) ., Dist. 29 quaest. 1, art. 2.
(8) Poëm. 4 de animae calamit.
(9) L. 14 de Civ. D. c. 15.
(10) Serm. 132 n. 6. (11) Cap 9.
(12) In Carm. de ingratis v. 595.
(13) De incarn. et grat. c. 13.
(14) In 2 Sent. Dist. 30, q. 1, a. 1 ad 3.

spondet: « Bona naturalia dicuntur dupliciter, vel prout sunt in se considerata, secundum quod naturae debentur ex propriis principiis, et sic nec homo, nec Angelus per peccatum aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est... Vel secundum quod ordinantur in finem ultimum, et hoc modo in utroque bona naturalia diminuta sunt, non quidem penitus amissa, in quantum uterque factus est minus habilis, et magis distans a finis consecutione, et propter hoc etiam homo gratuitis spoliatus dicitur, et in naturalibus vulneratus, in Glossa ad Luc. X. » - Idem 1 2, q. 82, art. 1 ad 1 ait: « Sicut aegritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur aequalitas sanitatis, et aliquid habet positive, scilicet ipsos humores inordinate dispositos; ita etiam peccatum originale habet privationem originalis iustitiae, et cum hoc inordinatam dispositionem partium animae, unde non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus. » Optime autem angelicus Doctor tristes peccati ab Ada commissi effectus exponit 1 2, q. 85, art. 3, ubi, cum dixisset, per peccatum primi parentis subtractam fuisse iustitiam originalem, subiungit: « et ideo omnes vires animae remanent quodammodo destitutae proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem; et ipsa destitutio vulneratio dicitur naturae. Sunt autem quatuor potentiae animae, quae possunt esse subiecta virtutum, - scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est iustitia; irascibilis, in qua est fortitudo; concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiae; in quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiae; in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiae: sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanae naturae ex peccato primi parentis. »

Nota. Liberum hominis arbitrium in statu naturae lapsae per ignorantiam et concupiscentiam attenuatum, et inclinatum esse ad malum, omnes catholici Theologi adseverant; sed in explicando hoc peccati effectu dissentiunt. Multi enim hunc ex sola privatione iustitiae originalis, quae fuit donum supernaturale et indebitum, ita repetunt, ut contendant, vires naturales, quas homo in creatione accepit, etiam post lapsum integras et illaesas mansisse. Sententiam hanc defendunt *Molinistae*, et etiam nonnulli ex *Thomistis*. Cl. *Bellarminus* eidem sententiae addictus (1), scribit: « Non magis differt status hominis post lapsum Adae a statu eiusdem in puris naturalibus, quam differat spoliatus a nudo, neque deterior est hominum natura (si culpam originalem detrahas), nec magis ignorantia et infirmitate laborat, quam esset et laboraret in puris naturalibus condita. » Ex hac sententia, quam *Bellarminus* communem dicit, clarissime apparet, liberum arbitrium, quod ad naturam hominis spectat, per peccatum extinctum non fuisse. Praeterea cum omnes admittant, substantiam animae per peccatum corruptam non fuisse, et hanc simplicem esse, vix intelligi potest, quomodo naturales eiusdem facultates per peccatum alteratae fuerint. Denique eandem sententiam adprobat *S. Thomas* cum (2) inquit: « Manifestum

(1) L. de gratia primi hominis c. 5.

(2) 1, q. 95, art. 1.

est, quod illa subiectio corporis ad animam et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in daemonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut Dionysius dicit. » — Alii tamen, et quidem *Augustiniani* et plerique *Thomistae*, asserunt, hominem propter peccatum non solum donis supernaturalibus spoliatum fuisse, sed etiam illius facultates naturales attenuatas, inclinatas, seu vulneratas esse. Sententiam suam probant ex eo, quia non potest admitti, Deum, qui omnia *in sapientia* (1) fecit, ita hominis naturam creasse, ut vires inferiores continuo superioribus repugnent, et finem hominis non promoveant, sed impediant (§ 207, nota 4). Aiunt praeterea, hanc sententiam doctrinae Ss. Patrum et definitionibus Conciliorum magis conformem esse. Ss. Patres enim saepe de vulneribus loquuntur humanae naturae per peccatum inflictis. *Concilium Tridentinum* (2) postquam amissionem sanctitatis et iustitiae, mortem et captivitatem sub potestate diaboli commemorasset, ulterius credendum proponit, *totum Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse:* et idem Concilium cum *Arausicano II* dicit (3), *liberum arbitrium*, quod utique ad naturam hominis spectat, *viribus attenuatum*, et *inclinatum* esse. Animae quidem substantia, corrupta nom fuit, sed eius facultates, manente substantia, maiores, vel minores esse, et vel per coniunctionem cum corpore corrupto, vel apposito quodam impedimento in suis functionibus hebetari possunt: et generatim haec difficultas, solum modum attinet, quo liberum arbitrium attenuatum et inclinatum fuit. *S. Thomas* de vulneribus naturae humanae inflictis clarissime loquitur, uti ex locis citatis patet, in quibus etiam explicat, quomodo naturalia in homine lapso manserint, nimirum quoad substantiam, non autem quoad omnimodam perfectionem (4). — Caeterum utraque sententia catholice defendi potest, quia neutra ab Ecclesia damnata fuit.

(1) Ps. 103, 24. (2) L. c. (3) Sess. 6. c. 1.
(4) Cf. Gazzaniga t. 4, Diss. 3, Sect. 3, c. 6.

IV. *Liberum arbitrium in protoparentibus per peccatum minime fuit extinctum.*

§ 217. Inter effectus peccati originalis hunc quoque *Lutherus* recensuit, quod liberum hominis arbitrium omnino extinctum sit. Imaginem enim Dei, iuxta quam conditus est homo, reposuit in notitia Dei, timore Dei, confidentia et rectitudine erga Deum, et in potentia haec efficiendi: istam autem ad naturam et substantiam hominis pertinere dixit: et cum porro asseruerit, imaginem divinam (nulla facta distinctione inter naturalem et supernaturalem) per peccatum penitus amissam esse, necessario intulit, liberum arbitrium omnino extinctum, et homini omnem potentiam Deum cognoscendi, timendi, amandi et rectos erga ipsum sensus habendi ademptam esse. Ideo (5) haec scripsit: « Liberum arbitrium est figmentum in rebus et titulus sine re, quia nulli est in manu quidpiam cogitare vel boni, vel mali, sed omnia, ut Wicleffi articulus Constantiae damnatus recte docet, de necessitate absoluta eveniunt... Non est dubium, Satana magistro, in Ecclesia venisse hoc nomen liberum arbitrium. » Lutherus equidem duram hanc sententiam cum suis sequacibus aliquantulum mitigavit, et ne hominem omnino

(5) In l. adv. Regem Angliae, et in assert. Art. 36.

brutis adaequaret, eidem intellectum et aliquam libertatem in rebus naturalibus, et pro civili quadam iustitia adscripsit, uti constat ex Lutheri libro de Visitatione Saxonica, Melanchtbonis Locis commun. ac Confessione Augustana in Articulis fidei cap. 18. — Firmiter autem sententia retenta fuit, quod homo per peccatum originale factus sit in spiritualibus veluti truncus, lapis, salis statua, ipsamque amiserit ad agendum atque ad sese determinandum potentiam. Id patet ex symbolicis Lutheranorum libris: sic Solid. Declar. II de libero arbitr. § 7 dicitur: « Credimus igitur, quod hominis non renati intellectus, cor et voluntas in rebus spiritualibus et divinis prorsus nihil intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere possint. Et affirmamus hominem ad bonum (vel cogitandum, vel faciendum) prorsus corruptum et mortuum esse: ita quidem, ut in hominis natura post lapsum et ante regenerationem ne scintillula quidem spiritualium virium reliqua sit. » Et ibid. § 21 legitur: « Antequam homo per Spiritum sanctum illuminatur . . . ex sese et propriis naturalibus suis viribus in rebus spiritualibus nihil inchoare, operari, aut cooperari potest: non plus quam lapis, truncus, aut limus. » *Calvinus* melius de libertate sentire visus fuit, sed hanc solum ut immunitatem a coactione concepit; et quamvis aliquando residuum quoddam imaginis divinae in homine agnoverit, tamen sibi haud constans l. 3 instit. c. 2, n. 12 imaginem Dei ex mente et anima hominis deletam dicit; et l. 2 instit. c. 2, § 12 ait, hominem « ita exulare a regno Dei, ut quaecunque ad beatam animae vitam spectant, in eo extincta sint. » Ideo Calviniani circa hanc materiam in suis confessionibus non concordant, sed aut mitiorem, aut duriorem magistri sui sententiam amplectuntur(1). Errores Novatorum satis refutantur per argumenta, quibus § 199 animae humanae libertas probata fuit. Hic tamen aliqua addenda sunt, quae in specie ostendunt, per peccatum originale liberum arbitrium equidem attenuatum, minime vero extinctum esse, neque imaginem naturalem, sed solum supernaturalem deletam fuisse, ideoque intellectum et liberam voluntatem etiam intuitu rerum spiritualium in homine lapso permansisse, ita ut Deum cognoscere, timere, colere in ordine naturali et gratiae supernaturali, si benignissime concedatur, libere cooperari, aut etiam resistere possit.

1. Hominem per peccatum non omnem notitiam Dei et timorem Dei perdidisse, eumque intuitu rerum spiritualium nullatenus trunco, aut lapidi similem factum fuisse, iam ex iis patet, quae Gen. III, 10 leguntur. Adam enim Dei vocem audiens, praesentiam cernens, et iustitiam agnoscens ob malae conscientiae remorsus timore repletus est. — Praeterea quod imago divina haud penitus in homine lapso deleta fuerit, luculenter apparet ex eo, quia imago divina, quae etiam in homine lapso adest, tanquam motivum affertur, ab homicidio abstinendi. Deus enim ipse dixit Noë et filiis eius: ***Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo*** (2); quasi diceret: si non movet te natura communis, moveat saltem imago mea; homo enim est imago mea: vide ergo, ne eum occidendo coelestis Regis vivam imaginem demoliaris, inquit *S. Chrysostomus*, itaque non tam homini,

(1) V. Möhler Symb § 6. (2) Gen. 9, 6.

quam Deo ipsi sis iniurius(1). Sicuti in hoc loco cuiuslibet hominis occisio prohibetur, ita quilibet homo ad imaginem Dei factus dicitur, et si, ut fatemur, imaginem Dei supernaturalem, seu gratiam sanctificantem per peccatum amisit; necessario tamen admittitur, eum imaginem Dei naturalem retinuisse; alias enim in nullo sensu imago Dei dici posset. Denique vires animae naturales etiam circa spiritualia et divina non penitus in homine emortuas esse, clarissime tradit Apostolus, cum de Gentibus, Revelationis lumine destitutis, scribit: *Deus illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor illorum* (2). Ergo Gentiles per rationem suam ad agnitionem Dei pervenire poterant, sed quia hanc neglexerunt et vitiis se contaminarunt, etiam lumen naturale in ipsis obscuratum, et cor magis magisque depravatum est, ut Apostolus (3) exponit: non ergo omnes vires naturales circa spiritualia et divina iam per peccatum originale perdiderant. Imo etiam iustitiam Dei Ethnicos cognovisse, testatur Apostolus, dicens: Qui *cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte* etc. Quantum ergo S. Scriptura abest, ut homines lapsos in spiritualibus trunco, aut lapidi aequiparet!

2. Constans fuit Ss. Patrum doctrina, per peccatum originale liberum hominis arbitrium equidem attenuatum et infirmatum, minime vero extinctum esse. Haec Ss. Patrum consensio ex eorundem testimoniis (§ 199 n. 2) citatis cognoscitur, quibus hic alia adiungi possunt, quae specialius ad statum hominis lapsi, seu per peccatum corrupti referuntur. *S. Irenaeus* (4) inquit: « Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum, et suae potestatis arbitrium homini *servavit* Dominus, dicens: secundum fidem tuam fiat tibi, propriam fidem homini ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam. » *S. Optatus Milev.* (5) impugnans sententiam Manichaeorum, qui dicebant hominem ita esse malum, ut alius esse non possit, eumque ex naturae necessitate peccare, ita disserit: « Quidquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari. Voluntas habet poenam, necessitas veniam. Homicida scelus potest facere, potest et non facere: adulterium moechus potest admittere, potest et non admittere, et caetera huiusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. » *S. Ambrosius* (6) ait: « Homini (Deus) dedit liberum arbitrium, quod sequatur: ante hominem vita et mors: si deliqueris, *non natura* in culpa est, sed eligentis affectus. » *S. Gaudentius Brixiens.* (7) scribit: « Homini concessa semel voluntatis libertas non aufertur, ne nihil de eo iudicare possit, qui liber non fuerit in agendo. » Ipse *S. Augustinus*, de cuius auctoritate *Wicleffus, Lutherus, Calvinus, Iansenius* et alii libertatis impugnatores falso gloriati et male abusi sunt, clare docet, liberum arbitrium non fuisse per peccatum originale extinctum. Nam l. 2 c. Faust. c. 5 scribit: « Liberum arbitrium voluntatis, quo vel

(1) V. Corn. a Lap. in h. l.
(2) Rom. 1, 19, etc. (3) Ib. 21 — 31.
(4) L. 4 adv. haer. c. 72
(5) L. 7, adv. Parm. (6) In Ps. 50. (7) Tr. 3.

bene, vel male vivitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicamus. » Lib. 3 de lib. arbit. c. 20 affirmat, « animam in ignorantia et difficultate natam, nulla tamen necessitate comprimi ad permanendum in eo, quo nata est.» Lib. 5, op. imp. adv. Iulian. n. 48 inquit: « Tam bonum certe, quam malum ex propria homo, sicut dicis, voluntate facit, et utriusque in illo possibilitas aequa lance libratur; et ad bene faciendum Deus adiutorium subministrat. » Lib. 1 c. duas Ep. Pelag. c. 2 ita loquitur: « Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam.» - *S. Prosper*, fidus S. Augustini discipulus et interpres (1), dicit: « Praedestinationem Dei sive ad bonum, sive ad malum in hominibus operari impiissime dicitur, ut ad utrumque homines quaedam necessitas videatur impellere, cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas intelligenda sine gratia. » Et in sentent. super 6 pronunciat: « Qui dicit, quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum, sive ad malum praedestinatio Dei in hominibus operetur, non est catholicus. » Idem lib. adv. Collator. cum lapsae naturae humanae vulnera ostendisset, subiungit cap. 13: « Reformabilis est natura humana, - et eorum bonorum, quae habuit, capax est, ut per Christum in eo ipso quod remansit, possit recuperare, quae perdidit. Remansit autem ei rationalis animus, qui non virtus sed virtutis habitaculum est. » Agnoscit ergo vires in homine post peccatum residuas, per quas virtutes exerceri possunt. Itaque Ss. Patres omnino dissentiunt ab Acatholicis asserentibus, in homine post peccatum ne scintillulam quidem spiritualium virium reliquam esse.

3. Impia Lutheri sententia etiam per rationes Theologicas refutari potest. *a)* Ex illa enim magnae absurditates sequuntur. Lutherus (2) ait: imaginem divinam, seu iustitiam originalem « non esse quoddam donum quod ab extra accederet, separatumque a natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut naturae (seu essentiae, ut (3) clare pronuntiat) Adae esset diligere Deum, credere Deo, cognoscere Deum etc.; » hanc vero imaginem divinam per peccatum omnino deletam esse dicit: ergo necessario concludendum est, per peccatum ipsam naturam et essentiam animae extinctam esse; et quomodo nihilominus intellectum et voluntatem pro rebus temporalibus et civili iustitia retinuit? - Anne dici potest, essentiam animae ex parte extinctam, et ex parte conservatam esse? - Sed quam absona talis assertio sit, exinde patet, quia anima simplex est et partes non habet. Ne igitur homo omnino ad conditionem brutorum detrudatur, dicendum est, Lutheri sententiam omnino falsam et naturam seu essentiam animae nullatenus extinctam esse, et naturalem facultatem Deum cognoscendi etc. permansisse, quamvis hae vires animae, quae crescere et decrescere, impediri et adiuvari possunt, per peccatum attenuatae fuerint (4). *b)* Lutherus pro imagine divina in homine deleta aliam essentiam substituere debuit, et hanc dixit esse ipsum peccatum; ideo frequenter his loquendi formulis usus est: « Naturam hominis esse

(1) Resp. ad Capit. Gall. c. 6.
(2) In Gen. 3. (3) Ibidem.
(4) V. Möhler Symb. § 6 p. 72 ed. sext.

peccare, hominis essentiam esse peccatum; hominis naturam post lapsum esse mutatam, peccatum originis esse idipsum, quod nascitur ex patre et matre, hominem esse ipsum peccatum etc. » Quis non videt, per talia asserta Manichaeorum errores, toties ab Ecclesia damnatos, renovari, et contra invicta *S. Augustini* principia substantiam in se malam adstrui (1)? *c*) Si per peccatum ipsa essentia animae in deterius commutata est; actum est de eiusdem incorruptibilitate et immortalitate. Propter hanc pravam consequentiam ipse *Th. Beza* doctrinam Lutheri reiiciendam esse putavit, et, cum dixisset, per peccatum « corruptas esse animae qualitates, non essentiam, » addidit: « Contrarium dogma dico esse certum et apertum ad Epicuraeismum iter, id est, ad mortalitatem animae adstruendam, quoniam, posita essentiae ipsius vel levissima corruptione, necesse sit, rem ipsam interitui obnoxiam confiteri » (2). *d*) Lutherus putavit, per doctrinam suam gratiam Redemptoris maxime exaltari: sed perperam. Per hanc enim sententiam potius tota oeconomia gratiae subvertitur, quia non potest intelligi, quomodo id, quod penitus extinctum est, sanari, adiuvari, illustrari et emendari possit: nova ad hoc animae creatione opus esset, quam tamen Lutherus admittere nequit, cum dicat, peccatum, seu concupiscentiam in anima semper remanere: quid ergo operatur gratia Redemptoris? — Certe huius efficacia solum ex doctrina catholica elucet, quae dicit, liberum arbitrium non extinctum, sed infirmatum esse, et per gratiam Redemptoris sanari et adiuvari. Ipse *Florus* Diaconus, qui peccati originalis vulnera certe non nimis extenuavit, in libro, quem sub titulo Ecclesiae Lugdunensis c. Io. Scotum Erigenam edidit (3), apposite hanc in rem scribit: « Propterea ineffabilis misericordia Conditoris non abstulit ei (homini) etiam post peccatum haec naturalia bona sua, id est esse, scire, velle, ut haberet, cui misereri potuisset. Si enim post peccatum noluisset eum esse, simul utique cum ipso et in ipso periret et scire et velle. Voluit itaque eum esse, ut haberet, cui misereretur; voluit eum scire, ut haberet quem sua cognitione illuminaret; voluit enim velle, ut haberet, quem suo amore beatificaret. » *e*) Denique historia quoque testatur, non omnes spirituales vires in homine lapso penitus extinctas esse. Constat enim, etiam Gentiles cognovisse Deum existere, eum colendum et timendum esse etc., quales sensus per oblata sacrificia manifestarunt. Legem moralem non ignorarunt, bonum et malum discernentes, et post patrata scelera conscientiae remorsus sentientes. Apud Sinenses, Indos, Graecos, Romanos etc. extiterunt nonnulli, qui praeclara documenta moralia tradiderunt. Et quamvis inter Ethnicos plerique vitiis indulgerent, attamen inter ipsos inventi sunt nonnulli, qui virtutum moralium studio incubuerunt, et opera in ordini naturali bona exercuerunt. Quod si etiam admittatur, Gentes nonnullas veritates ad Religionem pertinentes ex patrum traditione habuisse, certum tamen est, ipsas spiritualibus viribus indiguisse, ad traditiones illas recipiendas, credendas et conservandas, quae fieri haud potuissent, si in spiritualibus trunco aut lapidi similes fuissent (4).

(1) Cf. Möhler ibid. p. 73 et seq.
(2) V. Möhler l. c. p. 72. (3) Cap. 4.
(4) V. Möhler Symb. § 7. Cf. Günter Theor. incarn. Epist 6.

Nota 1. Liberum hominis arbitrium per peccatum attenuatum et inclinatum fuisse, negarunt *Pelagiani*, cum quibus consentiunt *Sociniani*, *Arminiani* et *Rationalistae*. In contrarium errorem prolapsus est *Lutherus*, docens, liberum hominis arbitrium per peccatum penitus extinctum esse, et haec Lutheri sententia, ut vidimus, in libris Lutheranorum credenda proponitur. Ast multi ex recentioribus Theologis lutheranis ab hac sententia recesserunt et doctrinae catholicae magis adpropinquarunt. Nonnulli ipsum Lutherum a praefato errore vindicare student, dicentes, mentem Lutheri solum fuisse asserere, quod homo per peccatum vires amiserit, in ordine supernaturali recte agendi et sine gratia opera meritoria pro vita aeterna ponendi. Doctrinae Lutheri sic expositae opponunt doctrinam Catholicorum, et hanc idcirco de Semipelagianismo accusant. Sic *Moshemius* (1) dicit: « Systema secundum est id, quod in Ecclesia Romana obtinet, hominem nempe magnam liberi arbitrii partem post lapsum retinuisse, et fautores huius systematis vocantur *Semipelagiani*. » Verum omnino est, Ecclesiam catholicam docere, liberum arbitrium attenuatum quidem, sed non penitus extinctum esse; ideo autem nullatenus de Semipelagianismo accusari potest. Dogma enim catholicum est, necessariam esse gratiam ad omne opus bonum in ordine supernaturali, et meritorium pro vita aeterna, eandem esse necessariam etiam pro initio fidei et pro perseverantia finali, ac neminem per actus mere naturales posse de condigno gratiam supernaturalem promereri. Itaque non sine deterrima calumnia Ecclesiae catholicae affinguntur errores Semipelagianorum, a quibus infinite distat. Erroneum autem nullatenus est dicere, naturale liberum arbitrium, quamvis attenuatum, ita tamen in homine remansisse, ut actus in ordine naturali bonos elicere, et a gratia excitari et adiuvari, ac illi cooperari possit iuxta dictum Pauli: *Non ego — sed gratia Dei mecum* (2). Theologi lutherani, qui a crassa magistri sui doctrina recesserunt, eandem fere naturalem facultatem libero arbitrio, quod post lapsum remansit, adscribunt. Sic *Moshemius* (3), ad obiectum libertatis, quam homo post peccatum retinuit, refert non solum actiones naturales et civiles, sed etiam morales, quarum intuitu dicit: « Homo per rectam rationem voluntatem sic regere potest, ut faciat, quae a lege naturae vel iubentur, vel interdicuntur, v. g. suum cuique tribuere, vel non tribuere: » idem dicit de actionibus paedagogicis, quales sunt lectio S. Scripturae, auditio verbi divini, praesentia in conventibus Christianorum ad Deum colendum, usus Sacramentorum. — Sic non raro Protestantes doctrinam veram, quam ab Ecclesia catholica recipiunt, tanquam sibi propriam venditant, et eodem hiatu pontificiis suos, aut aliorum haereticorum errores affingunt.

Nota 2. Adversarii nobis obiiciunt varia loca *S. Augustini* et aliorum, in quibus dicitur, liberum hominis arbitrium per peccatum perditum, extinctum, mortuum esse, libertatem ad bene agendum periisse et similia. Ita *S. Augustinus* (4) dicit: « Libero arbitrio male utens homo et se perdidit, et ipsum: sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit... ita cum libero peccatur arbitrio victore pec-

(1) Elem. Th. dogm. 5. 1 P. 2. Antrop. c. 3, § 2.

(2) 1 Cor. 15, 10. (3) L. c. § 4.

(4) In Enchir. cap. 30.

cato amissum est liberum arbitrium. Idem (1) scribit: Victa vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura. » *S. Coelestinus P.* (2) inquit: « In praevaricatione Adae omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse et neminem de profundo illius ruinae per liberum arbitrium posse consurgere. » *Synodus Arausicana II* (3) haec definivit: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum nisi per gratiam baptismi non potest reparari: quod amissum nisi a quo potuit dari, non potest reddi.* Hoc idem asserunt *S. Prosper*, *S. Fulgentius*, *S Remigius* Lugd. (4) et Ecclesia Lugdunensis in suo libro contra Io. Scotum Erigenam a Floro diacono exarato. Ast omnia haec allata testimonia doctrinae catholicae non contradicunt, sed cum ista optime conveniunt. Sub duplici enim respectu considerari debet, prout etiam a Ss. Patribus consideratum fuit, liberum arbitrium, nempe uti est naturalis se determinandi, sive eligendi, aut non eligendi facultas, et uti fuit in Adamo innocente iustitia originali ornatum, ac gratia supernaturali vivificatum et adiutum. Sub priori respectu, iuxta doctrinam catholicam, liberum arbitrium, quamvis attenuatum et vulneratum in homine lapso remansit: sub posteriori autem respectu per peccatum amissum, extinctum, mortuum est. Nam etiam Ecclesia catholica docet, hominem per peccatum sanctitatem et iustitiam amisisse, inimicum Dei factum esse (§ 115) et sine gratia Redemptoris nec iustificari nec minimum opus bonum in ordine supernaturali, et meritorium pro vita aeterna perficere posse (5). Sub eodem respectu etiam citatos Patres liberum arbitrium amissum dixisse, patet ex eo quia agebant cum Pelagianis, qui, negato peccato originali, asserebant homini ad bene et salutariter operandum gratiam necessariam non esse, sed liberum arbitrium sufficere. Ideo *S. Augustinus* contra Manichaeos liberum arbitrium tanquam naturalem agendi vel non agendi potentiam acerrime defendit: contra Pelagianos autem disputans liberum arbitrium per peccatum amissum fuisse asserit, illud nempe liberum arbitrium, quod a Pelagianis homini falso attribuebatur, et sine gratia ad recte et salutariter operandum, ad iustificationem et salutem obtinendam sufficiens dicebatur. In hoc sensu, et non in priori *S. Augustinum*, liberum arbitrium amissum dixisse, apertissime constat ex iam citatis ipsius verbis l. 1 ad Bonifacium c. duas. Epist. Pelag. ita scribentis: « Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam. » Eodem modo *Concilium Arausicanum II* (6) non loquitur de libero arbitrio ut est facultas naturalis, quae, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, vel non agere, sed ut est potentia iis omnibus instructa quae necessaria sunt ad operandum supernaturaliter, et sicut oportet, ad salutem: haec potentia ex gratia sanctificante et actuali exurgens per peccatum amissa fuit, et solum per gratiam Redemptoris restitui potest. Eandem doctrinam proponunt *S. Prosper*, *S. Fulgentius* et alii, qui contra Semipelagianos id tantum asserebant,

(1) In Epist. ad Vital. c. 4.
(2) In Ep. ad Episcopos Galliae c. 4.
(3) Cap. 6.
(4) De tribus Epist.
(5) V. Conc. Trid. Sess. 6, can. 1 et seq.
(6) C. 13.

liberum arbitrium sine gratia supernaturaliter et meritorie pro vita aeterna agere non posse; nullatenus autem ideo negarunt arbitrii libertatem naturalem, qualem hominis natura exigit tum ad actus aliquos saltem moraliter honestos, tum ad assentiendum activae gratiae motionibus. — Plura hac de re disserunt *Petavius* (1), *Sardagna* (2), *Gazzaniga* (3).

Nota 3. Poenae gravissimae, protoparentibus ob legis praevaricationem illatae, clare ostendunt, quanto Deus odio peccatum prosequatur, et quam merito scriptum sit: *Multa flagella peccatoris* (4). *Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (5). *Quasi a facie colubri fuge peccata* (6). Sicuti autem iustitia, ita et sapientia et bonitas Dei in poenis protoparentibus inflictis considerari possunt. Postquam enim primi homines ex propria culpa iustitiam et sanctitatem amiserant, infirmati, et ad malum inclinati fuerant, Deus tales ipsis inflixit poenas, quibus a vitiorum tramite retraherentur, ad poenitentiam vero agendam et moralitatem sectandam aptiores redderentur. Ideo remorsus conscientiae, timorem et pudorem in eorum cordibus excitavit, ut reatum suum cognoscentes facilius resipiscerent; desperandum enim est de aegroto, qui lethale suum malum non cognoscit. Sapientissime etiam Deus homines lapsos ex Paradiso, in quo ob rerum et deliciarum abundantiam in maiora usque vitia proruissent, expulit, et in terram spinis tribulisque consitam transtulit, quam in sudore vultus sui colerent; durus enim labor excellens medium est ad rebellem concupiscentiam retundendam atque superandam. Eidem fini inserviunt corporis infirmitates et morbi, ac caeterae temporales miseriae et infirmitates, quae quo molestiores, eo etiam efficaciores sunt ad cor hominis a peccatis, et ab amore huius saeculi retrahendum, et ad supernae patriae desideria in ipso excitanda. Ipsam mortem, quam homines communiter ut maximam calamitatem temporalem considerant, nonnulli Ss. Patres appellarunt beneficium et misericordiam Dei, non quasi negarent, eam esse vere primi peccati poenam, sed quia nobis peccandi finem imponit. Ita *S. Gregorius Naz.* (7) de Ada inquit: « Mortem ac peccandi praecisionem elucratur, ne malum immortale sit. Ita poena ipsa in misericordiam cessit. » *S. Ambrosius* (8) dicit: « Inveniemus mortem finem esse peccati, ne quo esset vita diuturnior, eo fieret culpa numerosior. » Eodem sensu alios Patres intelligendos esse, observavit *S. Augustinus* (9), dicens, aliquos disputasse de bono mortis, quia scilicet praedicanda est misericordia Dei, « quod in bonos usus convertitur poena peccati. » Et sane si homines in statu naturae lapsae morti et innumeris miseriis subiecti peccata multiplicant, et rerum terrenarum amore flagrant, quid fieret, si morti, morbis et miseriis subiecti non essent? - Dolores quoque in partu sustinendi valde prodesse possunt, tum ut mulieres a libidine retineantur, tum ut matres filios quos in doloribus pepererunt, vehementius ament, diligentiusque custodiant. Dominium denique hominis in animalia ita ob peccatum imminutum fuit, ut plurium animalium feritas homini continuo in mentem revocet inobedientiam, quam ipse erga

(1) T. 3, de Opif. sex. dier. l. 1.
(2) Th. dogm. polem. s. 4, Controv. 4 et 5.
(3) L. c. cap. 7.
(4) Ps. 31, 10.
(5) Rom. 2, 9.
(6) Eccli. 21, 2.
(7) Or. 38 (al. 12) n. 15.
(8) De bono mortis cap. 4.
(9) L. 5 c. duas Epist. Pelag. c. 4.

Creatorem suum commisit. Voluit autem benignissimus Deus, ut animalia illa, quae ad usus humanos maxime requiruntur, domestica homini que fere ad nutum subiecta maneant. Quantum ergo in pertractatarum poenarum consideratione iustitiam Dei timere convenit, tantum eius sapientiam et bonitatem admirari et laudare oportet (1).

APPENDIX

De protoparentum poenitentia et salute.

§ 218. *Tatianus* omnium primus Adami poenitentiam et salutem negavit, ut testantur *S. Irenaeus* (2) et *Eusebius* (3). Eandem in dubium revocavit *Rupertus* Abbas Tuitiensis. Sed sat firmis argumentis probari potest, Adamum de peccato suo poenitentiam egisse et aeternam salutem consecutum esse.

1. Legitur Sap. IX, v. ult.: *Per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi, Domine, a principio*, et versu seq. Sap. X, 1 etc. horum primus nominatur Adam his verbis: *Haec* (sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia*. Dicitur ergo Adam eductus a delicto suo et placuisse Deo: non solet autem S. Scriptura dicere de damnatis, quod placuerint Deo. Nonnulli quidem legerunt: *et eduxit illum de limo terrae*, sed lectio Vulgatae: *e delicto suo*, praeferenda et retinenda, quia haec tum cum contextu, tum cum antiquissimis codicibus graecis et latinis, tum cum citationibus Ss. Patrum, e. g. *S. Augustini* (4) consentit.

2. Ss. Patres passim docent, Adam per poenitentiam ad aeternam salutem pervenisse. *S. Irenaeus* (5) de Adamo dicit: «Transgressionis fecit poenitentiam, poenitentibus autem largitur benignitatem suam Deus.» Idem (6) salutem Adami demonstrat, tum quia sententia Tatiani nova est, ab eo conficta et in parentes impia ac iniuriosa; tum quia Deus non maledixit Adae et Evae, sicut serpenti; imo illos ad resipiscentiam invitavit, et eis veniae salutisque spem dedit, facta Messiae promissione, tum quia ovis centesima perdita a pastore inventa dicitur Luc. XV, 3 etc. Eandem Tatiani sententiam reprobarunt *Tertullianus* (7), *Origenes* (8), *S. Athanasius* (9). — *S. Hilarius* (10) dicit: « Adam veniae reservatus et glorificatus in Christo est.» - *S. Ambrosius*(11) circa Adae salutem S. Irenaeo assentitur. *S. Gregorius Naz.* (12) de Adamo et Eva dicit: «Utrumque serpens decepit, utrumque Christus passione sua salute donavit»(13). *S. Augustinus*(14) ait: «Adam, qui interroganti Domino confessus est peccatum, quod commisit, veniae redditus est.» Et in citata Ep. ad Evod. scribit: « De illo quidem primo homine, patre generis humani, quod eum ibidem Christus ad inferna descendens solverit, Ecclesia fere tota consentit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas.» *S. Gregorius M.* (15) inquit: « Adam postmodum per poenitentiam ad vitam rediit.» *S. Anselmus* (16) dicit, «Adamum et Evam ad illam pertinuisse re-

(1) Cf. Stolberg, Hist. Rel. l. 1, § 5-9.
(2) L. 1, c. 38 (al. 30).
(3) Hist. eccl. lib. 4, cap. 29
(4) In Epist. 164 (al. 99), ad Evod. c. 3.
(5) L. 2, c. 37. (6) L. 3, c. 34.
(7) L. 2, c. Marc. c. 25.
(8) Hom. 35 in Matth.
(9) Lib. de Cruce et Pass. Domini.
(10) In Ps. 119. (11) L. de Parad. c. 13.
(12) Or. 31. (13) Cf. Or. 18 de laud. Cypr.
(14) Serm. 104 de temp. (15) L. 6, Epist. 31.
(16) Lib. Cur Deus homo cap. 16.

demptionem, dubitandum non est. » Et sicuti Ss. Patres, ita etiam Theologi catholici Adae et Evae salutem aeternam adscribunt, et illorum sententia ab ipsa Ecclesia approbatur, quae in vigilia Nativitatis Domini Adam et Evam inter Sanctos celebrat.

Nota. Nonnulli de salute Adami dubitandum esse putarunt, quia S. Paulus (1) Ecclesiam fidelium non ab Adamo, sed ab eius filio Abele exortam esse, ostendit. Sed iste locus contra probatam iam veritatem solummodo argumentum negativum affert; inter illos enim, qui fide salvati sunt, Adam non nominatur quidem, sed neque excluditur. Scopus Apostoli fuit illos recensere, qui fidei causa aut mortem perpessi sunt, aut futurorum promissionem singulari mysterio acceperunt, quorum utique primus est Abel. — Citatur etiam contra Adami salutem *S. Bernardus*, qui in libro de modo beate vivendi dicit: « Adam in infernum cecidit, quia inobediens fuit. » Sed istum librum non esse genuinum, ostendit *Bellarminus* (2), et praeterea possunt verba, quae obiiciuntur, ad solum reatum et meritum damnationis referri (3).

ARTICULUS VII

De propagatione peccati originalis.

§ 219. In doctrina hactenus proposita nihil prorsus incomprehensibile occurrit. Deum enim ceu supremum rerum omnium Dominum legem ferre, et primos homines liberos atque finitos hanc transgredi potuisse, ipsa sana ratio intelligit. Imo et Adae et Evae ob praevaricationem, cum maxima malitia commissam, gravissimas poenas infligendas fuisse, ex ipso Dei sanctissimi et infinite iusti conceptu recte infertur. — Quae autem ulterius de eodem peccato dicenda sunt, quamvis humanae rationi non repugnent, eius tamen captum longe superant. Divina enim Revelatio docet, Adamum per peccatum in paradiso commissum non sibi soli nocuisse, sed etiam suis posteris, in quos tum reatus culpae, tum reatus poenae transfusus est. Errat igitur qui dicit, poenas tantum Adae inflictas ad posteros transiisse, non vero peccatum; et errat pariter, qui putat, peccatum solum in posteros transfusum esse, non autem eius effectus, seu poenas. Utrumque simul coniungendum est, nam reatus culpae in posteros transiit, ita ut ex origine in se verum et proprium peccatum habeant, non quidem actuale, sed habituale, seu originale; et reatus poenae in posteros transiit, ita ut propter peccatum morti caeterisque aerumnis subiecti sint, iustitia originali privati, inimici Dei et filii irae nascantur, et vires animae attenuatas ac per inordinatam concupiscentiam inclinatas ad malum sentiant. — Hac de re disserentes, versamur in dogmate puro, et in dogmate mysterio. Cognoscimus enim in hac doctrina subiectum et praedicatum, sed intrinsecum nexum non perspicimus; scimus nempe, quid de posteris Adami praedicetur, sed quomodo, Adamo peccante, etiam posteri peccatores constituti poenisque subiecti fuerint, limitata nostra ratione perfecte comprehendere non valemus. Doctrina ergo haec probanda est ex divina Revelatione, quae tum in *S. Scriptura*, tum in *Traditione* firmissima nobis argumenta suppeditat.

Nota I. Doctrina de propagatione peccati originalis summi est momenti. Tota enim Religio christiana duobus, ut ita dicam, cardinibus volvitur, pec-

(1) Hebr. 11, 4.
(2) De script. eccl. ad ann. 1130.
(3) Cf. Bertu lib. 12. c. 11.

cati nempe originalis in omnes homines propagatione, et totius humani generis per Christum redemptione. Ideo *S. Augustinus* (1) dicit, hanc doctrinam tanti esse momenti, « ut in ea proprie fides christiana consistat; » et l. 1, c. Iulian. c. 2 ait: « Hoc qui negat, ipsa christianae fidei firmamenta subvertere conatur. »

Nota 2. Haec doctrina ideo etiam cum magna solertia pertractanda est, quia multos iam adversarios habuit et etiamnum habet. Teste *Clemente Alex.* (2), iam secundo Ecclesiae saeculo gregales *Carpocratis* docuerunt, neminem ob praevaricationem Adae nasci infectum peccato et damnationi obnoxium. De eodem errore a multis accusatur *Origenes*, qui, praecipue in libris Periarchon, animae depravationem a peccatis in vita praecedenti commissis repetiit, et ad haec abluenda baptisma necessarium dixit: quapropter « Amasius » Pelagianorum a *S. Hieronymo* nuncupatus est, sed tamen a Cl. *Bossueto* (3) et a *Dan. Huetio* (4) a praefato errore vindicatur. — Inter aberrantes autem recte numerantur *Gnostici* et *Manichaei*, qui ipsam materiam in se malam esse dicebant, et hominis corruptionem non a peccato Adami, sed a malo principio repetebant. — Praecipuus autem doctrinae de propagatione peccati originalis impugnator fuit, ineunte saeculo quinto, *Pelagius*, Monachus Britannus, qui docuit, Adamum eo in statu creatum fuisse, in quo posteri nascuntur; ipsum peccando sibi nocuisse, non autem posteris nisi exemplo seu scandalo; infantes sine baptismo decedentes ad vitam aeternam, non autem ad regnum coelorum pervenire; et doctrinam de peccato originali, quae (uti satis absurde asseruit) neque in Scriptura, neque in Traditione fundatur, ad fidem non pertinere. Hos errores, quos, teste *Mario Mercatore* (5), iam *Theodorus Mopsuestenus* proposuerat, iniquo zelo et magna pertinacia defenderunt *Caelestius*, et *Iulianus* Ecclanensis Episcopus. Similiter aberrarunt saeculo 13mo *Albigenses*, et saec. 14mo *Beguini*, et *Neopelagiani* in Britannia. Inter Novatores saec. 16mo Pelagianorum errores ab orco revocavit *Zwinglius*, qui dixit, peccatum originale morbum contagiosum esse, non autem veram culpam: asseruit praeterea, sicut in posteris, ita et in Adamo fuisse philautiam, seu amorem sui, qui est fons peccatorum, et peccatum originale nihil aliud esse nisi hanc ipsam ad peccatum propensionem, quae tamen peccatum non est: nullum ergo reatum culpae in infantibus agnovit, et hos etiam sine baptismo decedentes a damnatione penitus immunes pronuntiavit (6). — Propagationem peccati originalis etiam *Sociniani* penitus negant, quorum sententia est, peccatum originale nullum dari, et Adamum peccando nocuisse sibi soli. Cum his consentiunt *Anabaptistae*, *Quakeri* et *Arminiani*. Denique hodierni *Rationalistae* omnem lapidem movent, ut ostendant, doctrinam de peccato originali esse a divina Revelatione alienam et humanae rationi contrariam. Contra tot adversarios doctrina catholica de propagatione peccati originalis, solidis argumentis e Revelatione petitis, probanda est.

(1) Lib. 2 de peccato orig. cap. 24.
(2) L. 3. Strom.
(3) In Defens. Trad. et Ss. PP. l. 8, c. 28.
(4) In Origenianis l. 2, c. 7. q. 7.
(5) In Commonit. 1.
(6) V. Möhler Symb. § 9.

I. *Argumentum ex S. Scriptura V. Test.*

§ 220. Iam in veteri Lege dogma de transfusione peccati originalis re-

velatum fuisse, ex sequentibus locis apparet:

1. Iob XIV, I, etc. describens hominis miseriam v. 4, exclamat: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* vel, ut vertunt LXX: *Nemo mundus a sorde; ne infans quidem, cuius est unius diei vita super terram;* quae ultima verba habentur etiam in antiqua Vulgata, eademque legisse Veteres, et ad propagationem peccati originalis adhibuisse, testatur *Calmet* (1). — Hebraicus autem fons ita habet: *Quis detur mundus de immundo? non unus.* Certum ergo est, Iobum loqui de sorde, seu immunditia universali, quae cuilibet homini ab ipsa origine inhaeret: hanc autem non corporalem, sed spiritualem esse, facile probatur. Nam *a*) Iob loquitur de immunditia, a qua solus Deus mundare potest; haec est autem spiritualis, quae animam afficit, non corporalis, a qua etiam homines mundare possunt. *b*) Sermo est de sorde, ob quam homo adducitur in iudicium divinum, uti ex verbis immediate praecedentibus inferendum est; nam v. 3 dicitur: *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos et adducere eum tecum in iudicium?* — homines autem solum ob immunditiam spiritualem, seu ob peccatum iudicio Dei subiiciuntur. *c*) Sub nomine immunditiae in S. Scriptura saepe peccata intelliguntur; ut Is. LXIV, 6: *Facti sumus ut immundus omnes nos et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae* (2). *d*) Etiam Patres verba Iobi de immunditia spirituali intellexerunt. *Origenes* (3) inquit: « Sed et ille ipse qui nascitur, sive virilis, sive foeminei sexus sit, pronunciat de eo Scriptura quia non sit mundus a sorde, etiamsi unius diei sit vita eius. » Pergit deinde Origenes, et tum ex maledictionibus, quibus Iob diem nativitatis suae execratus est, tum ex verbis David Ps. L, 7 colligit, « quamcunque animam in carne nascentem iniquitatis et peccati sorde pollui. » Et quamvis Origenes fortasse non primum peccatum Adami, sed quoddam aliud intellexerit, cognovit tamen, Iobum illis verbis voluisse significare aliquod peccatum, quo infantes inquinati nascuntur. Cum autem praecedens quaedam vita omnino fictitia sit, et infantes peccatum actuale committere non possint, necessario in ipsis admittitur peccatum originale, de quo verba Iobi sunt intelligenda.

2. Insignis pro inconcusso Religionis nostrae dogmate habetur locus Ps. L, 7, ubi David dicit: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* In textu autem hebraico expressius dicitur in numero singulari, prout etiam ex Hebraeo vertit *S. Hieronymus*: *In iniquitate conceptus sum, et in peccato peperit me mater mea.* Etiam in versione Chaldaica, Syriaca et Arabica *iniquitas* et *peccatum* in singulari numero effertur. Luculentissimum hic habetur testimonium de transfusione peccati originalis; nam, ut ait *Calmet* (4), « Homo in peccato conceptus, corruptione et iniquitate concretus, ex ipso matris ventre peccator, quid aliud est, quam homo in peccato originali conceptus? » — Ideo Ss. Patres passim hoc loco usi sunt ad propagationem peccati originalis probandam. *Origenes* (5) bis verbis ostendi dicit, quod « Quaecunque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur. » *S. Hilarius* (6), explicans illa verba Davidis: *Vivet ani-*

(1) In h. l. (2) Cf. Zach. 4
(3) Hom. 7 in Levit. (4) In h. l.
(5) Hom. 8. in Lev. (6) In Ps. 1.8.

ma mea, *et laudabit te*, ita disserit: « Vivere se in hac vita non reputat; quippe qui dixerat: *Ecce in iniquitatibus* etc., scit sub peccati origine et sub peccati lege se natum. » *S. Ambrosius*, expendens eadem verba Ps. L, 7, ait: « Antequam nascimur, maculamur contagio, et ante usuram lucis originis ipsius excipimus iniuriam: in iniquitate concipimur: » idem l. 1, de Poenit., c. 13 scribit: « Omnes sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, dicente David: *Ecce in iniquitatibus* etc. » *S. Augustinus* (1) inquit: « Nunquid David de adulterio natus erat? — de Iesse viro iusto et coniuge ipsius. Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? » — *S. Gregorius M.* (2) dicit: « Unusquisque cum primi parentis culpa concipitur, dicente Propheta: *Ecce in iniquitatibus* etc. » — Errant qui, ut vim argumenti effugerent, dicunt, Davidem de iniquitate et peccato matris suae loqui. Talis enim interpretatio tum Patrum traditioni, tum regulis hermeneuticis prorsus repugnat. Nam in toto Psalmo David sua, et non aliena peccata accusat, et varias rationes affert, ut pro se divinam misericordiam imploret. Constat praeterea, Davidem ex legitimis nuptiis et iustis parentibus natum esse; neque inter Iudaeos, aut Christianos inventus est, qui propter citata verba matrem Davidis de crimine accusandam esse putaverit. — Neque audiendi sunt qui contendunt, Davidem loqui de peccatis actualibus, a se iam in prima iuventute commissis, quod ex eo probare tentant, quia iniquitates et peccata in numero plurali enuntiantur, et quia similis hyperbolice loquendi modus in aliis S. Scripturae locis occurrit, ut Ps. LVII, 4: *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa;* et Iob XXXI, 18: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio; et de utero matris meae egressa est mecum;* ex quibus inferunt, etiam Davidem per hyperbolem se a conceptione et a partu peccatorem confiteri. — Sed absona et falsa est talis interpretatio; David enim in citato loco non loquitur de iis, quae ipse egit, sed de iis, quae de ipso acta sunt. Nec refert, quod iuxta Vulgatam dicat in plurali *iniquitates* et *peccata*. Observante enim *S. Thoma* (3), haud insuetum est Ss. Scriptoribus numerum pluralem pro singulari usurpare, uti cum dicitur ad significandam mortem Herodis: *Defuncti sunt qui quaerebant animam pueri* (4). Addit Angelicus, peccatum originale potuisse etiam numero plurali enunciari « vel quia in eo praeexistunt omnia peccata actualia, sicuti in quodam principio, unde est multiplex virtute; vel quia in peccato primi parentis, quod per originem traducitur, fuerunt plures deformitates, scilicet superbiae, inobedientiae, gulae et alia huiusmodi; vel quia multae partes animae inficiuntur per peccatum originale. » Idem fere ad eandem obiectionem reposuit *S. Augustinus* (5). — Nec loca Scripturae citata adversariis favent. Nam Ps. LVII, 4, dicuntur peccatores iam a vulva et utero matris peccasse propter concupiscentiam ex originali noxa contractam, quae eos cum ad usum rationis pervenerint, ad nova semper patranda peccata sollicitat. « Miseratio, ait *S. Thomas* (6), de qua Iob loquitur, non significat

(1) Enarr. in Ps. 50, n. 10.
(2) L. 4 Mor., n. 3
(3) 1, 2, q. 82 art. 4 ad 1.
(4) Matth. 2. 20
(5) In Enchir. c. 46. n. 13.
(6) 3, q. 27, art. 6 ad 3.

virtutem infusam, sed quamdam inclinationem naturalem ad actum huius virtutis. » Quod si etiam admittatur, in his et aliis locis biblicis hyperbolicum dicendi genus occurrere, ex eo tamen, ut rectissime observat Cl. *Bossuetus* (1), quod Ss. Litterae in nonnullis locis hyperbolice loquantur, non licet inferre, etiam loca planissima et clarissima esse per hyperbolem explicanda: alias nullum erit in iisdem Scripturis dogma firmiter stabilitum. Sane in Ps. L, omnia ita clara sunt, ut nihil expressius ad designandum peccatum originale desiderari possit: ibi enim exprimitur *peccatum*, *iniquitas*, *conceptio*, *partus*, et in toto illo Psalmo nihil emphaticum, vel hyperbolicum reperitur.

3. S. *Augustinus* argumentum petiit etiam ex circumcisione, quae pro infantibus masculis ad delendum peccatum originale et ad salutem obtinendam necessaria declaratur. Nam Gen. XVII, 14 dicitur: *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Id de infantibus quoque dictum esse, patet ex v. 12 praecedenti: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis* etc., et confirmatur ex textu graeco et samaritano, in quo expresse legitur: *Masculus, cuius caro circumcisa non fuerit in die octava* etc., infantis ergo non circumcisi anima delenda dicitur *de populo suo*, quod non solum de morte temporali, sed de morte aeterna intelligendum est; sicut enim *apponi ad populum suum* hebraica phrasi demonstrat haereditatem Sanctorum (2), ita hac antithesi, *deleri de populo suo*, significatur huius haereditatis privatio. Hanc autem infans non potest incurrere propter peccatum actuale, ergo debet in illo admitti peccatum originale. Quapropter *S. Augustinus* (3) inquit: « Quid enim mali, quaeso, parvulus propria voluntate commisit, ut alio negligente, et eum non circumcidente, ipse damnetur damnatione tam severa, ut pereat anima illa de populo suo? — neque enim temporalis mortis terror incussus est, cum de iustis, quando moriebantur, tunc potius diceretur: et *appositus est ad populum suum* etc. » Ex quibus S. Doctor concludit, peccatum originale in infante esse agnoscendum. Idem l. 2 c. Iulianum (4), etiam auctoritate *S. Chrysostomi* et B. Martyris *Cypriani*, demonstrat, circumcisionem in signum praeceptam esse baptismatis et in remedium originalis peccati: quod et affirmat *S. Basilius* (5), *S. Ambrosius* (6) et *Innocentius IV* (7). Iudaeos quoque circumcisionem ut medium necessarium agnovisse ad delendum peccatum originale, patet ex Talmud Sanhedrin cap. 11, ubi haec leguntur: « Quaeritur, quomodo infans particeps esse possit futuri saeculi? — Rabbi Nachmann, filius Isaaci, respondet: Statim atque circumcisus est: » in eodem vero capite Talmudistae profitentur peccati originalis propagationem dicentes: « Cum peccatum sit privatio gratiae, posteri Adam nascentes privati gratia peccatores etiam nascuntur. » Haec Iudaeorum fides, quae etiam ex aliis monumentis probari potest (8), confirmat argumenta ex V. T. petita ad propagationem peccati originalis probandam (9).

Nota. Quemadmodum nos ex V.

(1) Comment. in h. l.
(2) Gen. 25, 17, 1 Mach. 2, 69
(3) De pecc. orig. cap. 30, n. 35.
(4) Cap. 6, n. 18.
(5) Orat. 13 quae est exhortatio ad baptismum (6) L. 2 de Abrah. cap. 11.
(7) In cap. Maiores.
(8) V. Gazzaniga t. 4, Diss. 3, sect. 2, c. 4 n. 74, not. (9) Cf. Berti l. 13, c. 1.

T. propagationem peccati originalis probamus, ita adversarii hanc doctrinam ex eodem sacro fonte impugnare tentant.

Obi. I. Deus Gen. III effectus lugendos peccati a protoparentibus commissi accurate descripsit, et poenas tum Evae, tum Adamo inflictas clare enuntiavit; sed de propagatione peccati ad posteros nulla fit mentio: illa ergo non est admittenda.

Resp. Argumentum hoc est mere negativum, quod non infringit positiva iam prolata; nec refert, quod Deus in uno Scripturae capite ea reticuerit, quae in aliis locis clare manifestavit. Si concederetur, Deum propagationem peccati protoparentibus non manifestasse, ex sapientissimo consilio id factum fuisse dicendum esset, ne illos vel nimio moerore afficeret, vel a filiorum procreatione deterreret. Ast notandum est, non omnia conscripta esse, quae Deus cum protoparentibus locutus est: ex eo ergo, quod propagatio peccati Gen. III conceptis verbis enuntiata non legatur, non potest inferri, lugubrem hanc veritatem in mundi primordiis ignotam fuisse, cum claris verbis, in S. Scriptura non expressis, a Deo protoparentibus manifestari et per traditionem ad posteros transmitti potuit. In ipsa Genesi cap. III propagatio peccati non obscure indigitatur; promittitur enim v. 15 Redemptor, qui non solum mulierem, sed etiam *semen*, seu posteritatem eiusdem ex captivitate daemonis liberet (Th. gen. § 105), ex quo recte infertur, etiam posteros gratia privatos, et captivos daemonis factos fuisse.

Obi. II. Peccata Patris ad posteros non propagari, Deus ipse testatur Ezech. XVIII, 20 dicens: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: iustitia iusti super eum erit et impietas impii erit super eum.* At si esset peccatum originale, filius portaret iniquitatem patris, et impietas impii esset etiam super posteros: ergo propagatio peccati originalis S. Scripturae adversatur, et admitti nequit.

Resp. Decantata haec Pelagianorum et Socinianorum obiectio variis modis confutari potest. — Doctrina catholica nullatenus pugnat cum citato S. Scripturae loco, quia, secundum ipsam, posteri non portant iniquitatem patris, sed propriam; in Adamo enim omnes peccaverunt. Iuxta *S. Thomam* (1) peccatum primi hominis est quodammodo peccatum totius naturae, et ideo, cum aliquis punitur propter peccatum primi parentis, non punitur pro peccato alterius, sed pro peccato suo. Etiam *S. Anselmus* (2) ait: « Non portant infantes peccatum Adae, sed suum; nam aliud fuit peccatum Adae, aliud est peccatum infantium; illud enim fuit causa, istud effectus. » Cum S. Scriptura potius pugnat sententia adversariorum, qui peccatum originale negant, effectus autem, seu poenas peccati etiam in infantibus inficiari non possunt. – *b*) Ezechiel in l. c. loquitur de privilegiis novi foederis. Nam in V. T. Deus visitabat iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem, ut legitur Ex. XX, 5, Ier. XXXII, 18, unde in Israël invaluit proverbium illud: *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt*, Ezech. XVIII, 2. — Deus itaque promittit, hanc parabolam ulterius non futuram esse in proverbium in nova lege, in qua filii non ob peccata parentum, sed solum ob propria peccata pu-

(1) Q. 4 de malo, art. 1 ad 19.

(2) L. de conc. virg. et pecc. or. c. 26

niendi erunt. *S. Augustinus* (1) dicit: « Haec per Ezechielem Prophetam promissio est novi Testamenti, quam non intelligis, ubi Deus regeneratos a generatis, si iam in maioribus aetatibus sunt, secundum propria facta discernit. » *c*) Nonnulli putant, in citatis Ezechielis verbis legem divinam proponi, quam homines in iudicando observare teneantur; Deus enim, absolutus rerum omnium Dominus, et fons omnis iustitiae, legi subesse nequit. Etiam hanc interpretationem indigitat *S. Augustinus* (2), dum Iuliano locum Ezechielis urgenti respondet, hanc legem pro hominibus latam esse, et addit: « Parvuli quid mali fecerunt? nonne per suorum parentum peccata, quorum nec conscii, nec imitatores esse adhuc poterant, divino iudicio poenam subiere communem? Aliter ergo iudicat Deus, aliter homini praecipit ut iudicet. » Idem docet *S. Thomas* (3).

II. *Argumentum ex S. Scriptura N. T.*

§ 221. Ut reliqua Religionis mysteria, ita etiam gravissima de propagatione peccati originalis doctrina multo apertius in novo, quam in veteri Testamento revelata est, quod loca sequentia probant:

1. Paulus Rom. V, 12 inquit: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* quibus in verbis apertissime propagatio peccati originalis in omnes homines manifestatur. *Primo* enim dicitur: *per unum hominem*, scilicet Adam, *peccatum in hunc mundum intravit*, quod de actuali Adae peccato non ita intelligi potest, quasi istud fuerit primum in mundo, seu in tota rerum universitate peccatum; nam ante Adam peccarunt Angeli, et etiam Eva prius illo legem transgressa est; per *mundum* ergo hic intelligitur totum genus humanum, quo in sensu nomen mundi persaepe in Ss. Litteris usurpatur (4); et sensus Apostoli est, per unum hominem praevaricatorem peccatum in omnes homines, seu in omnes eius posteros ingressum seu transfusum esse. *Secundo* additur: *et per peccatum mors* intravit, quibus verbis manifeste mors tanquam effectus seu poena peccati declaratur; nam, ut iam probatum est § 206, n. 3, *Deus creavit hominem inexterminabilem*, seu *immortalem; invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (5). Sicut autem in primo homine, ita etiam in eiusdem posteris mors est effectus et poena peccati, quod clare docet Apostolus, dicens: *per peccatum mors* intravit, *et ita*, i. e. eodem modo, scilicet per peccatum *in omnes homines pertransiit*, quod etiam confirmat locus parallelus Rom. VI, 23, *Stipendia peccati mors;* ergo iuxta Apostolum omnes homines moriuntur propter peccatum, quod in ipsos intravit, eosque mortis reos constituit: at etiam infantes moriuntur in quibus non potest esse peccatum actuale, ergo in ipsis admittendum est peccatum originale. - *Tertio* attendenda sunt etiam ea verba: *in quo omnes peccaverunt;* ut enim scite observavit *S. Augustinus* (6), illud pronomen relativum: ἐφ' ᾧ *in quo* non potest referri ad peccatum, quasi Apostolus dicat, nos omnes peccasse peccato Adami, quia in graeco idio-

(1) L. 3 op. imp. c. Iulian. c. 38.
(2) L. c. cap 12
(3) 1, 2, q. 8. a 1, et 2, 2, q. 108, a. 4.
(4) Io. 1, 29, ib. 3, 16: Matth 5, 14: Rom. 11, 15 etc.
(5) Sap. 2. 23-24. (6) L. 1 ad Bonifac. n. 7.

mate peccatum ἁμαρτία est generis foeminini. Neque potest referri ad mortem, quae in graeco est quidem generis masculini ὁ θάνατος, sed nimis insulsum esset dicere, omnes in morte peccasse; remanet ergo, ut referatur ad Adam, in quo omnes homines peccasse dicuntur, quia eius peccatum in omnes generationes transfunditur.

2. Doctrinam propositam S. Paulus confirmat, dum clarissimis verbis dicit, omnes homines Adamo peccante peccatores constitutos, ac morti, et damnationi subiectos fuisse, a qua solum per Christum liberari possunt. Dicit enim: *Si unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei..... in plures abundavit* (1); *Iudicium quidem ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem* (2); *Unius delicto mors regnavit per unum* (3) etc.; *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae* (4); *Sicuti enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ita et per unius obeditionem insti constituentur multi* (5); Eandem veritatem repetit Apostolus I Cor. XV 21 etc., dicens: *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum, et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Clarissime ergo Apostolus adseverat, omnes homines peccatores esse, et ob peccatum morti et damnationi subiici; atqui eiusmodi peccatum non potest esse actuale uniuscuiusque voluntate patratum, cum etiam infantes sint morti obnoxii, et saepe moriantur antequam quidquam boni, vel mali propria voluntate patrare potuerint; ergo est peccatum originale.

3. Idem Apostolus Ephes. II, 3 inquit: *Nos omnes... eramus natura filii irae:* id est, non solum propter gravissima peccata actualia, quae commisimus (6), sed ex ipsa progenie eramus peccatores, filii irae, damnationis rei. In quae verba *S. Augustinus* (7) scribit: « Quomodo natura? nisi quia primo homine peccante vitium pro natura inolevit. » Et serm. 294 (8) in eundem locum dicit: « Non accusamus naturam: naturae auctor Deus est; a Deo bona instituta est natura, sed per malam voluntatem vitiata est. Ideo quod fuit in Adam culpae, non naturae, nobis propagatis factum iam est naturae. » - Nonnulli equidem ex contextu ostendere tentarunt, in loco citato solum de peccatis actualibus sermonem esse, et vocem graecam φύσει (natura) reddendam esse per *prorsus*, vel *omnino*, uti eam vertit etiam *S. Hieronymus* (9). Ast quamvis S. Paulus ibi de peccatis actualibus loquatur, nihil tamen impedit, quominus altius rem repetens, et causam corruptionis hominum indigitans, de depravata per peccatum originale natura loquatur. *S. Augustinus* (10) ex veterum interpretum auctoritate probat, per φύσει ipsam *naturam* esse intelligendam. Dein non magna differentia est utriusque versionis, atque hoc etiam modo significatur, nos nasci omnino filios irae, utique ob peccatum originale. De hoc verba Apostoli exponit Concilium *Tridentinum* (11) dicens: *Cum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent, facti immundi, et, ut Apostolus inquit, natura filii irae,* etc.

(1) Rom. 5, 15. (2) Ib. v. 16
(3) Ib. v. 17. (4) Ib. v. 18. (5) Ib. v. 19.
(6) V. 1 — 3. (7) Tract. 44 n. 1. (8) N. 14.

(9) In Comm. (10) L. 6 c. Iulian.
(11) Sess. 6, c. 1.

4. Christus pro omnibus hominibus mortuus est. Legitur enim Rom. VIII, 32: *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* 1 Tim. II, 6: *Christus Iesus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* — Christus autem mortuus est, ut tollat *peccatum mundi* (1); *ut repropitiaret peccata populi* (2); *ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit* (3); *oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (4). In omnibus hominibus ergo admittendum est peccatum, ad quod delendum Christus mortuus est: sed inter omnes homines inveniuntur etiam infantes, qui peccatum actuale nullatenus commiserunt; ergo in ipsis admittendum est peccatum originale, quia, hoc negato, etiam negandum esset, Christum pro ipsis mortuum esse. Haec argumentatio ipsa S. Scripturae auctoritate nititur; nam II Cor. V. 14. etc. legitur: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus;* in quae verba *S. Augustinus* (5) ait: « Conclusio haec Apostoli invicta est, ac per hoc quia et pro parvulis mortuus est, profecto etiam parvuli mortui sunt; » et ib. (6) ait: « Clamat Apostolus: *Ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est;* et vos (Pelagiani) reclamatis: non sunt mortui parvuli: clamate et quod sequitur; ergo non pro illis mortuus est. » Eodem argumento Pelagianos premit l. 6 c. Iulian. c. 4, et ostendit, Apostolum non loqui de morte corporis, quia hanc non abstulit Christus, et quia dici non poterat, eandem iam omnes incurisse, sed de morte animae per peccatum iuxta locum parallelum, Col. II, 13: *Et vos cum mortui essetis in delictis* etc., unde concludit: « Quia non in corpore, restat, ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus est, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum. »

5. Peccati origialis in omnes homines propagationem Christus ipse satis clare asseruit, dum in colloquio cum Nicodemo necessitatem baptismi pro omnibus pronuntiavit. Nam. Io. III, 3 affirmat, regenerationem esse primam conditionem, ut quis regnum Dei videat: *Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei;* dein declarat, quomodo regeneratio fieri debeat; ait enim: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei* (7); quibus verbis baptisma pro omnibus ad salutem aeternam obtinendam necessarius pronuntiatur: tandem huius regenerationis necessitatem Christus probat, dicens: *Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex Spiritu, Spiritus est* (8); quorum verborum sensus est, non solum Gentiles, quos Iudaei pro peccatoribus habebant (9), — sed etiam Iudaeos, qui sibi praerogativam ob suam ab Abrahamo originem vindicabant, vi generationis suae ineptos esse ad regnum Dei, nisi spiritualis regeneratio fiat. Christus ergo asserit, omnes homines sua generatione carnali contrahere maculam, quae eos ineptos ad regnum Dei reddat, et quae nonnisi divina virtute, scilicet baptismate a Christo instituto, tolli queat. Quid autem per hanc maculam, quae in ipsa generatione contrahitur, aliud est, quam peccatum originale? — Sententia Christi universalis est

(1) Io. 1. 29. (2) Hebr. 2. 17.
(3) Hebr. 9. 26. (4) Ibid. v. 28.
(5) L. . op. imp. c. Iulian. c. 64.
(6) L. 2, n. 163 (v. 175). (7) Ibid. v. 5.
(8) Ibid. v. 6. (9) Gal. 2, 15.

et complectitur omnes, qui ex carne nati sunt; ergo etiam infantes, qui sine lavacro regenerationis non possunt introire in regnum Dei: sed ab huius ingressu non impediuntur per peccata actualia, ergo in ipsis admittendum est peccatum originale. — Absona prorsus est distinctio, quam invenerunt Pelagiani, ut huius argumenti vim eliderent; dixerunt enim, infantes sine baptismo decedentes non quidem ad regnum coelorum, sed tamen ad vitam aeternam pervenire: ast hanc distinctionem nullo argumento probare potuerunt; in S. Scriptura enim beatitudo aeterna modo *regnum coelorum*, modo vita aeterna nominatur; et Matth. XXV, 46 dicitur: *Ibunt hi* (reprobi) *in supplicium aeternum; iusti autem in vitam aeternam* neque praeter hos duos status tertius assignatur. Ideo S. *Augustinus* (1), loquens de praefata Pelagianorum distinctione, ait: « Hic error aversandus est ab auribus, extirpandus a mentibus. Hoc novum in Ecclesia, prius inauditum est, esse vitam aeternam praeter regnum coelorum, esse salutem aeternam praeter regnum Dei. »

Nota. Variae sunt difficultates, quas argumentis prolatis opposuerunt Pelagiani, et quas recoquunt Sociniani, Arminiani et Rationalistae biblici, sed illas diluere haud difficile est.

Obi. 1. Paulus Rom. V, 12 non loquitur de peccato originali per generationem transfuso, sed de peccato per imitationem propagato. Ideo dicit: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, id est, coepit esse inter homines; primus enim homo peccavit, et ad eius exemplum etiam posteri peccarunt, mortemque animae et corporis incurrerunt, quapropter dicitur: *in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Et sane Paulum de peccatis actualibus loqui, patet ex eo, quia his v. 12, qui Adamum peccando imitati sunt, v. 14 opponit, *eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*. Idem confirmat locus parallelus Osee VI, 7, ubi dicitur: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*. Denique si de transfusione peccati per generationem loqueretur Apostolus, non solum Adamum, sed et Evam debuisset commemorare, quae utique ad generationem concurrit. His rationibus convictus etiam eruditissimus *Erasmus* locum citatum de peccato imitationis intelligendum esse censuit.

Resp. Citata Pauli verba non possunt de peccato imitationis intelligi. Nam ait S. *Augustinus* (2): « Si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum non propagatione sed imitatione intraverit, eius principem non Adam, sed diabolum diceret, de quo scriptum est: *ab initio diabolus peccat*. » Imo si de primo in hac terra commisso peccato, quod caeteri homines imitati fuerint, sermo esset, Apostolus non Adamum, sed Evam nominare debuisset, quae prius peccavit, et quam ipse Adam peccando imitatus est. — Praeterea ex contextu et scopo Pauli elucet, non de solo peccato imitationis sermonem esse; Apostolus enim ostendere vult, omnes homines peccato obnoxios esse, et solummodo per Christum Redemptorem iustificari et salvari posse. Ideo perpetuam antithesin instituit inter Adam et Christum, inter inobedientiam Adae et obedientiam Christi; ac proinde affirmat, nos constitui peccatores per Adam, iustos per Christum. Itaque

(1) Serm. 294 (al. 14) de verbis Apostoli c. 3.

(2) L. 1 de peccat. merit. c. 9.

sicut Christus nos iustos reddit, non suo duntaxat exemplo, sed interiore gratia nobis inhaerente, ita dicendum est, nos peccatores constitutos esse in Adamo, non imitatione tantum, sed generatione, qua eius peccatum vere contrahimus, ut vere facti simus peccatores per inobedientiam Adami, quemadmodum efficimur iusti per obedientiam Christi v. 19. — Denique Paulus dicit: *sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Apertissime ergo docet, omnes homines peccasse et propter peccatum morti obnoxios esse. Atqui inter omnes homines sunt etiam infantes, qui etiam obnoxii sunt morti et saepe moriuntur, quin peccando Adamum imitari potuerint; in his ergo aliud peccatum, nimirum originale admitti debet, ut vera sit sententia Pauli, omnes homines propter peccatum mori, et mortem stipendium peccati esse. Tantum ergo abest, versum 14um adversariis favere, ut potius horum sententiam invicte refellat. Paulus enim v. 14 dicit: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Ultro fatemur, his verbis designari peccatum imitationis. Sed Paulus hic testatur, multos in similitudinem praevaricationis Adae non peccasse; negat ergo, peccatum imitationis omnibus commune esse; ast v. 12 dicit: *omnes peccaverunt*, adeoque loquitur de peccato omnibus communi, sub quo peccatum imitationis nullo modo intelligere potuit. Imo Paulus ex hoc ipso, quia mors est poena peccati, et quia etiam illi moriuntur, qui ut Adam actuale peccatum non commiserunt, manifeste probat existere peccatum originale. — Locus *Osee* inepte citatur; nemo enim negat, dari peccata actualia ad imitationem Adae commissa: de his loquitur Propheta quin ideo neget peccatum originale. Et si hoc peccatum iuxta effatum Pauli ex ipsa origine contrahitur, ad generationem exprimendam nullatenus necesse erat, etiam foeminam commemorare; more enim apud Scriptores sacros usitatissimo soli viri in genealogiis nominantur; ita et Apostolus (1), de veteribus Patriarchis loquens eos dicit *ab uno* Abrahamo ortos esse. *Erasmus* citata verba Pauli de peccato imitationis exponens gragraviter ballucinatus est; non licet enim S. Scripturae loca, quae Ecclesia ipsa in Conciliis oecumenicis exposuit, aliter interpretari: caeterum Erasmus ipsum dogma de propagatione peccati originalis neutiquam negavit.

Obi. II. Apostolus Rom. V, 12 nullatenus dicit, nos in Adamo peccasse; ubi enim in Vulgata habetur: *in quo omnes peccaverunt*, in graeco occurrit ἐφ ᾧ etc., sed, ut cum *Erasmo* advertit *Io. Clericus*, praepositio ἐπὶ nunquam sumitur pro ἐν - in; atque ideo sensus Apostoli est, mortem in omnes transiisse, *quia*, seu *eoquod omnes peccaverunt*, quod de peccatis actualibus, non de originali dictum est.

Resp. Argumentatio nostra non enervatur, si cum adversariis legitur, mortem in omnes homines pertransiisse, *quia, seu eoquod omnes peccaverunt:* moriuntur enim etiam infantes, qui a peccatis actualibus sunt immunes; sed cum iuxta generalem Apostoli sententiam moriantur propter peccatum, labes utique originalis admitti in ipsis debet. — Errant autem adversarii, dum contendunt, praepositionem ἐπὶ nunquam pro ἐν

(1) Hebr. 11, 12.

- in usurpari. Contrarium patet ex pervulgato *Hesiodi* adagio · Μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, i. e. modus in omnibus rebus optimus est. In eodem sensu eadem propositio in Ss. Litteris occurrit, ut Matth. XVIII, 5, Rom. IV, 18, Phil. I, 3, Hebr. IX, 17 etc. Idcirco linguae graecae peritissimi, ut scriptor homiliae de Adamo et Eva, quae tribuitur *Chrysostomo*, *Theodoretus* (1), *Oecumenius*, *Theophylactus*, et alii asserunt, Paulum dixisse, nos omnes in Adamo peccasse. In eodem sensu, quem Vulgata praesefert, verba Pauli intellexerunt *S. Augustinus*, *S. Prosper*, Concilium *Africanum* et *Arausicanum II*. Ergo a tali interpretatione recedere non licet (2).

Obi. III. Apostolus Rom. V, 19 ait: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*: ergo homines sola imitatione constituti sunt peccatores; per peccatum Adami; nam si id propagatione factum esset, non tantum multi, sed omnes dicerentur constituti peccatores; hoc autem non dixit Paulus, quia sciebat, infantes non posse imitari peccatum Adae. Id confirmatur ex ipsa comparatione, quam Paulus instituit inter noxam Adami et redemptionem Christi. Sicut enim non omnes iustificantur in Christo, sed multi; sic etiam non omnes peccatores constituuntur per Adamum, sed multi, quia revera multi eius peccatum imitantur.

Resp. Hanc obiectionem diluit ipse Apostolus, dum v. 12 dicit: *Omnes peccaverunt*, et v. 18: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*. Cur autem v. 19 dixit: *multos*, et non *omnes?* Respondet *S. Augustinus* (3): « Dixit *omnes* et *multos*, ut ostenderet, omnes esse multos; non enim semper omnes sunt multi, seu magno numero; sic omnes Evangelistae non sunt multi. » Vox enim *omnes* significat integram congregationem, quapropter *omnes* possunt esse vel pauci, vel multi; e. g. de Angelis dici potest: omnes Angeli sunt in coelo, vel multi Angeli sunt, in coelo. Multi opponuntur paucis, sed omnes et multi sibi non opponuntur. — Comparatio ab Apostolo instituta non adversariorum, sed nostram sententiam confirmat. Certum enim est, Christum pro omnibus mortuum esse, atque ideo omnes in Adamo mortuos fuisse (n. 4). Quod si non omnes mortis eius beneficium recipiunt, id non provenit ex defectu meritorum Christi, sed ex defectu conditionum, quae necessariae sunt, ut merita Christi homini adplicentur. Doctrina ergo Apostoli eo tendit, ut ostendat, Adamum per peccatum omnes homines damnationi subiecisse, quamvis non omnes damnentur, et redemptionem Christi omnibus salutem parasse, quamvis illam non omnes actu consequantur. Quod si verba Apostoli v. 19 de illis solis intelligantur, qui actu per Christum iusti constituuntur, nihilominus certum manet, per multos omnes esse intelligendos — omnes nimirum, qui ab Adamo generantur, et omnes, qui per Christum regenerantur. Nam, ut ait Cl. *Perrone* (4), « Antithesis hic instituitur inter duo capita, carnale, et spirituale, ita ut quemadmodum omnes, qui secundum carnem ex Adamo generantur, peccatores nascuntur, sic omnes qui secundum spiritum regenerantur in Christo, iusti efficiuntur, non imitatione, ut patet, sed regeneratione. »

(1) In Ps. 1.

(2) Cf. Muratorium de ingen. moder. lib. 3, c. 1. Berti l. 13, c. 1. Pr. 2. Perrone p. 3, c. 4, n. 417 et seq.

(3) L. 6, c. Iulian. c. 12.

(4) N. 423.

Obi. IV. Rom. V, 15 dicitur: *Non sicut delictum, ita et donum: Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit:* ergo nullo modo admitti potest, omnes homines in Adamo peccasse; hoc enim posito, non potuisset gratia Dei in plures abundare.

Resp. Hanc difficultatem solvit *Origenes* (1) dicens: « Sic plures Christus reducit ad vitam, quam Adam ad mortem, quia etiam ipsum Adam, qui caeteris extitit causa mortis, Christus revocavit ad vitam. » Adamo addi possent Eva, quae prius peccavit, et B. V. Maria, quae sine labe originali concepta fuit. — Sed solidius obiectio ex ipso textu graeco refutatur. In hoc enim non legitur *in plures*, sed *εἰς τοὺς πολλούς*, id est *in multos*, et idem habet versio syriaca, et aethiopica. Recte igitur *S. Augustinus* (2) scribit: « *Multo magis abundavit*, dixit Apostolus, non in magis multos, idest non in plures. » Comparatio ergo instituitur in loco citato, non inter numerum et numerum, sed inter damnum et donum. Magis autem abundat gratia Redemptoris, ut ibidem *S. Augustinus* docet, quia haec non solum peccatum originale, sed et peccata actualia tollit, virtutes infundit, et hominem meritorum capacem reddit; quapropter in versione Arabica sic locus redditur: *Abundavit vehementer per gratiam, quae unius hominis est Iesu Christi, uberrimam in quamplurimos.*

Obi. V. Apostolus Rom. IV, 15 aperte dicit: *Ubi non est lex, nec praevaricatio;* sed infantes non sunt capaces legis, ergo nec praevaricationis. Hoc idem confirmat ibid. VII, 8, dicens: *Sine lege peccatum mortuum erat*, i. e., deficiente lege, deerat etiam peccatum. Hisce Pauli sententiis contradicit, qui infantes peccati reos agit. Neque dicere licet, ipsos ob peccatum ex generatione contractum, morti et damnationi obnoxios esse, quia homines solum ob peccata actualia et personalia dicuntur iudicari et condemnari: sic II Cor. V, 10 scriptum est: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Resp. Paulus Rom. IV, 15 loquitur de peccatis actualibus, quae sunt liberae transgressiones legis divinae atque ideo solum ab adultis committi possunt. Ideo dicit: *Ubi non est lex, nec praevaricatio*, seu peccatum actuale; propterea autem non negat peccatum originale, quod c. V et alibi omnibus, qui moriuntur, ergo etiam infantibus commune esse asserit. Imo quia Apostolus clare dicit, omnes in Adamo peccasse, recte *S. Augustinus* (3) observat, in parvulis esse praevaricationem legis, quae in paradiso data est; eadem enim lege praevaricata nascitur homo ex Adam cum lege peccati et mortis: infantes equidem illam legem non violarunt voluntate physice propria, sed voluntate primi parentis, quae erat moraliter ipsorum propria, atque ideo facta est ipsorum propria et praevaricatio, per quam peccatores constituti sunt. — Quoad locum Rom. VII, 8 notandum est, Paulum hincinde per *peccatum* intelligere concupiscentiam, quae ex peccato est, et in peccatum inclinat: in hoc sensu accipit peccatum in citato loco, dicens: *Absque lege peccatum mortuum erat;* loquitur enim de concupiscentia, quae per legem irritatur

(1) In h. l.
(2) L. 2 op. imperf. c. Iul c. 58.

(3) Epist. 157 ad Hilar. n. 15.

iuxta illud: « Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata: » id patet ex contextu, quia immediate antea dixerat: *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam;* id est, in omne malum me induxit. Quod tertium locum II Cor. V, 10 attinet, Apostolus loquitur de solis adultis, qui soli capaces sunt boni, vel mali actualis, ut constat ex verbis immediate praecedentibus: *Ideo contendimus sive absentes, sive praesentes placere illi. Omnes enim nos manifestari* etc. Inepte ergo hic locus contra nos citatur: non enim negamus, omnem adultum de actionibus suis coram tribunali divino rationem reddere debere: et cum Apostolus hanc veritatem proponit, non ideo negat, quod alibi asserit, etiam propter peccatum originale homines morti et condemnationi subiici; nam verba: *Ut referat unusquisque propria*, etc. non sunt exclusiva; nec enim dicitur: ut referat *tantum* propria corporis, etc.

Obi. VI. 1 Cor. VII, 14 scribit Apostolus: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioqnin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* Ergo saltem filii fidelium peccatum originale non contrahunt; secus enim ab Apostolo *sancti* dici non possent.

Resp. In S. Scriptura hae voces: *Sanctificatus, Sanctus*, etc. non semper in sensu proprio sumuntur pro vera et interna sanctitate, qua fit, ut quis immunis a peccato Deo per charitatem uniatur, sed saepe adhibentur in sensu improprio ad significandas res, quae ad usum pium consecrantur; aut personas, quae ad sanctitatem vocantur, seu destinantur. Sic dicitur *terra sancta* (1), *locus sanctus* (2), *vestes sanctae* (3), *dies sanctus* (4), *populus sanctus* (5). In eodem sensu etiam Paulus totam massam populi israëlitici sanctam appellavit, dicens: *Quod si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami* (6), quibus verbis nihil aliud innuit nisi quod israëlitae a sanctis Patriarchis descendentes speciali modo vocentur ad fidem christianam et ad sanctitatem. Propterea idem Apostolus frequenter Christianos *sanctos* appellat, non quasi omnes interna sanctitate praediti sint, sed quia omnes ad sanctitatem obligantur et destinantur. His praemissis, facile est allatam obiectionem diluere. — Apostolus enim in loco citato non loquitur de vera, intrinseca et supernaturali sanctitate, sed solum de improprie dicta, extrinseca, seu de vocatione, et destinatione ad sanctitatem. Ait nempe virum infidelem per mulierem fidelem sanctificari morali quadam denominatione, et quasi aspergine extrinsecae sanctitatis, partim quia maritus est fidelis coniugis, et una caro cum illa, partim quia non impediendo illam in sua fide et religione, sed benevole cum ipsa vivendo quasi viam sternit sibi ad veram sanctitatem, ut scilicet per preces, merita, monita et exempla fidelis coniugis paullatim etiam ipse convertatur et sanctus fiat. — Atque idcirco filios ex hoc matrimonio susceptos *sanctos* vocat, i. e. legitimos (in oppositione ad immundos, seu illegitimos), et tales, qui coniugis fidelis industria facile possunt baptizari, in fide instrui atque ita vere sanctificari. Paulus enim hac ratione persuadere conatur fidelibus, ut coniuges infideles non deserant, ne isti filios secum abreptos immundos reddant, idest, in infide-

(1) Ex. 3, 5. (2) Lev. 7, 6. (3) Ex. 31, 10. (4) Num. 28, 25. (5) Deut. 7, 6. (6) Rom. 11, 16.

litate educandos: si ergo e contrario infantes sancti appellantur, quia per coniugem fidelem baptizari et sanctificari possunt, nullo modo in illis peccatum originale negatur, sed potius affirmatur.

III. *Argumentum ex Ss. Patribus.*

§ 222. Propagationem peccati originalis in omnes homines agnoverunt, et docuerunt Patres *graeci* et *latini*.

1. Inter Patres graecos *S. Iustinus M.* Dial. cum Tryph. n. 88 dicit, Christum voluisse baptizari et crucifigi « non quod ipse his rebus indigeret, sed pro humano genere, quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem inciderat, - ut interim propriam pro se maligne agentis cuiusque culpam taceam: » et certe peccatum istud, in quod genus humanum per Adamum a serpente seductum deiectum est, quodque a propriis uniuscuiusque peccatis distinguitur nil aliud est, aut esse potest, quam peccatum originale. In eod. Dial. c. Tr. inter primum, et secundum Adam hanc constituit antithesin, « ut sicut unius inobedientia causa est damnationis omnibus, qui corporaliter ab eo descendunt, ita Christi obedientia conferat vitam iis, qui per ipsum spiritualiter regenerantur » (1). *Tatianus* Or. contra Graecos inquit: « Non facti sumus, ut moreremur; sed nostra culpa morimur. Perdidit nos libera voluntas; servi facti sumus, qui liberi eramus; per peccatum venditi sumus: » quae propositio cum generalis sit, ac sese extendat etiam ad parvulos, qui nonnisi per peccatum originale propria culpa mori dici possunt, patet, non de peccato personali, sed de originali loqui Tatianum. Idem (2) ait: « nos propter priscorum hominum inobedientiam Spiritum Dei, perfectam iustitiam sanctitatemque amisisse » (3). *S. Irenaeus* l. 3 adv. haer. (4) ait, Christum nobis salutem praestitisse, « ut quod perdideramus in Adam, id est secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus..... quia sine Christo impossibile erat, ut salutem perciperet, qui sub Adae peccato ceciderat... Sicuti per inobedientiam unius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi et amiserunt vitam, ita oportuit et per obedientiam unius hominis, qui primus de virgine natus est, iustificari multos, et percipere salutem.» Et lib. 4 (5) docet, « non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur, et omnia trahit ad se, et vivificat mortuos ». Idem lib. 5, c. 15, de Iesu Christo loquens, inquit: « Iusta caro reconciliavit eam carnem, quae in peccato detinebatur. » Et cap. 16: « Deum in primo Adam offendimus, non facientes eius praeceptum: in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. » Et cap. 17: « Delevit chirographum, debita nostra, affigens illud cruci, ut quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus debiti remissionem. » — *Clemens Alex.* (6) docet, omnes homines peccato originali inquinatos nasci « et natura alienos a Deo » (7). *Origenes* (8), cum dixisset, non sine causa Iob diem suae nativitatis maledixisse, addit: « Quod si placet audire, quid etiam alii Sancti de ista nativitate senserint, audi David dicen-

(1) Ap. Berti l. 13, c. 2, P. 1.
(2) Ibidem. (3) Ap. Berti l. c. (4) C. 20.
(5) C. 2 (al. 5), n. 7. (6) L. 4 Strom.

(7) Ap. Tricalet. T. I, c. 4, art. 3.
(8) Hom. 8 in Lev. n. 3.

tem: *in iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum*, *et in peccatis concepit me mater mea*, ostendens quod quaecunque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur, et propterea dictum esse illud, quia *nemo mundus a sorde*, *nec si unius diei sit vita eius*. Addi etiam illud potest, ut requiratur, quid causae sit, cum baptisma Ecclesiae pro remissione peccatorum detur, secundum Ecclesiae observantiam etiam parvulis baptismum dari, cum utique si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur. » — Idem in Ep. ad Rom. (1) ita loquitur: « Magis simpliciter accipiendum videtur, quod similitudo praevaricationis Adae absque aliqua discussione sit recipienda, ut hoc sermone omnes, qui ex Adam praevaricatore nati sunt, indicari videantur, et habere in semetipsis similitudinem praevaricationis eius non solum ex semine, sed ex institutione susceptam. » Peccatum et mortem ex Adamo contrahi asserit etiam in Ier. Hom. 8, n. 1, in Cantic. 8, 6 (2). *Eusebius Caes.* (3) peccatum originale cognoscit et confitetur, dicens: « In iniquitatibus concepti sumus, et quidem in iniquitatibus nostris, cum Propheta non dicat: in iniquitatibus matris meae conceptus sum, sed ego in iniquitate mea natus sum, mortali indutus carne. » *S. Athanasius* (4) scribit: « Omnes, qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi. » Et Orat. 2 c. Arianos (5) ait: « Perierat prima per Adamum via, nec amplius in Paradisum tendebamus, sed ad mortem deflexeramus: idcirco, Dei Verbum, carnem induit, ut quam primus homo, violata lege, morte affecerat, eidem sui corporis sanguine vitam redderet » (6). *S. Basilius* Hom. 1 de ieiun. inquit: « Quoniam non ieiunavimus, exulamus a Paradiso... Si a ligno ieiunasset Eva, nequaquam hoc nunc ieiunio opus haberemus..... Fuimus per peccatum laesi, sanemur per poenitentiam. » Hom. De renunt. saec. n. 7: « Ingluvies morti tradidit Adamum, atque per ventris voluptatem mundo exitium intulit. » Et Hom. in Ps. XXXII, n. 4: « Propter condemnationem in nos ob peccatum (Adae) prolatam terra dicimur, nosque illud a Deo audivimus: *Terra es, et in terram ibis.* » Hom. de fame et sicc., n. 7: « Adam improbo esu peccatum transmisit. » *S. Ephraem* Syrus (7) sic Deum alloquitur: « Tu naturam mihi immaculatam dedisti: verum pater meus Adam multis hanc sordibus contaminatam debilitatamque reddidit. » *S. Gregorius Naz.* (8), loquens de seipso in persona totius generis humani, exclamat: « Totus lapsus sum, atque ex primigeni hominis inobedientiam et diaboli fraude condemnatus sum. » Idem Or. 5, n. 5 (9) inquit: « Omnes ex eadem terra et massa coagmentati sumus, et eiusdem ligni iniquitatem gustavimus. » Item Or. 9, hominum vitia et miserias describens, addit: « Haec nobis lignum illud invexit, et amarus esus, et invidus serpens, et violata lex, ut in vultus sudore vita ducenda sit. Hinc ego nudus et indecorus... Hinc indigentia nata, ex indigentia cupiditas plus habendi, ex cupiditate bella. » Et Or. 25 ad Arian. ita disserit: « Omnes qui Adamo participavimus, atque a

(1) Comment. 55, n. 1.
(2) Cf. D. Huetius, Hermnier, Boucat, Klee.
(3) In Ps. 50. (4) In Ps. 50, n. 7.
(5) N. 65.
(6) Cf. eiusdem Orat. 1, c. Arian. n. 51, 61, 65 et 69. (7) In Hom. de praetiosa margar.
(8) Or. 22, n. 13 (al. 3 de pace).
(9) Al. 2 del. Bas.

serpente in fraudem inducti sumus per peccatum mortui, per coelestem Adamum saluti restituti, atque a ligno vitae, unde excideramus, per ignominiae lignum reducti sumus»(1). *S. Gregorius Nyss.* in Ps. 6 ait: « Sordes hominis peccatum est, quod cum humana editur natura, quoniam *in peccatis concepit me mater mea.* » Et Hom. de bapt. Christi ita loquitur: « Baptismus est medicina, qua absque ustione et sectione a diversis liberamur vulneribus, quae passi sumus a morsu serpentis. » *S. Cyrillus Hier.* (2) inquit: « Venit Christus, ut maximum humani generis vulnus mederetur . . . similitudinem nostram assumpsit . . . ut peccatrix humana natura Dei particeps fieret.» *S. Chrysostomus* Hom. 10 in Ep. ad Rom. haec habet: « Non ipsum peccatum, quod ex legis transgressione oritur (sc. peccatum hominum actuale), sed illud, quod ab Adae inobedientia ortum est, ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdidit; » et ibid: « Cum tibi Iudaeus dixerit, quo pacto, uno recte agente Christo, universus orbis salvus factus est? possis illi respondere, quo pacto, uno non obediente Adam, universus orbis condemnatus est; » et ibid: « Mortem et condemnationem peccatum quidem introducere potuit; - gratia vero non illud unicum solum (i. e. peccatum Adae et originale) abstulit, sed et ea, quae post illud ingressa sunt (i. e. peccata hominum actualia). Idem Hom. 40 in I Cor. scribit: « In regenerationis lavacro mentem gratia tangit, hinc radicale peccatum evellit. » It. Ep. ad Olympiam inquit: « Quando Adam peccavit illud grande peccatum et omne genus hominum in commune damnavit, de moerore poenas luebat. » Et Hom. ad Neophytos dicit: « Venit Christus, invenit nostrum chirographum paternum quod scripsit Adam: iste initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis.» Ex his et aliis locis *S. Augustinus* (3) invicte ostendit, S. Chrysostomum, cuius auctoritate Pelagiani abutebantur, propagationem peccati originalis et agnovisse et docuisse. Et quia cum ipso reliqui quoque Patres graeci consentiunt; longissime a veritate aberrant Pelagiani et Sociniani dum dicunt, doctrinam de peccato originali ab occidentali Ecclesia, agente praesertim *Augustino*, invectam, orientali vero ignotam fuisse.

2. Ex Patribus latinis *Tertullianus* (4) inquit: « Omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur; tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem quia immunda recipiens ignominiam ex carnis societate. » Idem lib. 1 adv. Marcion. scribit: « Homo damnatur in mortem ob unius arbusculae delibationem, et exinde prosiliunt delicta cum poenis, et pereunt iam omnes qui paradisi nullum cespitem viderunt. » Lib. de testim. animae cap. 3 dicit: « Per quem (Satanam) homo a primordio circumventus ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit. » Et lib. 1 de cultu Foemin, c. 1. asserit, « omnes mulieres de Eva trahere ignominiam primi delicti et invidiam perditionis humanae. Vivit sententia Dei super sexum istum in hoc saeculo: vivat et reatus necesse est. » — *S. Cyprianus* (5) scribit: « Prohiberi non debet infans (a ba-

(1) Cf. Or. 38. (2) Catech. 12.
(3) Lib. 1 c. Iulian. c. 6.
(4) Lib. de anima cap. 40.
(5) Ep. 59 ad Fidum.

ptismate), qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit, qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi non remittuntur propria, sed aliena peccata. » Idem (1) inquit: « Cum Dominus adveniens sanasset illa quae Adam portaverat vulnera et venena serpentis antiqui curasset, legem dedit sano, et praecepit, ne ultra iam peccaret. » *S. Hilarius* in Ps. 59, n. 4 ait: « Ex uno in omnes sententia mortis, et vitae labor exiit. » Comment. in Matth. c. 10 ita disserit: « Ex peccato et infidelitate primi parentis, sequentibus generationibus coepit esse corporis nostri pater peccatum, mater animae infidelitas . . . Cum ergo innovamur baptismi lavacro, per verbi virtutem ab originis nostrae peccatis atque auctoribus separamur . . . . . et veterem cum peccatis atque infidelitate sua hominem exuentes, homo interior et exterior, i. e. corpus et anima in spiritus novitate laetatur. » Et in Matth. c. 18, n. 6 haec habet: « In unius Adae errore omne hominum genus aberravit. » *S. Optatus Milev.* (2) dicit: « Neminem fugit, quod omnis homo, qui nascitur, quamvis de parentibus christianis nascatur, sine immundo spiritu esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi et separari. - Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur. » *S. Pacianus* (3) ait: « Peccatum Adae in omne genus transierat . . . ergo et iustitia Christi necesse est, ut in genus transeat: » et (4): « Dicit mihi aliquis; sed peccatum Adae merito transivit in posteros, quia ex ipso geniti erant, et numquid nos a Christo geniti sumus, ut propter ipsum salvi esse possimus? carnalia cogitare nolite: iam videbitis, qualiter Christo parente generemur. » *S. Ambrosius* I Apol. David. (5) dicit: « Antequam nascamur, maculamur contagio, et ante usuram lucis originis ipsius excipimus iniuriam, in iniquitate concipimur. » Lib. de Iacob et vit. beat. (6): « Omnes in servitute generati sumus, eoquod Adae et Evae culpa nos mancipavit servituti. » Lib. 1 de Poenit. (7): « Nos omnes sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. » In Luc. (8): « Adae culpa mors omnium est; » ibid. (9): « Fuit Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et omnes in illo perierunt. » *S. Paulinus Nol.* (10) dicit: « Infelix ego, qui venenatum inimicae arboris gustum nec crucis ligno digessi; durat enim mihi illud ab Adam virus paternum quo universitatem generis sui pater praevaricatus infecit, ut qui naturali bono oculos mentis apertos, innocentiae et iniquitati clausos haberem, lethalem prudentiam boni malique delectu de infausto nemoris interdicti cibo caecatus pariter et male illuminatus baurirem. » *S. Hieronymus* in c. 2 Mich. inquit: « Unusquisque nostrum, cum Adam de paradiso cecidit, et in huius mundi captivitate versatur: » atque in cap. 4 Ionae ait: « Maior aetas incipit et usque ad minorem pervenit; nullus enim absque peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita eius et innumerabiles anni vitae illius. Si enim stellae mundae non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis et putredo, et ii, qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii? » Idem contra Pe-

(1) Lib. de op. et eleem. init.
(2) L. 4 c. Parmen.
(3) De bapt. n 5.
(4) Ibid. n. 6.
(5) C. ..., n. 56.
(6) C. 3, n. 12.
(7) C. 3, n. 13.
(8) Lib. 4, n. 67.
(9) L. 7, n. 234.
(10) Ep. 30 ad Sever. n. 2 etc.

lagianos dialogum scripsit, in cuius libro tertio dogma de peccato originali et de necessitate baptismi pro infantibus propugnat, eaque, quae S. Augustinus hac de re scripsit, approbat atque collaudat. Ex his patet, quam falso et absurde nonnulli dicant, *S. Augustinum* dogma de peccato originali fabricasse, aut ex Manichaeorum haeresi, cui prius addictus erat, secum asportasse. Constat enim, S. Doctorem post conversionem suam acerrime impugnasse principia Manichaeorum, qui non a peccato Adae, sed a principio malo hominis corruptionem repetierunt. Huic errori *S. Augustinus* doctrinam catholicam opponit, iuxta quam, ut ait (1), credendum est « neminem nasci ex Adam, nisi vinculo delicti et damnationis obstrictum. » Hoc dogma S. Doctor probat ex S. Scriptura et Traditione, cuius multos testes citat, ac ita concludit (2): « Quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. » Et rectissime (3) contestatur· « Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus; sed tu qui hoc negas, sine dubio es novus haereticus. » Nec opus est Patres S. Augustino posteriores afferre, quos peccatum originale credidisse et docuisse ipsi adversarii fatentur.

Nota. Argumento ex Traditione petito adversarii opponunt varia Patrum effata, in quibus propagatio peccati originalis negari videtur. Ad quas obiectiones facilius solidiusque solvendas quaedam in genere praenotanda sunt. 1° In prioribus Ecclesiae saeculis disseminari coeperat error Platonicorum et Origenistarum dicentium animas ob peccata in anteriori vita patrata in corpora detractas fuisse. Ss. Patres, hunc errorem impugnantes, hincinde ipsum peccatum originale negare videntur, cum tamen solum peccata inficientur in priori vita commissa. 2° Alius fuit error Gnosticorum et Manichaeorum substantiam in se malam admittentium, et corruptionem hominis a malo principio repetentium: huic tantum errori se opponunt Patres, dum substantiam hominis malam esse negant, et eiusdem corruptionem in sensu adversariorum reiiciunt; ideo autem doctrinae de propagatione peccati originalis nequaquam adversantur. 3° Ss. Patres caute semper distinxerunt peccatum originale a peccatis actualibus, et haec solum negant, dum infantes innocentes, i. e. immunes a peccatis dicunt. 4° Observandum quoque est cum *S. Augustino*, Patres, antequam dogma catholicum publice a Pelagianis impugnaretur, liberius locutos, et non tam accuratis terminis usos fuisse, quibus postea dogma catholicum propositum est, sciebant illi, quod eorundem dicta ab omnibus in sensu catholico accipiantur. 5° Iuxta regulas hermeneuticas loca ambigua et obscuriora declaranda sunt per certiora et clariora: locis ergo ambiguis, quae nobis obiiciuntur, opponimus iam citata eiusdem Patris testimonia certa et clara, in quibus doctrina catholica enuntiatur. Denique 6° notandum est, non singulos Patres infallibiles esse, sed omnes collective sumptos Traditionis divinae fontem constituere. Quodsi contingat, veterem quemdam scriptorem vere dissentire, nullatenus ideo argumentum Traditionis enervatur. — His praemissis, non tam difficile est, etiam singulas obiectiones ex Patribus petitas diluere.

Obi. I. *Clemens Alex.* (4) aperte

(1) Ep. 190 ad Optatum.
(2) Lib. 7 c. Iulian. c. 7.
(3) L. 2 de nupt. et concup. c. 12
(4) L. 3 Strom. n. 17.

reiicit propagationem peccati originalis, et eandem asserentibus acclamat: « Dicant nobis, ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Adae cecidit execrationem? » Quibus verbis ostendit, se id ut impossibile considerare. Deinde verba Davidis: *In iniquitatibus conceptus sum* ad solam Evam spectare dicit his verbis: « Et quando dixit David: in peccatis conceptus sum, dicit prophetice quidem matrem suam, sed Eva fuit mater viventium: et si in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum: » ergo omnino negat, Davidem in peccato conceptum esse.

Resp. Nonnulli cum *Gerardo Vossio* autumarunt, Clementem de peccato originali non recte sensisse: sed id non potest admitti de tali viro, qui alibi dogma catholicum professus est, et cuius auctoritas magna fuit in Ecclesia Alexandrina, quae doctrinam de propagatione peccati originalis constanter asseruit. — Alii dicunt cum *Bellarmino*, verba citata non esse Clementis, sed haereticorum doctrinam catholicam impugnantium: sed ex contextu patet, ipsum Clementem haec verba proferre. Ast illa non dirigit ad Catholicos, qui peccatum originale profitebantur, sed ad haereticos, qui dicebant, animas ob prioris vitae peccata in corpora detrusas esse. Contra istos negat tantum, infantes fuisse peccato actuali inquinatos, antequam eorum animae corporibus unirentur. Ideo ipsos perstringit, dicens: « Dicant nobis ubi fornicatus est infans? » seu quale actuale peccatum commiserit? Incidit quidem in execrationem Adae: ast num ob anteacta flagitia? minime, quia vita illa prior, quam asseritis, commentitia est. Ait quidem David se a matre in peccatis conceptum esse; sed haec ad Evam referenda sunt, a cuius utero labes primigenia diffunditur, non ad damnatas nuptias proximae matris suae neque ad superioris vitae scelestissimam consuetudinem: conceptus est quidem in peccato, sed ante conceptionem ipse in peccato, aut peccatum non fuit.

Obi. II. *Tertullianus* (1) infantes baptizandos esse negat, quia innocentes, immunes a peccato sunt; ait enim: « Veniant, dum adolescunt, dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant Christiani, dum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum? » — Ergo aperte negat in ipsis peccatum originale. Idem (2) in Adae praevaricationem refert quidem mortem corporis, at non animarum reatum.

Resp. Tertullianus in locis iam citatis fidem suam de peccato originali manifestavit, imo et in lib. de bapt. (3) dicit: « Nemini sine baptismo competere salutem, » a qua generali sententia infantes non excipit: agnovit ergo etiam pro his necessitatem baptismi, et quidem ita, ut ib. (4) doceret, urgente mortis periculo deficientibus Clericis, etiam a Laicis et foeminis administrari baptismum posse et debere. Ast extra casum necessitatis arbitratus est, baptisma solum post praemissam instructionem conferendum esse: sed haec fuit singularis ipsius sententia, quam effraeni suo ingenio abreptus et privatae suae opinioni nimis indulgens contra Ecclesiae praxin defendit. Infantes autem innocentes nominat, quia immunes sunt a peccatis actualibus, seu quia nihil boni vel mali actualiter perpetrarunt, uti de Iacob, et Esau scribit Apostolus (5). - L. de resur. carn. c. 47, Tertullianus reticet quidem a-

(1) L. de bapt. c. 18
(2) Lib. de resur. carn. c. 47.
(3) C. 12. (4) C. 17. (5) Rom. 8, 11.

nimarum reatum, sed non negat. Ideo autem sibi solam corporis mortem commemorat, quia disputat adversus Marcionem, qui mortuos resurrecturos esse negabat.

Obi. III. *Origenes* clare asseruit, sola imitatione peccatum Adami propagari. Nam (1) dicit: « Mors quae ab Adam usque ad Moysen regnavit..... est mors peccati, quae per praevaricationem primi custodis irrepserat, et quae regnabat super omnes illos, qui ad eum simili ut ille praevaricatione declinaverunt: » ideo etiam passim docet, « non omnes homines, sed multos unius delicto peccatores fuisse effectos. »

Resp. Quamvis Origenes Apostoli textum de animae morte intelligat, non tamen negat, eum etiam de corporis morte intelligi debere, nam ibidem docet, « condemnationem, de qua loquitur Paulus, esse communem hanc mortem, quae omnibus venit et veniet, etiamsi iusti esse videantur: » haec autem communis mors, quae etiam infantibus advenit, est ipsa corporis mors, quae est poena originalis peccati. Falsum est autem, Origenem docere, sola imitatione peccatum Adae propagari. Nam Origenes ibidem paullo inferius duplicem distinguit praevaricationis similitudinem, unam quae est « ex institutione suscepta; » alteram, quae est, « ex semine: » prima iis solum competit, qui peccant actualiter; secunda competit omnibus, « qui ex Adam praevaricatore nati sunt » adeoque etiam ipsis infantibus, qui consequenter Adae praevaricatoris imitatores sunt iuxta phrasin Origenis, etsi actualiter non peccaverint. Iuxta eandem distinctionem dicit, multos et non omnes unius delicto peccatores constitutos esse, quod ipsemet (2) declarat, dicens: « Aliud est peccasse, aliud peccatorem esse... omnes enim potest fieri, ut peccaverint... quia nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita eius... peccatores autem facti non omnes (per actuale delictum) sed multi. » Ergo solum peccatum imitationis seu actuale negat esse universale.

Obi. IV. *Optatus Milev.* lib. 7. c. Parmen. (3), loquens de nostris protoparentibus, inquit: « Quamvis ab ipsis ad vos videatur haereditaria macula esse transmissa, tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum patribus vestris secundum iudicium Dei, qui locutus est per Ezechielem Prophetam dicens: anima patris mea est, et anima filii mea est; anima, quae peccat, sola punietur. Quae res iam et antiquis saeculis in ipsis natalibus mundi probata est, dum non pertinuit ad Seth filium Adae patris admissum. » Quodsi non ad Sethum, multo minus ad posteros transiit peccatum Adae.

Resp. Nonnulli negant, librum septimum esse genuinum, quia in aliquibus codicibus desideratur, et *S. Hieronymus* sex tantum Optati libros enumerat. Sed etiamsi cum multis criticis ut genuinus habeatur, nil tam ex citatis verbis contra doctrinam catholicam inferri potest. Loquitur enim auctor de solis peccatis actualibus, quod ex toto contextu apparet. Nam agit ibi de illis, qui in persecutione Ss. Libros tradiderunt, et ideo poenis ecclesiasticis subiecti fuerunt. Extiterunt autem qui dicerent presbyteros, ab Episcopis traditoribus ordinatos, horum delicta contrahere, quos refellens asserit, peccata actualia unius non fieri peccata actualia alterius, et in hoc sensu recte dicit, non pertinuisse ad Seth Adae peccatum, i. e. non fuit illi actuale. Et in prioribus

(1) L. 5 Comment. in Ep. ad Rom.

(2) Ibid. iterum inferius.

(3) C. 1.

verbis concedit haereditariam maculam, et solum negat, homines ob istam actualis peccati reos dici posse.

Obi. V. *S. Cyrillus Hier.* Catech. 2 peccatum definit « malum esse ex libero delectu et voluntariae animi inductionis germen, » cuiusmodi certe non est illud, quod peccatum originale dicitur. Et catech. 4, n. 19 ait: « Disce hoc quoque, animam, priusquam in hunc mundum veniat, nihil peccasse; sed cum absque peccato venerimus, nunc ex animi voluntate, atque arbitrio peccamus. » Ergo S. Pater negat, nos in peccato nasci; negat ergo peccatum originale.

Resp. S. Pater in utroque loco agit de peccato actuali, non de originali. In priori loco contra Manichaeos defendit liberum arbitrium, quod ex eo ipso commonstrat, quia illo male utentes et Dei legem violantes peccamus, unde allatam peccati actualis definitionem proponit. Altero in loco illos refutat, qui cum Origene et aliis contenderant, animas in vita superiori actione propria cecidisse in peccata. Quare cum scribit, nos sine peccato in hunc mundum venisse, id solum excludit, quod propria voluntate committitur. Caeterum catech. 13, n. 17, universum humanum genus peccatum obstrictum dicit, et vocat « humanitatem peccatricem. » aliaque plura habet, quae omnem de eius mente suspicionem amovent (1).

Obi. VI. *S. Gregorius Nyss.* Orat. de infantibus praematura morte abreptis exclamat: « O altitudo! puellus infans, simplex, omnis malitiae expers, sanctitatis, quae per purgationem contingit, non indigens: » ergo in infantibus non agnoscit peccatum originale.

Resp. S. Pater loquitur de infantibus baptizatis, quos ideo a peccato immunes, nec alia purgatione indigentes dicit, et bonitatem Dei admiratur, qui eos in tam felici statu in coelum rapit. Secus sentit in eadem oratione, de iis qui morte praecoce in utero materno extinguuntur. De eodem originis peccato eiusque remedio disputat in libro de vita Moysis, ubi mentem suam dilucide explicat.

Obi. VII. *S. Chrysostomus* (2) ex verbis Apostoli Rom. V, 12 infert quidem, mortem ad posteros Adae transiisse, non vero culpam; sic enim loquitur: « Illo lapso ii etiam, qui de ligno non comederant, effecti sunt ex illo omnes mortales » - non peccatores. Quod ut evincat, ita prosequitur: « Adamo peccante et mortali effecto, etiam eos, qui ex illo orti sunt, tales esse, nil absurdi continet: at ex illius inobedientia alterum peccatorem fieri, id, obsecro, quam congruentiam et consequentiam habet? » — « Quid igitur hic (3) significat illud, peccatores? — Mihi quidem videtur significare supplicio obnoxios, et ad mortem damnatos. Quod igitur Adam mortuo, omnes simul mortales effecti sint, id clare et pluribus ostendit Apostolus; » ergo S. Pater negat, in Adamo posteros peccasse, et peccatores constitutos esse.

Resp. S. Doctor hic clare asserit, Adamo peccante, omnes homines morti subiectos esse; in his ergo agnoscit reatum poenae, quamobrem ipsos « supplicio obnoxios et ad mortem damnatos » nominat: sed iuxta eumdem Doctorem non datur reatus poenae sine reatu culpae, ipsemet enim (4) docet; « poenas neminem debere, nisi ex se peccator fuerit: » tribuens ergo hominibus reatum poenae agnoscit in iisdem etiam reatum culpae. Ne ergo

(1) Cf. Toutteum edit. opp. S. Cyr. Diss. 3, c. 4, n. 37 etc.

(2) Hom. 10, in Ep. ad Rom.
(3) Rom. 5, 19 (4) In eadem Hom. n. 2.

dicatur, S. Doctorem sibi aperte contradicere, verba, quae obiiciuntur, de peccatis actualibus intelligenda sunt. Nam, ut observat *S. Augustinus* (1), *S. Chrysostomus* in citatis verbis negat solum, quod per unius actualem et personalem inobedientiam, possint alii actu et personaliter inobedientes, seu peccatores constitui, non autem negat, sed expresse asserit, alios posse contrahere, et vere contrahere, et vere contraxisse meritum supplicii et mortis, adeoque posse fieri et vere factos esse habitualiter, seu originaliter peccatores, quia sine culpa dari non potest poena: unde *S. Augustinus* concludit, in citatis verbis peccati originalis transfusionem non negari, sed potius aperte affirmari. — Alii citata verba explicari tentant ex *S. Chrysostomi* scopo, qui, ut ait *S. Augustinus* (2), erat explicare cum Apostolo « quomodo unius Christi virtute salvatus est: » respondet autem (3): « Quomodo uno inobediente Adamo orbis condemnatus est, » cui comparationi adinstar Pauli constanter insistit. Cum autem Iudaei obiicerent, absurdum esse dicere, per unum Christum omnes salvari, S. Doctor respondet, etiam id non videri consequentiam habere, quod per unum caeteri peccatores constituantur: si autem hoc admittunt et illud admittere tenentur. « Hoc enim (ut unus omnes salvet), inquit, multo magis rationi consonum est. Alterum enim pro altero poenas dare, non aequum videtur, alterum vero propter alterum servari, id certe magis decorum et consentaneum. » S. Doctor ergo universalitatem peccati tanquam certam supponit, ut hac admissa Iudaeos compellat, etiam universalitatem redemptionis admittere.

(1) L. 1 op. imp. c. Iulian c. 52.
(2) L. 1 c. Iulian. c. 6. (3) N. 1.

Obi. VIII. *Idem* (4) inquit: « Non solum nihil nocumenti accepimus a morte huiusmodi, si sapuerimus; sed mortales effecti lucrum etiam fecimus: » quae sententia omnino falsa et absurda est, si culpam ex Adamo contraximus et filii irae facti sumus.

Resp. Haec S. Doctoris sententia falsa et absurda non est, quia respectus in illa habetur ad redemptionem Christi, per quam gratia magis abundavit (5). In eodem sensu etiam Ecclesia canit: « O felix culpa, quae talem, ac tantum meruit Redemptorem! » Sensus ergo S. Patris est, tale, ac tantum nobis a Christo allatum esse illius peccati remedium, ut « si sapuerimus, » possimus inde magna lucra referre vincendo scilicet passiones, tolerando adversitates etc., quod ibidem eloquentissimus Doctor illustrat exemplo Apostolorum, Martyrum etc.

Obi. IX. *Idem Sanctus* Hom. ad Neophytos decem plane mirabiles baptismi effectus enumerat, quin ullam mentionem faciat de peccati originalis emundatione, quae tamen in hypothesi de peccato originali primus esset baptismi effectus. Imo S. Doctor infantes immunes a peccato appellat, dicens: « Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut eius membra sint. » Ergo *S. Chrysostomus* non admisit peccatum originale.

Resp. Tempore *S. Chrysostomi* nonnulli dictitarunt, baptismum solum institutum esse in remissionem peccatorum, et nullos alios effectus producere. Hunc errorem refutans S. Doctor effectus enumerat, quos praeter peccatorum remissionem baptismus producit. Hos autem recensens

(4) In eadem Homilia. (5) Rom. 5, 15.

primarium effectum, qui in delendis peccatis consistit, non negat, sed solum reticet, quia ipsi adversarii istum admittebant. Infantes S. Doctor non a peccato originali, sed a peccatis actualibus immunes dixit. Male enim Iulianus hunc locum vertit, dicens: « cum non sint inquinati peccato; » nam in graeco textu habetur: καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα, i. e. « quamvis peccata non habentes. » Ideo S. *Augustinus* (1), refellens hanc obiectionem, dicit: « Absit, ut Ioannes de baptismate parvulorum, eorumque a paterni chirographi liberatione tot ac tantis Coëpiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Ilario, Mediolanensi resistat Ambrosio... Sed tu eius verba in vestrum dogma convertis!..... Peccata dixit parvulos non habere, sed propria, unde illos merito innocentes nuncupamus..... At, inquies, cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in Ecclesia catholica non se aliter intelligi arbitrabatur: vobis nondum litigantibus securius loquebatur. » Accedit, quod nonnullae versiones (2) citatum locum ita reddant: « Infantes baptizamus, ut non sint inquinati peccato: » et talis lectio, quae etiam contextui magis consona est, dogma catholicum clare enuntiat.

Obi. X. *Idem* Hom. 17 in I Ep. ad Corinth. amissa per Adamum bona recenset, et deinceps propositam sibi obiectionem ita solvit: « Quid igitur faciam? propter illum (Adam) pereo? minime propter illum; - neque enim tu sine peccato permansisti: quod si non idem peccatum, tamen aliud commisisti. » Docet ergo, neminem perire propter peccatum Adae, sed quotquot pereunt, perire ob peccata actualia.

Resp. S. Doctor hic alloquitur Christianos baptizatos, qui immerito suae damnationis causam referebant in Adamum, cum per baptisma in ipsis iam deletum esset peccatum originale; quapropter damnari non poterant nisi ob peccata propria, seu actualia. Recte ergo verba S. Chrysostomi ita exponuntur: Non propter Adamum peris; non enim tu sine culpa permansisti, quia ipsemet quoque in Adamo peccasti. Et quamvis Adae peccatum tibi non fuerit proprium, vel actuale, sed solum originale, quodque in baptismo deletum est; tamen alia peccata actualia commisisti, propter quae damnari potes.

Obi. XI. *Idem* Hom. 39 in 1 Cor. exponens illud Apostoli: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, ita loquitur: « Anne, dic quaeso, omnes mortui sunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo Noë vir iustus saeculo suo fuit? quomodo Abraham? quomodo Iob? quomodo alii omnes? - Quid vero, dic quaeso? an omnes vivificabuntur in Christo? et ubi sunt, qui abducuntur in gehennam? Ergo de corpore si dictum accipiamus, oratio constabit, si de peccato et iustitia, minime. » Quibus verbis aperte docet, non omnes extitisse peccatores in Adam, sed solum illos, qui per peccata actualia ipsum imitati sunt, quod negat de Noë, Abraham et aliis. Addit etiam, solum corpus per Adae peccatum corruptibile factum esse, non autem animam, quam sola peccata actualia corruptibilem efficiunt. Hanc suam sententiam clarius prodit Hom. 4 in Ep. ad Ephes., dicens: « Corruptibile est corpus nostrum,

(1) L. I c. Iulian. c. 6

(2) In edit. opp. S. Augustini ut Basileensis ab Erasmo curata ann. 1530, et Parisiensis ann. 1536.

seu anima incorruptibilis. Ne itaque ipsam corrumpamus. Hoc fecit prius peccatum. Quod est autem post peccatum, potest etiam animam corrumpere. » Omnino ergo negat, per peccatum Adae posterorum animas corruptas seu peccato infectas fuisse.

Resp. Verba *S. Chrysostomi* ex Hom. 39 duplici modo catholice exponi solent. Nonnulli cum *S. Augustino* illa de morte animae intelligunt, et dicunt, S. Doctorem solum negare, in Adam omnes *irreparabiliter* mortuos esse. Ostendit enim generalem Apostoli sententiam ita esse intelligendam, quod, quamvis in Adam omnes mortui sint, non tamen omnes peccatores maneant et pereant, uti patet ab exemplis iustorum; et eodem modo, licet omnes resuscitandi sint, non omnes tamen resurgant ad vitam, quia multi propter peccata resurgent ad iudicium. Ergo a *S. Chrysostomo* nec universalitas peccati originalis, nec universalitas resurrectionis negatur. Ita *Tournely*, *Billuart*, *Berti* etc. Alii autem cum *De Rubeis*, *Perrone* etc. contendunt, S. Doctorem loqui de morte corporis, quod elucet tum ex ultimis verbis, tum ex scopo *S. Chrysostomi*, in praefata homilia Manichaeos oppugnantis, qui negabant resurrectionem mortuorum, et verba Apostoli de resuscitatione a peccatis actualibus exponebant. Hos ut refellat, dicit, non omnes peccatis actualibus inquinatos fuisse, quod probat exemplis iustorum, et non omnes per Christum liberari, quia multi damnabuntur: ex quibus infert, Apostoli sententiam generalem non de animabus, sed de corporibus vivificandis, seu resuscitandis intelligendam esse; quapropter concludit: « Nam si hoc quidem dictum est de corpore; stat quod dicitur: si autem de iustitia, et de peccato, - nequaquam. » — In Hom. 4 in Ep. ad Ephes. S. Doctor loquitur de baptizatis et ita disserit: In nobis baptizatis corpus est corruptibile, seu necessario corrumpendum ob mortis necessitatem, quam ex primo hominis peccato provenientem baptismus non tollit: anima vero corruptibilis non est, scilicet non necessario corrupta, vel corrumpenda morte peccati: potest ergo manere incorrupta, si gratia baptismalis conservetur, et potest corrumpi, si post baptismum gravia peccata committantur, quia baptismus nos impeccabiles non reddit. Nihil ergo ex his verbis contra doctrinam catholicam inferri potest.

Obi. XII. *Theodoretus* Comment. in Ep. ad Rom (1) inquit: « Ad omnes mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt. Non enim propter primi hominis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit. » Ergo negat transfusionem peccati ab Adamo commissi.

Resp. Theodoreti verba doctrinae catholicae non opponuntur, quae id tantum enuntiant, quod homines non propter peccatum Adae quatenus est huic soli proprium et personale, mortis sententiam suscipiant, sed propter suum originale, quod est unicuique proprium. Et cum dicat, mortem ad omnes pervasisse ob peccatum, infantes non excipit, qui peccata actualia non habent: ergo in illis agnoscit originale. Hanc fidem etiam profitetur in Epitome div. decret. (2) scribens: « Iustitiae decretum, cum unus peccaret, universum genus humanum morti tradidit. Divina autem misericordia, cum omnes homines essent sub maledicto et peccati laqueis essent implicati, per unius iustitiam

(1) Cap. 5. 12.

(2) Cap. 11.

dedit omnibus salutem » (1). Nonnullis tamen fides Theodoreti suspecta fuit, quia verba Pauli Rom. cap. V non tam iuxta tenorem S. Augustini et Conciliorum, quam potius secundum modum Pelagii interpretatus est (2). Sed tamen plerique eundem a Pelagianismi nota vindicant.

IV. *Argumentum ex consensu, definitionibus et praxi Ecclesiae.*

§ 223. Peccatum originale cum funestis suis effectibus in omnes homines transfusum esse, in Ecclesia catholica semper, ubique et ab omnibus creditum est.

1. Hanc fidem in Ecclesia viguisse, ex haeresis pelagianae historia constat. Quamprimum enim Pelagius et Caelestius docere sunt ausi, Adamum peccando sibi soli nocuisse, non autem posteris nisi exemplo et scandalo, atque ideo infantibus nullum peccatum inesse; Catholici ubique locorum tales assertiones exhorruerunt et damnarunt. Ipsi haeresiarchae probe intellexerunt se novam doctrinam afferre, quamobrem more illorum, qui ab antiqua et communi doctrina desciscunt, non clare et aperte sententias suas pronuntiarunt, sed subdolis phrasibus et ambiguis vocibus proposuerunt, et errores suos hincinde dissimularunt, ita ut tum a Synodo Diospolitana, tum a Zosimo R. P. tanquam catholici haberentur. Rationem, quae Pelagianos ad talem procedendi modum adegit, reddit *S. Hieronymus* adseverans, ipsos timuisse, ne, si doctrinam suam clare proferrent, a plebe lapidarentur. Etenim (3) *Critobolus*, qui Pelagianorum partes sustinet, ita loquitur: « Cupis me, ut ad invidiosum illud veniam et dicam tibi? quid enim peccaverunt (infantes)? ut statim me in populorum lapides coniicias, et quem viribus non potes, voluntate interficias. » Cui bene (4) respondit Catholicus: « Ille haereticum interficit, qui esse haereticum patitur. Caeterum nostra correptio vivificatio est, ut haeresi moriens, vivas catholicae fidei. » Certum ergo est, doctrinam de propagatione peccati originalis iam ineunte saeculo quinto, priusquam *S. Augustinus* eam scriptis suis propugnarit, in Ecclesia communem et universalem fuisse. At haec tam unanimis consensio aliunde oriri non potuit, quam ex divina Traditione ab Apostolis per universum orbem disseminata; nec enim furtim in Ecclesiam irrepere potuit eiusmodi doctrina, et absque omni contradictione diffundi, ut alibi ostensum est. Th. gen. § 197, § 227, etc.

2. Haeresis pelagiana non solum a *S. Hieronymo*, a *S. Augustino* et ab aliis celeberrimis viris strenue impugnata, sed et a Conciliis atque a Summis Pontificibus damnata fuit. Ab anno 412 usque ad annum 431 viginti quatuor Concilia habita sunt adversus haeresin Pelagianam. Praecipua fuerunt *Carthaginense* ann. 412, *Diospolitanum*, quod non quidem personas, sed tamen errores Pelagii et Caelestii condemnavit, *Milevitanum II*, et *Carthaginense* anno 416. Huius et Milevitani concilii decreta ab *Innocentio I* in Concilio *Romae* coacto confirmata sunt. Dein Synodus plenaria 214 Episcoporum Carthagine habita fuit anno 418, ubi omnibus denuo discussis, summo consensu *anathema* dictum est in eos, qui affirmarent:... *parvulos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro generationis expietur*, - et ratio additur: *Quoniam non aliter in-*

(1) Cf. l. 5 haeret. fab. c. 11.
(2) V. Gazzaniga n. 148
(3) Dial. 3 adv. Pelag. n. 17. (4) Ibidem.

telligendum est, quod ait Apostolus: Per unum hominem, etc., *nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Eodem anno *Zosimus* R. P. Pelagii et Caelestii errores condemnavit in Epistola ad Episcopos totius orbis directa, cuius verba recitat *S. Augustinus* in Epist. 157 ad Optatum. Concilium quoque oecumenicum *Ephesinum* priorum conciliorum definitiones confirmat can. 4 dicens: *Si qui Clericorum defecerint, et ausi fuerint vel privatim, vel publice quae sunt Nestorii, aut Caelestii sapere, sancitum est a S. Synodo, istos quoque depositos esse.* Cum autem nihilominus saeculo sexto nonnulli orthodoxam doctrinam corrumpere tentarent, anno 529 Concilium *Arausicanum II* sequentem canonem (1) promulgavit: *Si quis soli Adae praevaricationem suam, et non etiam eius propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem*, etc. In hoc canone olare docetur, tum peccatum primi hominis, tum funestos illius effectus ad posteros transiisse. Iisdem fere verbis Concilium *Tridentinum* contra novatores doctrinam catholicam de peccati originalis propagatione proposuit, dicens (2): *Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propagini asserit nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem, et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animae; anathema sit.* Et can. 3 inquit: *Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest, unicuique proprium..., per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum... Iesu Christi... anathema sit.*

3. Ecclesia iam in primis saeculis infantes baptizavit, quod inferius probandum erit: interim hanc consuetudinem ipse *Tertullianus*, dum illam improbat, contestatur, et eandem in Ecclesia vigere etiam Pelagiani confessi sunt. Ecclesia autem semper credidit, baptisma primario ordinari in remissionem peccatorum; quapropter in symbolo Nicaeno CPtano dicitur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Imo aetate Pelagii forma baptismi tum pro infantibus, tum pro adultis haec proferebatur: *Ego te baptizo in remissionem peccatorum in nomine Patris*, etc. Tam firma erat Ecclesiae persuasio, tum parvulos, tum adultos per baptismum a peccatis liberari. Cunctis autem semper notum et manifestum erat, infantes a peccatis actualibus penitus immunes esse: ergo Ecclesia in ipsis agnovit et credidit peccatum originale. Et cum Pelagiani dicerent, ideo tantum eandem formam in baptismo infantibus collato adhiberi, ne diversa baptismata a Christo instituta esse viderentur, huic sententiae Ecclesia se strenue opposuit, et in Concilio *Milevitano* (seu in *Africano plenario*) can 2 mentem suam

(1) Cap. 2. (2) Sess. 5, can. 2.

clare exposuit, dicens: *Placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat: aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod lavacro regenerationis expietur; unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit.* Hoc idem docet Concilium *Tridentinum* (1) dicens: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati... anathema sit.*

Nota 1. Argumentis, quibus perennis Ecclesia traditio probata est, addi possunt testimonia eorum, qui a fide catholica defecerunt. Constat enim, antiquiores haereticos Arianos, Novatianos, Apollinaristas, Donatistas, etc. quamvis in aliis fidei capitibus tum sibi invicem, tum Ecclesiae catholicae adversarentur, in dogmate tamen de peccati originalis propagatione tum inter se, tum cum Catholicis consensisse. Si *S. Augustinus*, ut perperam effutit *Wegscheider* (2) inventam a se de peccato originali doctrinam per universam Ecclesiam latinam propagasset, nonne praecipue Donatistae obstitissent et contra talem novitatem reclamassent? ast nullibi id factum esse legitur. Neque Ecclesia graeca, perpetua Latinae aemula, reclamavit, sed huius decreta suscepit et adprobavit. *Photius* quidem de fide sua suspectus fuit, quia locum Pauli (3) cum *Theodoro Mops.* et *Theodoreto* sinistre interpretatus est; quam ob causam annotat Interpres Anglus, Photium incogitantem *pelagianizare*, uti et *Theodoretum*: caeterum ipse Photius commemorat Occidentalium Latinorumve Acta contra Pelagium et Caelestium, eaque perhibet decreta esse, quae rata fecit cuncta Ecclesia. Fides de peccati originalis propagatione in Ecclesia graeca etiam post lugendum schisma semper conservata est. Ideo Graeci in Synodo *Hierosolymitana* anno 1672 in causa Novatorum habita can. 6 profitentur: « Credimus primum hominem a Deo creatum in Paradiso deliquisse, cum posthabito Dei praecepto dolosae suasioni serpentis assensit, indeque originale peccatum ceu haereditarium profluxisse, quatenus carnali propagatione in mundum nemo prodeat, quin huius et onus secum adferat et fructus persentiat. » Ecclesia ipsa Russica, aut Moschovitica in iis, quae de noxa originali scripsit *S. Augustinus* adversus Pelagianos acquiescere se profitetur (4).

Nota 2. Doctrina de peccato originali aptissima est ad humanae mentis superbiam et arrogantiam reprimendam et conterendam. Nam si ad primam nostram originem respiciamus, quot in illa humilitatis motiva invenimus? — « Originale, ait *S. Bernardus* (5), maximum illud delictum vocatur, quod a primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi.... A primo homine usque ad novissimum protenditur, et in singulis quoque a planta pedis usque ad verticem capitis diffunditur hoc venenum.... In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur.... Primam vocem plorationis e-

(1) Sess. 5. can. 4.
(2) Instit. Theol. § 116. (3) Rom. 5, 12.
(4) Cf. Cl. Bossuet Defens. Tradit. et Ss. Patrum l. 9. et Dissertationes doctissimi P. Garnerii, in Commonit. Marii Mercatoris.
(5) Ser. de Pass. Dom.

dimus; merito quidem utpote vallem plorationis ingressi: » et multo magis nobis plorandum est, quia nascimur ut inimici Dei, filii irae, ad bonum inertes et ad omne malum proclives. Quod si a tanta miseria per gratiam divinam in baptismate liberati sumus; gratuitam Redemptoris misericordiam laudare, quid autem ex nobismetipsis simus semper humiliter agnoscere et confiteri debemus. — Ex proposita doctrina patet etiam in quanto errore illi versentur, qui putant, se inordinatis passionibus, quas in corrupta sua natura sentiunt, licite obsequi posse. Malam enim concupiscentiam non Creator humanae naturae inseruit, sed peccatum produxit; quapropter illam continuo oppugnare et reprimere oportet. Quod si infirmitatem nostram cognoscimus, eo maiori fervore et fiducia gratiam Redemptoris continuo implorare debemus.

ARTICULUS VIII.
De subiecto peccati originalis.

§ 224. Doctrina catholica de subiecto peccati originalis recte enuntiatur hac propositione: Omnes, qui naturali generationi ab Adamo descendunt peccatum originale contrahunt, nisi speciali privilegio ab eo eximantur (1).

1. Omnes homines naturali generatione ab Adamo descendentes peccatum originale contrahere divina Revelatio docet. Nam Rom. III, 23 legitur: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei;* Rom. V, 12: mors *in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* ibid. v. 18: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Idem elucet ex comparatione, quam Apostolus instituit inter universalitatem peccati, et universalitatem redemptionis Christi tum in citato capite, tum I Cor. XV, 22 dicens: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur:* et II Cor. V, 14, etc.: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Huc etiam generatim argumenta referuntur in priori articulo allata. Ex his recte infertur, peccatum originale in omnes Adami posteros transfundi, quibus natura eiusdem corrupta per naturalem generationem communicatur. Idcirco *Concilium Tridentinum* Sess. V, can. 2 docet, Adamum non tantum mortem et poenas corporis, sed et peccatum, quod mors est animae, *in omne genus humanum transfudisse;* et can. 3 Adae peccatum dicitur *propagatione transfusum omnibus;* et can. 4 baptismus ideo parvulis necessarius declaratur, *ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt;* ac demum Sess. VI, cap. 3 haec pronuntiat: *Homines nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant.* Ex quibus clarissime patet, etiam fidelium seu baptizatorum parentum infantes labem originalem contrahere et huic obnoxios nasci.

2. Quamvis propositione generali dicatur, omnes homines constituere peccati originalis subiectum, excipiendus tamen secundum fidei doctrinam est *Christus,* qui verus quidem homo fuit, sed conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine peccatum originale nullatenus contraxit. — Merito etiam propositio generalis cum ea restrictione profertur, ut dicatur, omnes, qui naturali generatione ab Adamo descendunt, peccatum origi-

(1) V. Liebermann T. 3 lib. 3, cap. 3, art. 2, § 2 Prop. 3.

nale contrahere, nisi speciali privilegio ab eo eximantur. Quis enim Deo denegare id poterit, ut, si velit, aliquem a communi lege possit eximere? Si potuit Angelos et primos homines in innocentia, iustitia et sanctitate creare, certe etiam potest animam, quam creat, a peccato praeservare et iisdem praerogativis exornare. Hoc qui negat, ipsi omnipotentiae divinae limites ponit. Id autem Deum circa *B. V. Mariam* actu voluisse, eamque ideo sine peccato originali conceptam esse, Catholici, solidis innixi argumentis, piissime semper crediderunt, et tandem hoc idem tanquam fidei dogma definitum fuit. Iam de hac duplici exceptione seu de *Christi* et *B. V. Mariae* immunitate a peccato originali plura disserenda sunt.

I. *Iesus Christus a peccato originali penitus immunis fuit.*

§ 225. Haec propositio, quae ad fidem spectat, ex *S. Scriptura*, ex *Traditione*, et ex *Rationibus Theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* Iesum Christum etiam secundum naturam humanam ab omni peccato immunem pronuntiat. S. Paulus Hebr. IV, 15 ait: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*; licet ergo Christus tentationes et tribulationes pertulerit, a peccato tamen longissime remotus fuit. Ibid. VII, 26 addit: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* II Cor. V, 21: *Eum* (Christum), *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum* (i. e. peccati hostiam Deus Pater) *fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* S. Petrus dicit: *Redempti estis...... pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati* (1). S. Ioannes de Christo scribit: *Apparuit, ut peccata nostra tolleret; et peccatum in eo non est* (2). Clarissima haec testimonia omnem peccati maculam longe a Christo removent.

2. *Ss. Patres* immunitatem Christi a peccato originali constanter tradunt. *Tertullianus* (3), exponens contra Docetas illud Rom. VIII, 3: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati* etc., asserit, quod Apostolus non neget veritatem carnis Christi. « Sed similitudinem peccatricis carnis vult intelligi, quod ipsa non peccatrix caro Christi eius fuit par, cuius erat peccatum, genere, non vitio, Adae..... et sic in illa peccatum evacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur, quae in homine sine peccato non habebatur. » *S. Dionysius Alex.* (4) ait: « Nisi Christus idem esset Dei Verbum, non poterat a peccato immunis esse. Nullus enim peccati est expers, nisi solus Christus, sicut et Pater Christi et Spiritus sanctus. » *S. Athanasius* (5) docet, Verbum caeteras naturae affectiones assumpsisse, ut laborem, inediam etc., non tamen peccatum, « atque in eo miraculum esse quod et homo factus est Dominus, et tamen sine peccato fuit; eo quod in totum novitas facta sit, ut potentiam ostenderet suam. » *S. Gregorius Naz.* (6) inquit: « Humana omnia, excepto peccato, suscepit (Filius Dei). » *S. Chrysostomus* (7) ita disserit: « Non enim peccatricem carnem habuit Christus, sed nostrae qui-

(1) I Ep. 1, 19. (2) I Ep. 3, 5.
(3) L. de carne Christi c. 16.
(4) In Epist. synod. ad Paulum Samos.
(5) L. de incarn. adv. Apollinarem.
(6) Or. 38 de Chr. Natali.
(7) Hom 13 in Ep. ad Rom. 8, 3.

dem similem, quae est peccatrix, verum expertem peccati, et natura eamdem nobiscum.» *Eusebius Caes.* (1), loquens de redemptione facta per Christum, dicit: « Cum per peccata carnis longe antea omnes homines cecidissent; merito per immunem a peccato et ab omni vitio intactum de hostibus victis trophaea constituta sunt.» *S. Augustinus* (2) de Christo docet, non solum in natura divina nullum fuisse peccatum, « sed ne in ipsa quidem anima sancta, et mente hominis, quem sibi ad unitatem personae Verbum Dei cooptaverat: sed nec in ipso corpore peccatum ullum erat; sed similitudo carnis peccati erat in Domino, quia mors non est nisi de peccato et utique corpus illud mortale erat.» *S. Leo M.* (3), de incarnatione Christi disserens, inquit: «Assumpta est de Matre Domini natura non culpa. » *S. Gregorius M.* (4) scribit: « Nos sancti efficimur, non sancti nascimur, quia ipsa naturae corruptibilis conditione constringimur....... Ille solus veraciter sanctus natus est, qui, ut ipsam naturae corruptibilis conditionem vinceret, ex commixtione carnalis copulae natus non est. » *S. Cyrillus Alex.* (5) scribit: « Peccatis aegrotasse naturam humanam, omnesque praeter Christum peccasse et egere gloria Dei.» In Concilio Florentino, seu in instructione pro Iacobitis sermo fit de Iesu Christo, « qui sine peccato conceptus, natus et mortuus humani generis hostem, peccata nostra delendo sua morte prostravit.»

3. *Rationes theologicae*, quibus Theologi dogma catholicum probare solent, etiam a Ss. Patribus proponuntur. *a*) Peccatum originale per naturalem generationem propagatur: sed Christus, ut inferius ostendetur, non per hanc, sed sine consortio maritali operante Spiritu sancto in Maria Virgine conceptus est: ergo peccatum originale non contraxit. *S. Augustinus* (6), de Ioseph et Mariae nuptiis loquens, dicit: « Solum ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quae accidit ex peccato. Sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, ut hinc etiam doceret, omnem, quae de concubitu nascitur, carnem esse peccati; quandoquidem sola, quae non inde nata est, non fuit caro peccati. » *b*) Christus venit in mundum, *ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum; et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna* (7), seu venit iuxta effatum S. Praecursoris, ut tollat *peccatum mundi* (8); necesse ergo fuit ut ipsemet a peccato immunis esset. Quomodo enim peccatum tolleret, qui eiusdem servus est ? et quomodo nos Deo reconciliaret, qui ipsemet inimicus est Dei? Ideo *S. Athanasius* l. de salutari Christi adventu contra Apollinaristas ita disserit: « Si in peccatrice (quantum est ex se, seu in aliis hominibus) natura impeccabilitas non apparuisset, quomodo peccatum in carne damnari potuisset? » Ostendit autem, Christum nos vere redimere potuisse, « neque carne praevaricationem habente, neque divinitate peccatum sciente . » *c*) Christus duas quidem habet naturas, divinam et humanam, sed una est ipsius persona, eaque divina: ast in personam divinam peccatum cadere non potest; ergo Christus peccatum originale non con-

(1) Lib. 7, Dem. evang. c. 2.
(2) En. in Ps. 34, Serm. 2, n. 1.
(3) Sermone 2 de Nativ. Domini a. 3.
(4) Lib. 18, Mor. c. 52, n. 84
(5) In Epist. synodica ad Nestorium.
(6) L. de nupt. et concup. c. 12
(7) Dan. 9, 24 (8) Io. 1, 29.

traxit. *S. Hilarius*. l. 10 de Trinit., cum iam divinitatem Christi propugnasset, inquit: « Ita homo Christus Iesus et in veritate nativitatis est, dum homo est; et non est in proprietate peccati, dum Christus est... habet et nativitatem hominis, quia homo est, nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est. » *S. Cyrillus Alex.*, considerans humanam naturam divinae in una Christi persona coniunctam (1), dicit: « Divina supremaque natura, non secundum conditionem nostram, sed ratione propriae congruentisque sibi sublimitatis, vitio est inaccessa et pravitatis omne genus depellit. » *S. Anselmus* (2) scribit: « Postquam constat, hominem illum (Christum) esse Deum et peccatorum reconciliatorem, dubium non est, eum omnino sine peccato esse: hoc autem esse non valet, nisi absque peccato de massa peccatrice sit assumptus » (3).

II. *B. V. Maria sine labe originali concepta fuit.*

§ 226. Circa hanc propositionem, quam Ecclesia semper credidit, Theologi communiter defenderunt, et fideles pro certa universim tenuerunt, saeculo duodecimo magna controversia publice agitari coepit. Cum enim Canonici Lugdunenses in sua Ecclesia festum Conceptionis B. V. M. celebrandum adoptassent, aegre id ferens *S. Bernardus*, epistolam ipsis transmisit, in qua non solum id reprehendit, quod inconsulta Apostolica Sede festum institutum fuerit, sed etiam ipsum festivitatis obiectum impetere et immaculatum B. Virginis conceptum negare videtur. Ex hoc tempore magna disceptatio enata est, aliis praefatum festum defendentibus, aliis improbantibus. Imo auctoritas S. Bernardi fecit, ut etiam saeculo XIII non pauci gravissimi Theologi immaculatam Mariae Conceptionem disertis verbis defendere non auderent, aut in contrariam quoque sententiam deflecterent. Sed, ineunte saeculo XIV, *Io. Duns Scotus*, acerrimi ingenii vir, Doctor subtilis nominatus, tam solide et feliciter immaculatam B. V. Mariae Conceptionem propugnavit, ut eius sententiam Academia Parisiensis amplecteretur, quam aliae quoque Academiae imitatae sunt. Ex hoc tempore pia ista sententia, licet a nonnullis acerrime impugnata, in dies tamen magis magisque praevaluit, praecipue postquam etiam Romani Pontifices immaculatae Virginis cultui favores suos impenderunt, et contrariam sententiam publice defendere prohibuerunt. Ita factum est, ut circa immaculatam Conceptionem B. Mariae Virginis theologorum consensus unanimis evaserit, et tandem Ecclesia illam de fide definierit.—Ut autem haec propositio et status quaestionis rite intelligatur, aliqua praenotanda sunt: *Primo* declarandum est, de quali conceptione sermo instituatur. Nam, ut praeclare observat *Benedictus XIV* (4), « Conceptio dupliciter accipi potest; vel enim est *activa*, in qua sancti B. Virginis parentes opere maritali invicem convenientes praestiterunt ea, quae maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem, et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam; vel est *passiva*, cum rationalis anima cum corpore copulatur. Ipsa enim infusio et unio cum corpore debite organizato vulgo nominatur *conceptio passiva*, quae scilicet fit

(1) Lib. 1 in Isa.
(2) Lib. 2, cur Deus homo? cap. 16.
(3) Cf. Petav. Tom. 5, de Incarn. lib. 11, cap. 10 et 11.

(4) In op. de Festis D. N. I. C., B. V. M. etc. c. 15.

in illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur. » Et haec ipsa conceptio passiva ea est, quam immaculatam fuisse defendimus, B. Virginis animam in primo instanti, quo corpori unita fuit, a labe originali immunem praedicantes. — *Secundo* notandum est in scholis duplicem modum distingui, quo peccatum originale contrahitur, nempe *quoad actum* et *quoad debitum* duntaxat. Is quoad actum peccatum originale contrahit, qui isto in sua conceptione actu, seu de facto maculatur, ita ut anima, quando corpori unita est, saltem per aliquod instans peccati originalis rea sit, quomodo istud contraxit ipse Ioannes Baptista, qui nonnisi post conceptionem ante nativitatem in utero matris sanctificatus est. Is vero censetur peccatum originale contrahere quoad debitum duntaxat, qui quoniam in communi aliorum lege comprehenditur, vi ipsius legis in alios latae, eiusmodi peccatum contrahere deberet, quod autem tamen non contrahit, quia speciali quodam favore a communi lege immunis efficitur. - Extiterunt nonnulli, praesertim inter Scotistas, qui dicerent, Mariam nec quoad actum, nec quoad debitum peccatum originale contraxisse; verum longe plures Theologi docent, B. Virginem non quidem quoad actum, sed tamen quoad debitum contraxisse peccatum originale, quo infecta fuisset, si Deus eam per speciale privilegium ab eo non praeservasset. Maria enim naturali generatione procreata, et ipsa quoque a Christo redempta est: vere redimi autem non potuisset, si neque peccatum contraxisset neque illud contrahendi debitum habuisset: ipsa ideo Ecclesia in oratione pro festo Conceptionis praescripta profitetur, Deum *ex morte Filii praevisa Mariam ab omni labe praeservasse*, quam alias naturaliter incurrere debuisset. Mariam autem (haec propositio iam nunc ad fidem spectat) actu peccatum originale non contraxisse, sed immaculate conceptam fuisse sequentibus argumentis probatur.

1. *Sacra Scriptura* insignem exhibet locum, ex quo immaculata Mariae Conceptio probari potest. Nam Gen. III, 14 etc: *Ait Dominus Deus ad serpentem. . . . Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Sicuti in his verbis prima Messiae promissio invenitur, ita per *mulierem* Redemptoris Mater intelligi debet: de hac textum exposuerunt *S. Irenaeus*(1), *Tertullianus* (2), *S. Cyprianus* (3), *S. Epiphanius* (4) et alii, quos omnes catholici expositores sequuntur. Praenuntiatur itaque inter hanc *mulierem* Deiparam, et Evam hoc futurum discrimen, quod Deipara sua fide et innocentia aeternas aliquando sit habitura inimicitias cum diabolo, quemadmodum Eva suo peccato foedus cum morte et satana inierat, qua de causa peccatum in omnes homines pertransiit, quod ope illius mulieris Deiparae, seu eiusdem semine, i. e. filio, deleri debeat. Has autem inimicitias mulieris Deiparae cum diabolo necessum esse de praeservatione a peccato originali, non de sanctificatione tantum in utero materno intelligi, his de causis evidenter colligitur. *Primo* quia sequeretur alioquin, illam mulierem Deiparam eo ipso temporis intervallo, quo peccato originali actualiter inquinata subiacuisset, nullas cum diabolo e-

(1) L. 3 adv. haer. c. 23.
(2) L. 2 c. Marcion. c. 10.
(3) L. 2 Testimon. (4) L. 3, haeresi 78.

xercuisse inimicitias, imo vero fuisse in diaboli potestate, quod aperte huic prophetiae, nullo tempore restrictae, repugnat: *inimicitias ponam inter te et mulierem.* — *Secundo,* adductis verbis aliquid Deus prorsus singulare, quodque matri promissi Liberatoris proprium esset, atque caeteris non commune significatum voluit; alioquin nulla apparet ratio iuxta exegesin catholicam, quare peculiarem de hac iniecerit muliere mentionem, ex qua semen promissum erat oriturum. Iamvero in hoc, de quo agimus, nihil aliud singulare omnino, atque huiusce matris proprium, quam immunitatem a quovis peccato confingere possumus. Nam quod ad liberationem ab originali labe post foetus animationem spectat, ea certe communis sanctissimo Praecursori fuisset, qui repletus est Spiritu sancto ab utero matris suae; atque etiam, prout fert sententia satis recepta, *Ieremiae,* aliisque forte nonnullis. Singulare ergo privilegium, mulieri Deiparae promissum non de sola sanctificatione in utero, sed de praeservatione a peccato originali necessario est intelligendum. — *Tertio* si citata prophetica verba de sola sanctificatione in utero, et non de praeservatione a peccato originali exponerentur, non plena et perfecta esset antithesis Evae atque B. Virginis, neque etiam primi et secundi hominis, quoniam diabolus in B. V. Mariam sicut et in Evam dominium et potestatem aliquando obtinuisset. — Non ergo tota argumentationis vis in eo reposita est, ut legatur: *ipsa,* et non *ipse,* vel *ipsum conteret caput tuum,* quoniam et hac posteriori lectione adoptata, firmum stat argumentum. Nam, ut scite observat Cornelius a Lap. (1): « Cum Deus hic opponat quasi antagonistas, mulierem cum suo semine, serpenti cum suo semine, consequenter vult dicere, mulierem cum suo semine contrituram caput serpentis: sicut e contrario serpens tam mulieris, quam seminis eius calcaneo insidiatur. » Quod si legatur, semen cum muliere contriturum esse caput serpentis; semper tum semini, tum mulieri perfectus de diabolo triumphus promittitur, qualis non adesset, si mulier, seu mater Redemptoris serpentis veneno aliquando infecta fuisset. — His probe consideratis, negari non potest, ex citato loco immaculatam Virginis Mariae Conceptionem satis solide probari. - Non autem eadem probandi vis aliis argumentis biblicis tribui potest, quibus nonnulli Theologi eamdem veritatem confirmare nisi sunt. Protulerunt enim varias V. T. figuras, quibus immaculatam B. V. Mariae Conceptionem adumbratam, vel satis clare expressam putarunt: uti *Arcam Noë,* quae toto pereunte mundo aquis secura supernatavit; *Arcam foederis,* quae de ligno incorruptibili confecta erat; *Rubum Moysis,* qui inter flammas illaesus permansit; *Virgam Aaronis,* quae caeteris omnibus arescentibus una viruit, una floruit, una fronduit, una fructum tulit: *Vellus Gedeonis,* quod solum rore repletum est, reliqua terra sicca manente, et postea solum siccum remansit, caeteris omnibus rore madefactis, etc. Ast ex his typis et figuris satis certa argumenta depromi nequeunt, quia etiam vel ipsi Christo, vel Ecclesiae, vel B. V. Mariae ad ostendendam eius virginitatem, vitae sanctitatem et corporis post mortem incorruptionem applicari possunt. — Iuxta principium tamen Apostoli: *Omnia in figuris contingebant illis* (2), praeterire non licet ea, quae in Vulgata Esther XV

(1) In hunc locum.

(2) 1 Cor 10, 11

leguntur. Esther enim, quae intercessione sua populum israëliticum ab imminenti pernicie liberavit, a Catholicis sat communiter tanquam Mariae typus consideratur. Itaque eidem B. Virgini applicari etiam debent verba, quae Rex, in mansuetudinem versus, et tenerrimo amore repletus, Reginae tabescenti et corruenti acclamavit, quae, iuxta legem Persarum mortis supplicium incurrerat, ait enim: *Non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est* (1). Haec verba si in sensu mystico a Deo Mariae dicta accipiantur, neque de eius virginitate, neque de eius vitae sanctitate, neque de immunitate a morte corporis, cui B. Virgo subiecta fuit, sed solum de exemptione a morte animae, seu a peccato originali intelligi possunt.

Multi porro non incongrue afferunt loca quae leguntur in Cantico Canticorum cap. II, v. 2: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias;* cap. IV, v. 7: *Tota pulcra es amica mea, et macula non est in te;* cap. VI, v. 8 etc.: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae; electa genitricis suae. Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt..... Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* — Non negatur equidem ea, quae in Cantico dicuntur, a Patribus et Interpretibus de Christo, et eius sponsa Ecclesia exponi. Sed cum iidem Patres et Theologi passim doceant, S. Scripturae textus plures posse habere sensus aeque a Spiritu sancto intentos; nihil vetat, quominus illa eadem testimonia, quae de Ecclesia vel de Christo Domino intelliguntur, in sensu mystico itidem a Spiritu sancto intento, de Deipara quoque dicta esse intelligantur, quae Ecclesiae nobilissimum membrum est, et cum Iesu Christo tam arcta necessitudine coniuncta, quam est mater cum filio. Itaque iuxta communem Interpretum sensum canuntur quidem in Cantico Canticorum spirituales nuptiae Christi et Ecclesiae, ita tamen, ut etiam de sponsa omnium lectissima et dilectissima, scilicet de Maria sermo sit. Ideo *S. Thomas* (2), *S. Bonaventura* (3), *Alex. Hales* et multi alii citata loca litteraliter de B. V. Maria exponunt, et ex iisdem probant, eam ab omni peccato personali immunem fuisse. Ast, cum Maria ut lilium inter spinas a caeteris filiabus Adae prorsus distinguatur, et omnis macula ab ea undequaque removeatur, omnino dicendum est, illam sicut a personali, ita et ab originali peccato immunem declarari, praecipue dum *progredi* dicatur ut *aurora* etc. (4).

2. *Ss. Patres* parce quidem de B. V. Mariae Conceptione loquuntur, quoniam ipsorum aevo hac de re nulla controversia agebatur; sed tamen talia eorundem testimonia inveniuntur, ex quibus fides priorum saeculorum dignosci potest. Ac primo insignis est locus, qui ex Epistola presbyterorum Achaiae profertur, et in qua narratur, *S. Andream* Apostolum tempore martyrii sui inter alia dixisse: « Propterea, quod ex immaculata terra creatus fuerat primus homo; necesse erat, ut ex *immaculata* Virgine nasceretur perfectus homo, quo Filius Dei, qui antea condiderat hominem, vitam aeternam, quam perdiderant homines per Adamum, repararet. » Quibus verbis antithesis instituitur Adam inter et Christum, ita ut ad eum modum, quo Adam ex immaculata terra com-

(1) Esth. 15, 13.
(2) 3 P. q. 27, art. 4.
(3) Serm. 1 de V. Maria.
(4) V. Tournely Tr. de pecc. cap. 1, a. 4.

pactus est, ita et Christus ex immaculata Virgine conceptus sit atque ortus. Porro eatenus terra, ex qua Adae corpus plasmatum est, immaculata dicitur, quatenus nondum fuerat ob Adae culpam obnoxia maledictioni, neque ullis filiorum eius iniquitatibus foedata: quapropter, ut perfecta consistat antithesis, ideo *immaculata* dicitur B. Virgo, quia nullum sive originarium, sive propria actione admissum peccatum illam unquam contaminavit. Citatam autem epistolam celebres critici pro genuina habent, praecipue postquam auctor protestans *Woog* textum illius graecum vulgavit. — *S. Iustinus M.* (1) comparationem instituit inter Evam et Mariam, dicens: Verbum a Patre genitum « ex Virgine hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet. Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto inobedientiam et mortem peperit. Maria autem Virgo, cum fidem et gaudium percepisset, nuntianti Gabrieli laetum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum, et virtutem Altissimi ei obumbraturam..... respondit: *Fiat mihi secundum Verbum tuum.* » Comparationis vis ad rem nostram quod attinet in eo sita est, quod sicut Eva incorrupta adhuc et inviolata, divinaque ornata gratia causa fuit et origo humani generis exitii; ita et B. Virgo intemerata, et a peccato quovis prorsus immunis, causa facta est et origo salutis nostrae, fide, et obedientia sua concipiens in utero Christum salutis nostrae Auctorem. Talis autem non extitisset, si et ipsa aliquando peccato fuisset deturpata. — Eandem comparationem Evam inter et Mariam instituunt *S. Irenaeus* (2), *Tertullianus* (3), *Iulius Firmicus* (4), *S. Cyrillus Hier.* (5), *S. Epiphanius* (6). Huc etiam referuntur, quae *S. Hippolytus M.* (7) dicit: « Arca ex lignis, quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator. Per hanc enim putredinis et corruptionis expers eius tabernaculum significabatur, quod nullam peccati putredinem genuit... Dominus autem peccati expers erat, et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, hoc est ex Virgine et Spiritu sancto, intus et foris tanquam purissimo Verbi Dei auro circumtectus. » Licet enim haec proprie referantur ad mirabilem Christi conceptum sine virili congressu peractum, cum tamen Virgo, in qua conceptus est Christus Spiritus sancti virtute « lignum incorruptibile » vocetur non secus ac ipse Spiritus sanctus, ideo haud incongrue a S. Hippolyto immunem eam ab originali vitio existimatam fuisse infertur. *Origenes* (aut alius antiquus auctor Homil. in divers.) (8) B. Virginem immaculatam praedicat his verbis: « Huius itaque Unigeniti Dei dicitur haec mater Virgo Maria, digna Dei immaculata sancti immaculati, una unius. » Ubi eam confert cum immaculato Dei Filio, et per comparationem ad illum vocat immaculatam. Sequitur deinde alloquens B. Ioseph: « Accipe ergo eam sicut commendatum coelestem thesaurum, Deitatis divitias sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam; » postea concludit: « Audite, quod Virgo in utero accipiet; non ex desiderio partum concipiens, quae neque persuasione serpentis decepta est, neque eius venenosis afflatibus infecta. » I-

(1) Dial. cum Tryph. n. 100.
(2) L. 3 adv. haer. c. 22, n. 4.
(3) De Carne Chr. c. 17.
(4) De errore profan. Relig c. 26.

(5) Catech. 12, n. 29.
(6) Haeres. 78, n. 18.
(7) Orat. in illud Dominus pascit me.
(8) Hom. 1.

dem (1) ait: « Non indiget (Christus) patre super terram; incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis. Non indiget matre in coelis; immaculatam et castam habet matrem in terra, banc multum beatam Virginem Mariam. » — *S. Dionysius Alex.* (2) scribit: « Multae reperientur matres: una autem et sola Virgo filia vitae genuit Verbum vivens, et per se subsistens increatum et creatorem. —Non in servo inhabitavit (Christus), sed in sancto suo tabernaculo non manufacto, quod est Deipara Maria... et Matrem incorruptam a pedibus usque ad caput benedictam servavit, sicut ipse solus novit modum conceptus et ortus sui. Haec est, quam Isaac praevidens dicebat Iacob: *Det tibi Dominus benedictionem coeli desuper, et benedictionem terrae habentis omnia.* Qui enim e coelo descendit Unigenitus Deus Verbum, gestatum est in utero, et genitum ex paradiso virginali habente omnia..... Neque summus Sacerdos noster manu hominis est ordinatus, neque tabernaculum eius ab hominibus fabricatum, sed Spiritu sancto firmatum est, et virtute Altissimi protegitur, illud semper laudatissimum Dei tabernaculum Maria Deipara et Virgo. » Animadvertenda hic sedulo est antithesis inter « Virgineum filiam vitae, et Verbum vivens, » quam instituit *Dionysius;* dein quod eam dicat « tabernaculum sanctum non manufactum, et a pedibus usque ad caput benedictam; » demum quod eam nominet « tabernaculum Dei non ab hominibus fabricatum, sed Spiritu sancto firmatum, protectumque *semper* laudatissimum; » quibus verbis illam procul dubio ab omni semper labe prorsus immunem praedicat. — *S. Ephraem* in Orat. ad SS. Dei Genitricem ita eandem affatur: « Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima Virgo..... sanctior Seraphim, et incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior, etc. » et in eadem Orat. eam nominat « omnino immaculatam, - Dominam semper benedictam - sedem Dei puram, quae draconis nequissimi caput contrivit, quae semper fuit tum corpore, tum anima integra et immaculata. » Similia habet in lib. de SS. Mariae laudibus. — *S. Ambrosius* (3), de se in Adam peccatore loquens, ait: « Suscipe me in carne, quae in Adam lapsa est; suscipe me, non ex Sara, sed ex Maria; ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. » *Patres Graeci* passim B. V. Mariam vocant « immaculatam, omni semper macula carentem, omnibus modis Sanctam, Cherubinis ac Seraphinis longe puriorem, solam sine omni peccato, terram nunquam maledictam etc. » illorum integros textus exhibet *Ben. Plazza* (4). *S. Augustinus* (5) postquam docuit, ex peccato originali factum esse, ut nemo etiam sanctissimus sit absque omni peccato actuali, ab hac communi sorte excipit Mariam, dicens: « Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. » *S. Hier.* vel alius antiquus auctor Comment. in Ps. LXXVII explanans illud: *Deduxit eos*

(1) Hom 3.
(2) Epist. adv. Paulum Samos.
(3) Serm 22 in Ps. 118, n. 3.

(4) In opere: causa immac. Conc B V M Act 2, Art. 3
(5) L. de natura et gratia, c. 36

in nube diei, ita disserit: « Nubes est B. Virgo, quae pulcre dicitur nubes diei, quia non fuit in tenebris, sed semper in luce. » — *S. Prudentius*, in Cathemerinon (1) extollens B. V. Mariam, canit: « Hoc odium vetus illud erat, hoc erat aspidis, atque hominis digladiabile discidium, quod modo cernua foemineis vipera proteritur pedibus. - Edere namque Deum merita omnia Virgo venena domat: tractibus anguis inexplicitis virus inerme piger evomit gramine concolor in viridi. » — *S. Chrysologus* (2) affirmat, B. Virginem, cum adhuc fieret, i. e. in ipsa Conceptione, a Verbo seu Christo in sponsam sibi oppignoratam fuisse his verbis: « Pervolat ad sponsam festinus interpres, ut a Dei sponsa humanae desponsationis arceat et suspendat affectum, neque auferat a Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in utero oppignorata *cum fieret*. Christus ergo suam sponsam recipit, non praeripit alienam: nec separationem facit, quando suam sibi totam iungit in uno corpore creaturam. » — *S. Sabbas* (3) Deiparam ita alloquitur: « In te, quae nulli unquam culpae affinis fuisti, spem omnem meam repono. Nemo, ut tu, Domina, inculpatus est aeque, nec praeter te incontaminatus quisquam, o naevo nulli subiecta! » Hanc vero ab omni labecula immunitatem ad praeservationem ab ipsa originali macula e Sancti ipsius mente protendi constat per ea, quae habet in Ode 14, in qua scribit: « In te primi parentis substitit lapsus, ultra progredi facultate sublata. » Dein laudat Ioachim et Annam, « a quibus orta est lampas, circa quam nullum umbrae vestigium cernimus. » *S. Andreas Cretensis* (4) B. Virginem vocat, « Omni peccato et sorde sublimiorem; » et (5) ait: « Hodie ex nobis, nostri loco, Adamus primitias Deo offerens, Mariam primitias facit, et ex toto fermento, *ea non fermentata*, per ipsam formatur panis ad humani generis redemptionem: » dein, alludens ad verba S. Andreae Apost., dicit, primum hominem ex illibata terra factum fuisse, et Redemptorem « mundam hanc immaculatissimamque Virginem e tota natura » elegisse. — *S. Proclus* (6) ait: « Haudquaquam architecto dedecori est, ut eam incolat domum, quam ipsemet extruxerit, neque luctum figulum inficit, cum ille vasculum, quod finxerat, refingit; ita nec quidquam Deum purissimum polluit, quod ex virginali utero prodiit. Quam enim citra omnem sui labem formaverat, ex ea nulla contracta macula processit. » Et (7) de eadem B. Virgine scribit: « Ipsa novae creaturae coelestis globus, in quo sol iustitiae nunquam occidens omnem ab anima omni peccatorum noctem fugavit. » *S. Ildephonsus*, seu rectius *S. Paschasius Ratbertus* (8) de eadem dicit: « Constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evae soluta est, verum etiam et benedictio omnibus condonatur. » Et paullo post ita pergit: « Sed eximiae pietatis honorem vobis et decus virtutis B. Virginis pudicitiam praedicare incorruptam et incontaminatam, et ab omni contagione primae originis confiteri alienam. » *S. Sophronius* Patr. Hieros. in epistola synodica ad Sergium CPtanum, quae a CPtana III Synodo generali fuit approbata, asserit B. Mariam « ab omni contagione, ac macula liberam fuisse corpore, a-

(1) 3. v. 146. et seq.
(2) Serm. 140 de Annunt. B. V. M.
(3) In Menaeis Graecorum Ode 2.
(4) In Encomio S. Zonae.
(5) In Orat. 1 de Nativ.
(6) Orat. 1 in S. Dei Genitricem.
(7) Orat. 6
(8) L. de Virgin. S. Mariae etc.

nima et intellectu. » *S. Germanus* Patr. CPtanus (1) exclamat: « Salve non manufactum tabernaculum, atque a Deo conditum, in quod semel in consummatione saeculi solus Deus ac summus Pontifex introivit; » et in Encomio ven. Zonae B. V. eam dicit « non domorum excellentia et altitudine excitatorum aedificiorum, sed divinarum et sublimium virtutum magnitudine, et puritate omnibus antecellentem, Mariam, nulli penitus culpae affinem. » *S. Io. Damascenus* (2) de hac ipsa dicit: « Natura gratiae germen antevertere non ausa est; » et (3) hanc vocat: « Virginem immaculatam, quae nihil terrenarum affectionum admisit; » et (4) clarissime sensum suum prodit, dicens: « Ad hunc paradisum (B. V. Mariam) serpenti aditus non patuit. — Ipse enim Unigenitus Dei Filius — ex hac virgine et pura terra se ipsum in hominem formavit. » *S. Petrus Damianus* (5) dicit: « Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adae non admisit. » Et Ser. de Annunt. ita de B. Virgine disserit: « Germinat igitur virga Iesse de tortuosa radice generis humani, et de patriarcharum arbore in altitudinem et rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, filiorum tenebras nescit, infructuosa quaeque non habet. » *S. Anselmus* (6) scribit: « Decebat, ut illius hominis (Christi) conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut illa puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum... ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius: et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat; et de qua Spiritus sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur Illud, de quo ipse procedebat. » Tanta vero puritas alia esse nequit, quam ea, qua Virgo ab ipsa labe originali immunis est servata, prout haec eadem Anselmi verba *S. Thomas* rite conclusit, scribens (7): « Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius inveniri potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: et talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum » (8).

3. Merito hic etiam referuntur *testimonia Sanctorum*, qui equidem Ecclesiae Patribus et Doctoribus non adnumerantur, sed tamen ob supernaturalia charismata, quibus insigniti erant, magna auctoritate pollent. *S. Bruno*, Carthusianorum parens (9), immaculatam B. V. Conceptionem asserit, dicens: « Dominus de coelo in terram aspexit, dum de regalibus sedibus in uterum Virginis venit. Haec est enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione libera, per quam vitae viam agnovimus et promissam veritatem accepimus. » Extat Barcinone antiquissimum monumentum, in quo refertur, quomodo *S. Dominicus* oppugnaverit Albigenses, qui Christum verum redemptorem esse negabant, quia ex matre natus est, peccato originali infecta. « Contra quos errores S. Dominicus fecit quemdam libellum de Corpore Christi, affirmando, quod Christus redemit genus humanum, et firmissima

(1) Serm. de Nativ. V. M.
(2) Hom. 1 in Nativ. B. Virginis.
(3) Hom. 2 de dormit. B. M. V.
(4) Ibidem. (5) Serm. de Assumpt.
(6) L. de conceptu virgin. c. 18.
(7) 1 Lib. sent. dist. 44, q. 1, a. 3.
(8) Cf. Perrone de immac. B. V. conceptu P. 1, c. 10, 11 et 15. § 2, P. 2, c. 6, § 4, p. 210.
(9) Comment. in Ps. 101

veritate confitendo, Christum natum de Virgine immaculata: et Albigenses furiose insurgentes contra ipsum B. Dominicum dicebant, quod illa Virgo concepta fuit in peccato originali; et B. Dominicus, prout continetur in suo libello, respondebat, quod non erat verum quod dicebant, quoniam V. Maria est illa, de qua Spiritus sanctus per Salomonem dicit: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* Finaliter existentes haeretici in eorum erronea intentione, venerunt ad miraculi experientiam, videlicet quod B. Dominicus proiiceret libellum suum in quodam furno ardente, et si ibi non combureretur, crederent: et B. Dominicus proiecit illud in furno ardente, et libellus inustus exivit. » De authentia huius monumenti dubitari non posse, affirmat *Em. Card. Lambruschini* (1), qui etiam gravissimos Theologos *Suarez*, *Vasquez* et alios citat, qui eandem historiam referunt. - *S. Franciscus Ser.* (2) ita loquitur: « Ave, Domina sancta, - perpetua virgo, - quam consecravit (Deus Pater), in qua est, et fuit omnis plenitudo gratiae, et omne bonum etc.,» ubi indeterminate dicit: « fuit » nimirum quamdiu extitit sine limitatione temporis, horae, aut instantis: unde *Waddingus* (3), haec verba explicans, dicit, S. Franciscum affirmasse, « quod B. V. Mariae non defuit gratia iustitiae originalis in suo conceptu, quia habuit omnem plenitudinem gratiae etc. » *S. Antonius Pad.* Expos. mystica in Eccles. XXIV: *thronus meus in columna nubis:* per hanc intelligit Mariam, et ait: « Nota, quod dicitur *columna*, quia nostram fragilitatem sustentat, *nubes*, quia a peccato immunis etc. » *S. Vincentius Ferr.* (4) ait: « Non credatis, quia fuerit sicut in nobis, quia in peccatis concipimur; sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, et statim Angeli in coelo celebrarunt festum Conceptionis. » *B. Albertus M.* (5) in illa verba: *Missus est* etc. inquit: « Haec Virgo sola a communi illa regula excipitur: omnes in Adam peccaverunt. » Et in Bibl. Marian. (6) ait: « Vae culpae est triplex, scilicet originalis, mortalis et venialis: porro sine isto triplici vae fuit B. V. Maria.» *S. Bernardinus Sen.* (7) ad illud *Ave* dicit: « Fuit ergo B. Virgo sine primo vae, hoc est sine tiranno concupiscentiae peccati originalis, quia sine eo concepta est, teste Salomone: *Tota pulcra es* etc. » *S. Laurentius Iustin.* (8) ait: « B. Virgo ab ipsa Conceptione fuit in benedictionibus praeventa. » *S. Thomas a Villan.* (9) inquit: « Decuit, Matrem Dei esse purissimam sine labe, sine peccato. Unde... in Conceptione sanctissima... Propter quod antequam anima illa sanctissima infunderetur, plene fuit caro illa mundata ab omni faece et labe; et anima, cum infusa est, nullam habuit ex carne, nec contraxit labem peccati. » Hoc idem docuerunt *S. Carolus Borr.*, *S. Franciscus Sal.*, *S. Theresia*, *S. Alphonsus Liguori* et alii plurimi. Pro coronide hic referri possunt, quae leguntur in Revelationibus *S. Birgittae*, quae authenticae declaratae et approbatae fuerunt ab *Urbano VI*, *Gregorio IX* et *Martino V*. In his (10) B. Virgo dicit: « Veritas est, quod concepta fui sine peccato originali, quia sicut Fi-

(1) In Diss. polem. de immac. B. V. Concept. n. 44.
(2) Tom. 1, Opusc. in Salutat. B. V. Mariae.
(3) In Adnot. 3. (4) Serm. 2 de Nativ. B. V.
(5) L. de Laudibus Virginis.
(6) In Ev. Luc. (7) Serm. 6 de Festiv. B. V. Mariae art. 1, cap. 1.
(8) Serm. de Annunt.
(9) Conc. 3 de Nativ. B. V. M.
(10) Lib. 6, c. 12.

lius meus et ego nunquam peccavimus, ita nullum coniugium fuit, quod honestius esset, quam illud, de quo processi. » Et iterum dixit: « Crede, filia, quoniam recte sentiunt omnes, qui me praeservatam ab originali macula et credunt et confitentur: male autem, qui contrarium sentiunt praesertim cum temeritate » (1).

4. Fides Ecclesiae ex *Liturgiis*, quae publica auctoritate stabiliuntur, et ex *Festis*, quae nonnisi de Sanctis celebrantur, dignosci potest. Ex utroque fonte argumentum pro immaculata B. V. Conceptione haurire licet. In antiquissima Liturgia *S. Iacobi Apostoli* Episc. Hier. dicitur: « Dignum est, ut te vere beatam dicamus Deiparam, semper beatam. et modis omnibus irreprehensibilem, et Matrem Dei nostri; » et iterum: « Commemorantes sanctissimam, immaculatam et gloriosissimam Dominam nostram, Dei Matrem. » In Liturgia *S. Marci* Maria nominatur: « sanctissima, intemerata etc.» In Liturgia *S. Basilii* Alexandrina vocatur: « sanctissima, immaculata, benedictionibus cumulata etc. » Constat porro, iam prioribus Ecclesiae saeculis festum Conceptionis B. V. Mariae celebratum fuisse. Saeculo V in Typico *S. Sabbae* signatur die 9 decemb. *Conceptio S. Annae Matris Deiparae:* Saeculo VII in Canonibus et Triodiis *S. Andreae Cret.* legitur: *Die nona decembris Conceptio sanctae, ac Dei aviae Annae.* Saeculo VIII *S. Ioan. Damascenus* concionem habuit, quae falso inscribitur: *De Nativ. B. V.*, sed, ut refert Ant. Possevinus, antiquitus inscripta fuit: in *generationem* seu *Conceptionem B. V.* illamque in hoc festo habitam fuisse, patet ex eiusdem themate, et praecipue ex his verbis: « O lumbos Ioachim beatissimos, ex quibus mundissimum semen factum est !... O uterum (Annae) in quo animatum coelum, coelorum latitudine latius conceptum fuit! » — Saeculo IX plures a Patribus graecis habitae sunt orationes, sive homiliae ad populum de B. V. Mariae immaculata Conceptione, nempe *a Georgio Nicomediensi*, *S. Petro*, Argorum Episcopo, et *Leone VI* Philosopho, Imperatore CPtano. Saeculo X Conceptionem B. M. in universa Ecclesia Graeca solemnem fuisse patet ex Menologio, iussu *Basilii* iunioris ante annum 984 conscripto, in quo V idus decembris, more Graecorum *Conceptio S. Annae matris Genitricis Dei.* In Occidente quoque idem festum iam mature celebratum est. Extat enim vetus marmoreum Neapolitanae Ecclesiae calendarium, quod digestum esse saeculo nono critici ostenderunt; in illo autem die nona decembris, more Graecorum, signatur: *Conceptio S. Mariae V.* quod probat, hoc festum iam ante saeculum IX, etiam apud Latinos celebratum fuisse. — Contendunt nonnulli, praefatum festum iam saeculo sexto, aut septimo, approbante Concilio Toletano IV, in Hispaniam invectum fuisse (2); certum vero est, ut probat *Mabillonius*, saeculo X praefatum festum primum in Hispania, et dein in Anglia celebratum fuisse. Exinde pedetentim in Flandriam, Galliam, Germaniam et alias regiones penetravit, et omnes Occidentis Ecclesias pervasit, donec a Rom. Pontificibus decreto sancitum est atque probatum. Ex celebratione autem huius festi recte infertur, Conceptionem B. V. immaculatam sanctamque habitam fuisse. Nam Patres et Doctores posteriorum temporum Nativitatem Mariae sanctam et a peccato immunem

(1) Cf. Lambruschini op. cit. n. 51 etc.

(2) V. Maraccium, Salazar, Lossada etc.

fuisse ex eo potissimum evincunt, quod Ecclesia Nativitatem B. Mariae celebret. Ita iam argumentati sunt *S. Idelphonsus* vel *S. Paschasius Ratbertus* (1), et *S. Bernardus* (2). *S. Thomas* (3) ait: « Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis: non autem celebratur festum in Ecclesia nisi de aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta: fuit ergo in utero sanctificata. » Idem asserit *S. Bonaventura* (4). Eadem ratione ex celebrato festo Conceptionis recte infertur, hanc in Ecclesiis immaculatam, et sanctam creditam fuisse (5).

5. *Summi Pontifices* piam de immaculata B. V. Conceptione sententiam sua auctoritate confirmarunt. *Sixtus IV* anno 1476 Conceptionis festum auctoritate sua solemniter instituit, idque devote celebrantibus indulgentias concessit; et anno 1482 in Const. *Grave nimis* reprobavit « assertiones eorum, - qui affirmare praesumerent, S. R. Ecclesiam de spirituali duntaxat Conceptione et sanctificatione eiusdem Virginis gloriosae festum celebrare, et eos, qui crederent et tenerent, eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione praeservatam fuisse, propterea alicuius haeresis labe pollutos fore. » *S. Pius V* Conceptionis festum in Romano Breviario, et ecclesiastico calendario stabiliter collocavit inter alia festa, ab universa Ecclesia Dei de praecepto celebranda. *Paulus V* anno 1616 sub poenis et censuris in Bulla Sixti IV contentis gravissime omnibus prohibuit, ne quis audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta in peccato originali. *Gregorius XV* Decretum Pauli V ampliavit et extendit etiam ad privata colloquia et scripta anno 1622: indulsit tamen eodem anno Dominicanis, « ut in privatis eorum colloquiis, seu conferentiis inter se duntaxat, et non inter alios, aut cum aliis de materia eiusdem Conceptionis B. V. M. disserere et tractare, absque ullo poenarum, in dictis decretis contentarum, incursu libere et licite possint. » *Alexander VII* anno 1661 in Constit.: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* confirmat Praedecessorum suorum decreta « edita in favorem sententiae asserentis, animam B. Mariae V. in sui creatione et in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam, et a peccato originali praeservatam fuisse. » *Gregorius XVI* ad instantiam Episcoporum plurimis Ecclesiis concessit, ut in Praefatione Missae de Conceptione dicerent: *et te in Conceptione immaculata*, et Litaniis Lauretanis adiungerent: *Regina sine labe originali concepta, ora* etc. *Pius IX* anno 1847 benigne approbavit factam in Synodo VI Baltimorensi electionem B. Virginis sub titulo: *immaculatae conceptae* in Patronam Provinciarum foederatarum (6).

6. *Concilia* quoque huic sententiae suffragantur. *Concilium Basileense* in Sess. XXXVI, anno 1439 habita, ita loquitur: « Hactenus difficilis quaestio super Conceptione ipsius gloriosae Virginis Mariae Matris Dei, et exordio sanctificationis eius facta est, etc. Nos diligenter inspectis auctoritatibus et rationibus, quae iam a pluribus annis ex parte utriusque doctrinae allegatae sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis et

(1) Lib. de Parturit. 5.
(2) Ep. 174 ad Canon. Lugdun.
(3) 3, q. 27, art. 1
(4) In 3 Scot. Dist. 3, q. 1, art. 8.
(5) V. Perrone op. cit. c. 12.
(6) Cf. Perrone op. cit. in Append. Sardagna Theol. dogm. polem. tom. 4, art. 1 Controv. 4, n. 81-86.

matura consideratione pensatis, doctrinam illam disserentem, gloriosam Virginem Mariam, praeveniente et operante divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali, sanctamque et immaculatam, tanquam piam et consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicae, rectae rationi et S. Scripturae, approbandam fore, tenendam et amplectendam definimus et declaramus, nullique de caetero licitum esse, in contrarium praedicare, seu docere: renovantes praeterea institutionem de celebranda sancta eius Conceptione, quae sexto idus decembris antiqua et laudabili consuetudine celebratur.» Concilium equidem iam in conciliabulum degeueraverat, dum hanc definitionem edidit, quae idcirco infallibilis non est, sed tamen firmum hac in re Episcoporum Basileae congregatorum consensum clare commonstrat. Concilium *Tridentinum* solemnem quidem de immaculata B. V. Conceptione definitionem non edidit, sed tamen magni momenti declarationem in fine sessionis V apposuit, dicens: *Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV, sub poenis in eius Constitutionibus contentis, quas innovat.* Quibus verbis Concilium declaravit, S. Scripturae et Ss. Patrum testimonia, quibus peccatum originale in omnes homines transfusum esse dicitur, non ita esse intelligenda, ut etiam quoad B. V. Mariam exceptio locum habere non possit, et sic praecipua contrariae sententiae argumenta prostravit, atque approbando Sixti IV decreta piae sententiae apertissime favit (1).

7. *Argumentum praescriptionis* sicut in aliis materiis, ita et in praesenti quaestione haud parvi ponderis est. Constat enim, fidelibus tam firmam de immaculata B. V. Conceptione persuasionem inhaesisse, ut non sine maximo scandalo contraria sententia publice proponi potuisset. Constat praeterea ex dictis (n. 2), iam prioribus Ecclesiae saeculis sat multos publice tum oretenus, tum scriptotenus Mariam a labe originali immunem dixisse, atque etiam Conceptionis eiusdem festum celebratum fuisse. Quamvis porro praecipue post damnatam haeresim pelagianam dogma de transfusione peccati originalis satis omnibus notum fuisset, nuspiam tamen, ante saeculum XII legitur, contra illos reclamatum fuisse, qui B. V. M. a peccato originali immunem dicebant, et eiusdem Conceptionis festum celebrabant. Id vero non aliter explicari potest, nisi quod tunc iam communis fuerit Ecclesiae fides, dum de transfusione peccati originalis agitur, B. V. Mariam excipiendam esse. Et sane, nisi alte haec persuasio fidelium mentibus insculpta fuisset, *Iulianus* pelagianus nunquam *S. Augustinum* arguisset, quod ipse doctrinam defendens de universali in omnes homines peccati propagatione infensior esset Mariae quam Iovinianus. « Ille enim, inquiebat Iulianus, virginitatem Mariae partus conditione dissolvit. Tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis:» videlicet, cum, te auctore et magistro, in omnes originalis labes propagetur, adeoque diaboli mancipia omnes efficias, ipsa quoque Virgo eadem conditione tenebitur, a quo christianae

(1) Cf Lambruschini op. cit. n. 8-12.

aures prorsus abhorrent. Nisi enim haec mens fuisset Iuliano, nunquam hic novator id S. Doctori obiecisset. Iam vero S. *Augustinus*, ut eam a se propulsaret calumniam, quam ipsi impingebat Iulianus, negat id consequens esse; quia etsi id ferret Mariae conditio, utpote communi ratione genitae, adeoque debitum et ipsa labem hanc contrahendi praeseferret; praeoccupata tamen speciali gratia nunquam in diaboli servitutem incidit. Talis est enim vis responsionis *S. Augustini:* « Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi » (1); perinde ac si diceret: Falsum est, quod ut certum tibi assumis: siquidem B. Virgo in conceptione ipsa per gratiam Salvatoris ab hoc debito soluta est, atque ideo nunquam in diaboli cessit potestatem. — Hic ipse fidelium sensus circa omnimodam B. V. a quovis peccato immunitatem ex alia *Pelagii* obiectione apud *S. Augustinum* elucet. Etenim ille haeresiarcha, ut evinceret posse hominem esse absque peccato, exemplum urgebat B. Virginis his verbis: « Ipsam Domini et Salvatoris nostri Matrem sine peccato confiteri necesse esse pietati. » Tantum vero abest, ut *Augustinus* id reiiciat, ut illud probet magis, atque confirmet, asserendo (2) se dum de peccato agitur, quaestionem nolle habere de Maria cui talis gratia concessa fuit, ut omni ex parte vinceret peccatum. Haec monumenta satis manifestant quid fideles de immaculata B. V. Conceptione iam saeculo quinto senserint. Et talis erga singulare B. V. privilegium devotio non solum nunquam decrevit, sed quod omnino mirum est, tunc maxima incrementa cepit, cum controversia hac de re ageretur, et contraria sententia etiam publice propugnaretur. Tantum enim abfuit, ut per haec conamina pia populi christiani fides imminueretur, ut potius maiori se luce in dies proderet, ita quidem, ut etiam ad scandala et tumultus praecavendos contrariam sententiam propugnantibus silentium a Summis Pontificibus imponi debuisset. Haec autem Ecclesiae discentis intima persuasio, Ecclesiae quoque docentis, a qua illa penitus dependet, consentientem fidem contestatur (3).

8. *Rationibus theologicis* eadem veritas illustrari solet. Certum est enim, Deum pro omnipotentia sua *potuisse* B. V. Mariam a peccato originali praeservare, et animam ipsius in primo creationis instanti iustitia originali exornare, sicuti etiam Angelos et protoparentes, eadem iustitia insignitos creavit. Quodsi cum *S. Thoma* dicatur, in Adamo omnium hominum, ab eodem naturali generatione descendentium, voluntates moraliter ita fuisse inclusas, ut, illo peccante, etiam istae defecisse censeantur: Deus tamen pro omnipotenti et liberrima voluntate sua, ita Adamum caput morale totius generis humani constituere poterat, ut ab hoc exciperetur B. V. Maria, ab aeterno in Matrem Unigeniti electa, ita ut Adam, quamvis esset ipsius caput in ordine physico, tamen non esset in ordine morali. Posita hac divina exceptione, Maria non potest dici in Adamo peccasse, sed dicenda est intuitu dignitatis et meritorum Filii sui, mundi Redemptoris, a peccato praeservata. — Deum autem Mariam a communi peccati lege praeservare non solum potuisse, sed etiam *actu voluisse*, Theologi ex decentiae seu congruentiae rationibus osten-

(1) Op. imp. c. Iulian. l. 4, c. 122.
(2) L. de nat. et grat. c. 36, n. 42.

(3) Cf. Perrone l. c. cap. 13.

dunt. Et sane, *a*) id ipsa dignitas Verbi incarnati postulat: Nam, ait Richerius (1), « cum omnis effectus naturam et proprietates suae causae aemuletur, corpus autem Christi ex sanguine B. Virginis efformatum sit; dato quod B. Virgo labe originali contaminata fuerit, insurgit quoque aliquam labem et veluti cicatricem peccati originalis in Christi corpus inustam fuisse, et continuo diabolum gloriari potuisse, aliquid in Christi corpore inesse, quod eius ditioni atque imperio aliquando fuerit obnoxium: ea nimirum de causa quod ex muliere in peccato originali concepta natus sit. » Cum autem id penitus abhorreat a summa dignitate divini Redemptoris, qui perfectissime de inferno triumphavit, et expresse dixit: *Venit princeps huius mundi, et in me non habet quidquam* (2); necessario concludendum est, excelsam ipsius matrem sine labe originali fuisse conceptam. *b*) Praeterea si Maria aliquando peccato originali infecta fuisset, eodem illo tempore odium Dei incurrisset. Quis autem non exhorreat cogitare, Filium Dei vel unico temporis momento illam odio habuisse, quam ab aeterno in dilectissimam suam Matrem elegit? — *c*) Ratio per fidem illustrata cognoscit potius convenientissimum fuisse, ut ille, qui per incarnationem verus ac naturalis Mariae Filius futurus erat, Matris honori et amori prospiceret: minime vero huic amori et honori consuluisset, si eam maculari originali vitio passus esset, cum potuisset singulari redemptionis ope immunem eam ab huiusmodi macula, integramque servare. *d*) Imo sicut Christus sibi Mariam in matrem, ita Spiritus sanctus sibi eam in Sponsam elegit. Iam vero Sponsam maxime decet puram, quoad fieri potest, atque immaculatam esse, praesertim vero ingenuam, quaeque alteri nunquam adhaeserit; idque eo magis, quo sanctior, atque excellentioris conditionis est Sponsus. Talis autem dici haudquaquam potuisset Maria, si aliquando tametsi ad temporis punctum peccatum fuisset infecta, ac satanae veluti mancipium propter culpam addicta. At enim tum Christus, tum Spiritus sanctus qui vel in ipso eius ortu, aut conceptione eam sibi desponderunt, substantialis sunt sanctitas: decebat igitur, eos intaminatam sibi B. V. servare, nec pati unquam, ut ipsa tali afficeretur contumelia. *e*) Denique Ecclesia Mariam totius Universitatis, proindeque Angelorum atque hominum omnium Reginam appellat; hi autem tituli inanes, ac nugatorii profecto non sunt, sed solido veritatis fundamento innituntur. Quodsi B. Virgo Angelorum Regina est, ac super choros Angelorum evecta, congruum videtur omnino, ipsam nulla ratione debuisse illa gratia carere, qua Angelorum agmina ac protoparentes a suae conditionis exordio ornati et aucti a Deo sunt, iuxta celebre *S. Augustini* effatum: « Erat Deus in eis condens naturam et largiens gratiam. » Alioquin serva rebellium Angelorum B. Virgo extitisset, quod nefas videtur de Angelorum cogitare Regina, qui nunquam gratia sunt destituti, nec propterea servi aliquando aut mancipia peccati fuere. Item non conveniebat, Mariam in gratiae ordine esse protoparentibus inferiorem, quorum Regina per gratiam erat futura: fuisset autem sane inferior, nisi Deus ipsam quoque in gratia sicut et illos condidisset. — Ex his et similibus rationibus ostenditur convenientissimum

(1) Ap. Herminier T. 6 de peccat. pag. 136 ed Venet. (2) Io. 14, 30.

fuisse, ut B. Virgo a labe originali praeservaretur. Et istae rationes non solum Theologis, sed etiam fidelibus minus cultis tam manifestae videntur, ut in genere loquendo, populus christianus illam sententiam abhorreat, quae in ipsam Dei Genitricem peccati originalis maculam impingit. Quae cum ita sint, recte etiam concluditur, Deum id etiam voluisse et fecisse, quod infinitae eius sapientiae, sanctitati et bonitati maxime consentaneum fuit; - iuxta principium a *S. Augustino* (1) praestitutum: « Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem » (2).

9. Ex hactenus perpensis argumentis aperte colligitur, quam merito inter fidei catholicae dogmata tam universalis fidelium consentio esset accensenda. Quod revera nostris temporibus factum est. Collectis enim undique Romae Episcopis, Summus Pontifex Pius IX, gloriosissime regnans (et quem Deus diu sospitem servet) an. 1854, die 8 decembris in solemni Immaculatae Conceptionis festo Bullam dogmaticam edidit, in qua *doctrinam de Immaculato B. V. Mariae Conceptu de fide credendam esse definivit.* Porro in apostolica hac Constitutione adseverat, Ecclesiam hanc doctrinam divinitus acceptam, et coelestis revelationis deposito comprehensam semper possedisse, et non solum fideliter conservasse, sed etiam eandem magis in dies explicare, proponere ac fovere nunquam destitisse. Observat etiam quod Romana Ecclesia nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis immaculatam Virginis conceptionem, eiusque cultum, et doctrinam asserere, tueri, promovere, et vindicare. Enarrat ideo quid Romani Pontifices ad cultum B. Virginis immaculate conceptae promovendum praestiterint, indulgentias eidem cultui concedendo, sodalitates, congregationes, religiosasque familias ad immaculatae Conceptionis honorem institutas comprobando, proprium officium, propriam Missam, et solemne Festum immaculatae conceptionis instituendo, genuinam de immaculato B. V. Mariae conceptu doctrinam exponendo, et aliter sentientes graviter coërcendo. Provocat deinde ad religiosas familias, ad celebriores theologicas Academias, et ad praestantissimos rerum divinarum scientia Doctores, a quibus catholica de immaculata Deiparae Virginis conceptione doctrina ita fuit tradita, asserta, hac propugnata, ut in maiori usque luce collocaretur. Provocat ad sollicitam Episcoporum curam, ut in suis dioecesibus cultus immaculatae conceptionis conservaretur, ac continuo promoveretur. Provocat ad *Concilium Tridentinum*, quod, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, solemniter declaravit, non esse suae intentionis in decreto ipso, tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam, et immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam. Provocat ad Ss. Patres, et Ecclesiae Scriptores, qui coelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata, et erudiendos fideles elucubratis summam Virginis Sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, eiusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis, mirisque modis certatim praedicare, atque efferre. Provocat denique ad ipsam S. Scripturam, in qua immaculata B. V.

(1) Lib. 3, c. 5, n. 13.

(2) Cf. Perrone l. c. P. I cap. 4

Mariae conceptio Gen. III, 15 praenuntiata, et variis modis praefigurata fuit. His praemissis, profitetur, quod peculiarem Em. Cardinalium, et doctissimorum Theologorum congregationem instituerit, in qua omnia, quae immaculatam Virginis conceptionem respiciunt, diligenter discuterentur; quod per Litteras Encyclicas die 2 februarii anno 1849 Caietae datas omnes totius orbis Episcopos provocaverit, ut S. Sedi scripto significarent, quae esset suorum fidelium erga immaculatam Deiparae conceptionem pietas ac devotio, et quid ipsi, praesertim Antistites, de hac ipsa definitione ferenda sentirent, et quod ultimo in Concistorio allocutionem ad Em. Cardinales habuerit, ut eorum quoque eadem de re sensus exploraret. Unanimem autem circa propositam doctrinam consensum et universale de ferenda definitione votum recognoscens, tandem ad ipsam dogmaticam definitionem procedit his verbis conceptam: *Ad honorem sanctae, et individuae Trinitatis, ad decus, et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae Religionis augmentum, auctoritate D. N. I. Christi, BB. Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra declaramus, pronunciamus, et definimus, doctrinam, quae tenet, Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu, Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint sentire, ii noverint, ac porro sciant se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semel poenis a iure statutis subiicere, si, quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.*

Dubitari nullatenus potest, allatam definitionem infallibilem esse et sufficere ad explicitum dogma fidei constituendum, ita ut, qui contrarium sentiat, vere haereticus sit. Gravissima enim argumenta probant, Romanum Pontificem, Ecclesiae Primatem, *si ex cathedra* loquitur, iam ex se infallibilem esse (v. Th. gen. §230). Sole autem clarius est, *Pium IX* Summum Pontificem *ex cathedra* locutum esse, quia praemissis praemittendis doctrinam revelatam pro tota Ecclesia de fide credendam solemniter definivit. Quodsi etiam inter Catholicos Theologos nonnulli extiterunt, vel etiamnum existunt, qui indigitatam Pontificis infallibilitatem in dubium trahunt, omnes tamen admittunt, constitutiones pontificias certe dogmaticas et infallibiles esse, si Episcopi per orbem dispersi omnes, vel saltem plurimi, ut moralis consensus prodeat, illis subscribant, easque assensu suo firment, quia tunc iam constat de totius Ecclesiae docentis consensu, quae circa revelationem errare non potest. Ast quod praefatam constitutionem *Pii IX* attinet, iam antea consensus Episcoporum circa materiam definiendam exploratus fuit; in illius promulgatione plurimi Episcopi Romae annuentes et approbantes aderant, eademque Bulla ab omnibus cum reverentia et gaudio acceptata fuit. Nec minimum ergo dubium de eiusdem infallibilitate exoriri potest.

Nota 1. Theologi affirmantes B. V. Mariam peccatum originale *non quoad*

actum, sed tamen *quoad debitum* contraxisse, in duplicem abeunt sententiam. Duplex enim peccatum originale contrahendi debitum distinguitur, *remotum*, et *proximum*. Illud est obligatio orta ex naturali descensu ab Adamo praevaricatore, vi cuius descensus omnes, qui ita nascuntur, praescindendo a speciali Dei privilegio et gratia, peccatum originale contrahunt. Debitum proximum est obligatio, seu necessitas proxima habendi maculam originalem in instanti animationis, orta ex alligatione nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami praevaricatoris. Unde, si voluntas Deiparae alligata fuisset voluntati Adami, eo ipso habuisset debitum proximum contrahendi maculam originalem, licet dein in primo instanti conceptionis vitalis per infusionem gratiae sanctificantis fuisset praeservata, ne peccato illo inficeretur; atque eo ipso moraliter peccasset in Adamo, non tamen peccatum originale contraxisset nascendo utpote speciali gratia praeventa.-Extiterunt nonnulli graves Theologi, qui non solum remotum, sed et proximum contrahendi peccatum originale debitum in B. Virgine agnoscendum esse putarunt. Ita senserunt *Suarez*, *Bellarminus*, *Vasquez*, *Tanner*, *Antoine* etc. Alii tamen, ut *Ambrosius Catharinus*, *Salmeron* et plerique recentiores Theologi dicunt, debitum proximum in B. V. Maria admitti non posse. Nam: *a*) debitum proximum est vera macula, verum peccatum in Adamo moraliter commissum, vera rebellio contra Deum, in quam voluntate moraliter propria consensit, qui talis debitor est: posito ergo illo debito, B. Virgo a poenis quidem peccati, non autem ab ipso peccato, in quo tota malitia consistit, immunis dicenda foret. - *b*) Debitum proximum conciliari non potest cum ea puritate adeo commendata a *S. Augustino*, *S. Anselmo*, et *S. Thoma*, qui dicunt, Mariam omni ex parte vicisse peccatum; ipsam ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi, nihil purius esse illa in rebus creatis; facile enim excogitari posset maior puritas, nempe in Angelis. - *c*) Admitti etiam non potest, voluntatem Mariae voluntati Adami alligatam fuisse, quia nullatenus conveniens erat, ut Domina subiiceretur servo, et Dei Genitrix Regina Angelorum, ac Mater spiritualis omnium viventium subderetur capiti multo inferiori, nempe Adamo. Maria igitur, ab aeterno in Matrem Verbi electa ob praevisa merita Filii sui, a reliquo genere humano ita segregata, excepta et gratia praeventa fuit, ut in Adam nullo modo peccaret, et debitum proximum huius peccati non contraheret. Haec conclusio convenit cum regula, quam iam proposuit *Petrus Cellensis* (1) scribens: « B. Virgini concedenda sunt omnia privilegia, quae ei fuisse negata, positive et efficaciter non probatur... et praesumptionibus standum est, donec probetur contrarium. » Regulam hanc ratam habuit *S. Thomas* (2) dicens: « Credendum omnino, ei (B. Virgini) collatum esse, quidquid conferri potuerit. »

Nota 2. Cum saeculo 14° controversia circa immaculatam B. Virginis Conceptionem exarsit, non pauci viri, doctrina et pietate conspicui praecipue ex inclyto Praedicatorum Ordine hanc admittere recusarunt, putantes, talem affirmationem dogmati de propagatione peccati originalis adversari. Ideo pro sententia sua negante varia argumenta protulerunt, quae hic refutanda sunt.

(1) Lib. 9, Ep. 9.

(2) In 3 Sent. dist. 3, q. 1, art. 1.

Obi. I. Textus S. Scripturae (§ 224), quibus adstruitur existentia peccati originalis, sunt ita generales, ut comprehendant omnes homines ab Adamo descendentes: ergo etiam B. Virginem comprehendunt.

Resp. Si argumentatio, prouti prolata est, valeret; etiam Christus, qui tanquam verus homo ab Adamo descendit, peccatum originale contraxisset, quod haereticum esset dicere. Ipsi ergo adversarii admittere coguntur, in citatis generalibus S. Scripturae sententiis locum habere exceptionem, quamvis haec in adlegatis locis conceptis verbis non exprimatur. Recte igitur etiam nos generalia S. Scripturae effata cum tali restrictione intelligimus, ut dicamus, omnes contrahere peccatum originale, nisi ab hoc speciali privilegio eximantur. Tale autem privilegium B. Virgini vere concessum esse, solidis iam argumentis probatum est. Eandem B. Virginem a peccato actuali, seu personali semper immunem fuisse, omnes catholici cum Concilio *Tridentino* (1) fatentur, cum tamen non minus generaliter dictum sit: *Non est homo iustus in terra, qui... non peccet* (2). Et: *In multis offendimus omnes* (3). Quod si ab istis generalibus effatis iuxta omnes B. Virgo ob singulare privilegium excipitur, redargui profecto non possunt, qui ob speciale privilegium B. Virginem etiam a peccati originalis macula eximunt, quamvis omnes homines in Adamo peccasse dicantur. Quod autem de fide non sit, in praefatis S. Scripturae sententiis etiam B. Virginem contineri, Concilium *Tridentinum* declaravit (4), dicens: *Non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato agitur, B. et immaculatam V. Mariam.* Constat praeterea, Rom. Pontifices sententiam, quae Mariam immaculate conceptam dicit, ut piam semper commendasse, atque praecepisse, ut Conceptionis festum in universa Ecclesia celebraretur. Quae quidem agendi ratio patefacit, obiecta Scripturarum eloquia peculiariter et proprie B. Virginem non tangere: alioquin nullo pacto ut *pia* aut propugnari, aut praedicari posset haec sententia, sed reiicienda, et damnanda esset ut falsa et impia, quippe quae aperte Bibliorum repugnaret auctoritati.

Obi. II. Christus omnes homines, adeoque etiam B. Virginem redemit; dicit enim Apostolus: *Unus mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus; qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (5). Quod si Maria peccatum originale non contraxit, dicendum quoque est, eam non fuisse redemptam a Christo.

Resp. Maria a Christo nullo modo redempta fuisset, si neque quoad actum, neque quoad debitum peccati originalis reatum incurrisset. Sed ultro fatemur, Mariam saltem remotum debitum ita incurrisse, ut ob naturalem ab Adamo progeniem peccatum originale incurrere debuisset, nisi ab hoc ob Redemptoris merita praeservata fuisset. His addimus, etiam ob dignitatem et merita Redemptoris factum esse, ut voluntas Mariae voluntati Adami non alligaretur, illaque debitum proximum peccati omnino non contraheret. Maria ergo multo magis de meritis Redemptoris participavit, quam caeteri homines. Duplicem enim redemptionem distinguunt Theologi, nimirum *reparativam*, qua quis soluto pretio a captivitate, quam incurrit, liberatur, et *praeservativam*, qua praecavetur, ne quis captivitati mancipetur, cui cete-

(1) Sess. 6, can. 23. (2) Eccl. 7, 21. (3) Iac. 3. (4) Sess. 5. (5) 1 Tim. 2, 58.

roquin, nisi solveretur pretium certo subiiceretur. Hanc vero praestantiorem esse, dubitari non potest; melius enim est, a malo praeservari, quam ex illo liberari. Caeterum in ipsa S. Scriptura redimi, seu liberari dicitur, qui a malo praeservatur. Sic Ps. CXLIII, 10 dicitur: *Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno eripe me;* ubi sermo est de gladio Goliathi, a quo David caesus quidem non fuit, caedendus tamen fuisset, nisi Deus ictum avertisset. Et Ps. LXXXV, 13 legitur: *Misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori;* in quem sane infernum nunquam decidit David; erat tamen praecipitandus, nisi Deus ipsum ab hoc lapsu praeservasset. Ideo *S. Augustinus* (1) scribit: « Nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit eam: gratias agens quid dicit? *Eruisti* animam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo: liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant; sed quia talibus meritis agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent, inde se recte dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci. » Recte ergo etiam B. Virgo, quae a peccato originali praeservata fuit, a Christo redempta, et quidem nobilissimo modo redempta dicitur.

Obi. III. Patres graeci et latini passim solum Christum a peccato originali excipiunt; carnem B. Virginis vocant carnem peccati, et Deiparam dicunt a Christo sanctificatam, mundatam, purgatam fuisse. Ergo pia sententia Patribus graecis et latinis, seu Traditioni divinae adversatur.

Resp. Inter Patres, quos longissima serie recensere solent adversarii, usque ad saeculum duodecimum ne unus quidem reperitur, qui vel expresse tradat, Deiparam originali peccato infectam fuisse, vel id ab anterioribus Patribus traditum esse referat, e contra multa eorundem testimonia inveniuntur (cit. n. 2), in quibus non obscure B. Virginem a labe originali eximunt. Relata igitur Patrum loca quibus dicunt, solum Christum a peccato originali eximi, in sensu accommodo accipienda, atque ab ipsis etiam adversariis limitanda sunt. Iidem quippe Patres dicunt, non tantum omnes homines praeter Christum concipi, verum etiam nasci cum peccato, et solum Christum non ab originali tantum, sed etiam a personali peccato immunem esse: quam doctrinam ut fidei dogma tradunt, oppositam vero tanquam haereticam explodunt, ut patet ex *S. Augustino* (2) et *S. Fulgentio* (3). Quis autem adversariorum dicere audeat, Nativitatem Deiparae sanctam non fuisse, B. Virginem peccata actualia commisisse, aut piam sententiam haereticam esse, praecipue cum *Sixtus IV* et Concilium *Tridentinum* hanc ipsam assertionem erroneam esse declaraverint? — Patres igitur tantummodo contra haereticos contendebant, iuxta legem communem omnes homines, praeter Christum, subesse peccato originali, et solum Christum rationi suae Conceptionis eo quod non ex commercio viri et mulieris natus fuerit, ab eo incurrendo fuisse immunem, sicut ab ipso etiam debito illud incurrendi. Sic autem intellecta eiusmodi testimonia catholicam sententiam non tangunt. Non enim dicimus, B. Virginem ex communi lege, aut ratione suae Conceptionis, sed ex privilegio et gratia singulari ob merita Christi exemptam fuisse a noxa originali. —

(1) Enar. in Ps. 85.

(2) L. 6, c. Iul. c. 4. (3) L. de fide c. 26.

Praeterea Patres, quando carnem Deiparae appellant *carnem peccati*, intelligi nec debent, nec possunt de formali originis peccato, tum quia peccatum originis formale non est in corpore, sed in anima, tum quia carnem peccati appellant, priusquam anima in ipsam confusa fuerit, ut loquitur *S. Augustinus* (1); tum quia iidem Patres hanc appellationem carni Deiparae convenisse significant ipso etiam Dominicae incarnationis tempore, ut patet ex *S. Augustino* (2) et *S. Fulgentio* (3); neque tamen ullus Patrum censuit, B. Virginem usque ad id tempus originali peccato infectam fuisse. Igitur per *carnem peccati* nihil aliud intellexerunt, quam carnem per carnalem concupiscentiam ex semine utriusque parentis propagatam, quae concupiscentia effectus est peccati originalis, et nisi singulare Dei privilegium intercedat, via est, qua transfundatur in foetum cum primum animatur. Sicut igitur in Scriptura ipsa concupiscentia peccatum dicitur, quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat ita etiam caro Deiparae per concupiscentiam parentum propagata, caro peccati a Patribus nuncupatur. His addi potest, carnem Deiparae dictam fuisse carnem peccati, quoniam Maria, quamvis peccatum originale non contraxerit, illam tamen naturam corpoream habuit, quae in caeteris hominibus corrupta est per peccatum. In hoc sensu Patres interdum vel ipsam carnem Christi vocant carnem peccati, ut *S. Hilarius* (4) de Christo dicit: « carnem peccati recepit; » *S. Gregorius Naz.* (5) ait, a Verbo assumptam esse « carnem damnatam. » Nemo tamen, qui vecors plene non sit, affirmabit ob huiusmodi locutiones hosce Patres existimasse, Christum originale peccatum contraxisse; ita nemo prudens ob easdem locutiones dixerit, allegatos Patres censuisse, B. Virginem labem originalem vere incurrisse. — Si Patres Mariam a Christo purgatam, seu mundatam dicunt, id tantum affirmant, ipsam per merita et gratiam Redemptoris a peccato originali et actuali praeservatam fuisse, ita ut semper ab omni sorde immunis, pura et munda esset. Multo minus huic sententiae opponuntur loca, in quibus Maria sanctificata dicitur; hisce enim terminis solum indicatur copiosa gratia B. Virgini tum in utero matris existenti, tum Verbum concipienti concessa, aut etiam asseritur, Mariam speciali modo Deo consecratam et cum Deo unitam esse: quo in sensu Christus semetipsum sanctificatum dicit: *Quem Pater sanctificavit* (6).

Obj. IV. Doctores in Ecclesia celeberrimi Mariam contraxisse peccatum originale adseverarunt. *S. Anselmus* (7) ait: « Virgo ipsa, unde assumptus est (Christus), est in iniquitatibus concepta, et in peccatis concepit eam mater eius, et cum originali peccato nata est: quia et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt. » *S. Bernardus* (8) reprehendit Canonicos Lugdunenses, quod festum Conceptionis B. Virginis in sua Ecclesia instituerint, et non solum redarguit modum, quo id inconsulta Sede Apostolica perfecerant, sed ipsum quoque impetiit Conceptionis cultum eo quod careret convenienti obiecto; nam de ipsa conceptione ita disserit: « Restat, ut post conceptum in utero existens sanctificationem accepisse credatur, quae excluso peccato sanctam fecerit Nati-

(1) L. 2 de pecc. merit. et remiss. c. 36.
(2) L. c. cap. 34.
(3) Lib. de incarn. et grat. cap. 6.
(4) L. 1, de Trin.
(5) Or. 51, n. 18.
(6) Io. 10, 36.
(7) L. 2. Cur Deus homo, c. 16.
(8) Ep 74.

vitatem, non tamen et conceptionem.» Demum *S. Thomas* (1) scribit: « Esse sine peccato dicitur esse proprium Christo, quia nec originali, nec actuali peccato fuit unquam infectus. Virgo autem Mater eius fuit quidem originali peccato infecta, a quo, antequam nasceretur, fuit mundata, sed ab actuali peccato fuit omnino immunis. » Et alibi (2) dicit: « Sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante animationem, nec instanti animationis, sed post animationem; aliter enim non incurrisset maculam peccati originalis, et per consequens non indiguisset redemptione facta per Christum. » In expositione vero Salutationis Angelicae scribit: « Christus excessit B. Virginem in hoc, quod sine peccato originali conceptus, et natus est; beata autem Virgo in originali peccato concepta fuit, sed non nata.» Eiusdem sententiae fuerunt *Alexander Alens.*(3), *S. Bonaventura*(4), *Gregorius Ariminensis* (5) et alii multi.

Resp. Cum de fide nondum extitisset definitum, B. Virginem immaculate conceptam fuisse, et, ineunte Scholasticorum aevo, de traditione et sensu Ecclesiae non satis constaret, atque ideo hac de re controversia ageretur; mirum non est nonnullos doctrina et sanctitate celebres viros sententiae B. Virginis privilegium neganti adhaesisse. Horum auctoritas autem tanta non est, ut argumenta pro sententia affirmante allata enervare possit. Id clarius apparebit, si obiecta nobis testimonia singillatim perpendantur.-*a*) *S. Anselmus* verba allegata non ut a se, sed ut a Bosone suo collocutore et discipulo in eum modum inquirente et argumentante prolata refert; et quamvis ipse respondendo verba illa non corrigat, non ideo tamen illa approbat, sed praetermittit; tum quia scopus eius erat ostendere, Christum ab originali peccato immunem esse, quantumvis etiam de matre peccatrice conceptus foret; tum quia, ipso nesciente, ab aliquibus festinanter descriptus est liber ille, antequam ultimam ei manum admoveret. Ideo subiungit *S. Anselmus* (6): « Plura, quae tacui, inseruissem et addidissem, si in quiete et congruo spatio illud mihi edere licuisset. » Suam sententiam S. Doctor (7) tam clare manifestavit, ut vel ipsi Centuriatores Magdeburgenses (8) agentes de doctoribus Britannis, naevis illis quibus doctrina S. Anselmi ipsis videbatur aspersa, et hunc accensent quod senserit, « omnes in peccatis mortuos, dempta solummodo Matre Dei: » *b*) *S. Bernardus* piae sententiae non adversatur; locutus est enim de prima Virginis conceptione, quam *activam* vocant, non autem de conceptione *passiva*, seu de animationis momento: Siquidem ex ipsius mente Virgo sancta esse non potuit priusquam conciperetur, cum nequiverit « ante sancta esse, quam esse; » sed nec in ipso conceptionis momento id potuit: « quomodo namque, ipse pergit, aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit, aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit ? Nisi forte quis dicat, de Spiritu sancto eam, et non de viro conceptam fuisse; sed id hactenus inauditum etc.; » ex quibus verbis patet, S. Doctorem solum negasse conceptionis activae sanctitatem, ex quo nullatenus sequitur, ipsum etiam negasse conceptionis passivae sanctitatem, quam potius admit-

(1) In 3. Sent. dist. 3. a. 2.
(2) 3, q. 27, art. 2.
(3) 3 P. Q. 9, memb. 2, a. 2.
(4) In 3 Sent. dist. 3.
(5) In 2 Sent. dist. 3, q. 2.
(6) P. 74 operum suorum (edit. Gerberon.)
(7) L. c. (n. 2), et alibi.
(8) Centuria 11, cap. 10.

tere videtur, quia B. Virginem in utero materno sanctificatam dicat: quin tempus determinet aut instans distinguat, in quo illius anima sanctificata non fuerit. Ita mentem S. Bernardi exposuerunt *Alexander Al.*, *Albertus M.*, *S. Thomas* et alii, qui citata illius verba ad eum tantum scopum adducunt, ut probent, B. Virginem ante animationem sanctificari non potuisse. Satis sit hic verba *S. Bonaventurae* referre, qui (1) ita disserit: « Non huic obviant dicta S. Bernardi. Potius enim intendit excludere errorem, ne quis credat Virginem sanctificatam in Conceptione (activa scilicet, praecedente animae infusionem, de qua loquitur), quam erga Virginem nostram devotionem minuere. » Ac, obiecto sibi hoc Bernardi contextu: « nec in ipso conceptu (sanctificari poterat) propter peccatum, quod inerat, » - ita difficultatem solvit: « Constat, quod illud non est dictum proptor peccatum quod esset in parentibus, quia potuissent ipsam concipere sine peccato: ergo dicit propter causam peccati, quae erat in carne. Ergo videtur, quod sanctificatio Virginis non fuerit ante infusionem animae. » Caeterum S. Bernardus suam sententiam in eadem epistola iudicio Romanae Ecclesiae penitus subiecit, et si cognovisset, ab hac Conceptionis festum omnibus praecipiendum fore, totis viribus propugnasset, Mariam immaculate conceptam fuisse, sicut sanctitatem eius Nativitatis defendit ob solemnem huius festi celebrationem. —*c*) Locis ex *S. Thoma* citatis opponimus illa, in quibus idem angelicus Doctor immaculatam Mariae conceptionem profitetur; ut n. 2. Praeterea (2) scribit: « Christus corpus suum *posuit in sole*, id est, in B. Virgine, quae nullam habuit obscuritatem peccati iuxta Cant. IV, 7. » In cap. 3, Ep. ad Galat. (3) dicit: « Mulierem ex omnibus non inveni, quae omnino a peccatis immunis esset ad minus originali, vel veniali. Excipitur purissima et omni laude dignissima Virgo Maria, quae omnino a peccato immunis fuit, originali et veniali. » Ne ergo dicatur, tantum doctorem sibi contradixisse, multi tum antiquiores, tum recentiores putarunt, testimonia huic sententiae contraria interpolata fuisse, quoniam non in omnibus editionibus inveniuntur. Ast talem interpolationem fictitiam esse, ostendit *B. M. De Rubeis* (4). Ideo alii dicunt, S. Thomam, dum Mariam in peccato originali conceptam dicit, solum loqui de conceptione activa, vel de debito peccatum originale contrahendi. Quidquid autem sit de mente huius Doctoris, certum est, quod, iuxta ipsius principia, sicut Nativitas B. V. ita et eiusdem Conceptio in primo animationis instanti sancta sit habenda, quoniam sicut illa, ita et haec ab Ecclesia festive celebratur (5). Caeterum quantacunque sit auctoritas *S. Thomae*, et aliorum Theologorum scholasticorum tanta tamen non est, ut iudicio, aut sensui Ecclesiae praeferri possit, quae huic sententiae semper apertissime favit, tandemque eam definivit.

Obi. V. B. Virgo peccati originalis effectibus, seu poenis subiecta fuit, nimirum fami, siti, lassitudini, doloribus, ac ipsi morti: ergo etiam peccatum originale contraxit.

Resp. Natura humana finita, ac ideo ex se defectibus, ac dissolutioni obnoxia est; quaproter § 207 probatum fuit etiam in statu naturae innocentis homines immortales fuisse, non

(1) In 3 Sent. dist. 3, q. 1 ad 4.
(2) Comment. in Ps. 18, 5. (3) Lect. 6.
(4) In suis diss. criticis.
(5) Cf. Sardagna l. c. n. 109-112, Em. Lambruschini l. c. n. 36-43.

ex conditione suae naturae, sed ex gratia Conditoris. Nullatenus ergo ex istis poenalitatibus, quae physicae plane sunt, omnisque turpitudinis expertes, concludere licet B. Virginem peccatum contraxisse. Quamvis enim Deus istis poenalitatibus utatur ad peccatum puniendum; persaepe tamen iisdem etiam iustos affligit, ut nobiliores virtutes exerceant, maioraque sibi praemia comparent. Ipse Christus in humana sua natura famem, sitim, dolores et ipsam mortem pertulit, quin tamen noxae originali obnoxius fuerit, aut vero etiam esse potuerit. Convenientissimum ergo erat, ut etiam B. Virgo Filio suo Redemptori similis fieret, et, quamvis ab omni peccato immunis, dolores ipsamque mortem perferret. Rectissime igitur Romani Pontifices propositionem 73am Baii proscripserunt asserentis: « Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis. »

Nota 3. Protestantes nonnulli clamitant, per dictam definitionem novum dogma in Ecclesia ortum, et ideo fidem immutatam fuisse, quae sicut ipsa Christi revelatio, semper una et eadem esse debet. Sed haec criminatio falsa et iniusta est. Ecclesia enim, cum dogmata definit, non novam Revelationem affert, sed solum fideles infallibiliter certos reddit, doctrinam, de qua agitur, divinitus revelatam, et ab Apostolis, eorumque successoribus ad credendum propositam fuisse. Sic Concilium *Nicaenum I* dum definivit, Christum verum Deum esse, Filium unigenitum, consubstantialem Patri, non novum dogma condidit, quia iam praecedentibus saeculis orthodoxi omnes, ab Apostolis et eorum successoribus edocti, Divinitatem Christi Filii Dei crediderunt. Quia autem Ariani hanc fundamentalem Religionis christianae doctrinam impugnare sunt ausi, ne fideles a recta fide averterentur, Ecclesia ad solemnem definitionem processit. Hoc idem de definitionibus caeterorum Conciliorum dicendum est, in quibus non nova dogmata procusa sunt, sed solum veritates divinitus revelatae, et ab Apostolis traditae magis explicatae, dilucidatae, et pro bono fidelium authentico, infallibili, ac solemni testimonio confirmatae fuerunt, ut iam fusius explicatum est in introductione § 5, Nota 2. — Eadem ratione summus Pontifex Pius IX immaculatam Deiparae conceptionem definiens non novum dogma introduxit, sed veritatem, quae iam antea credebatur, explicavit, dilucidavit, eamque vere divinitus revelatam, et ab Apostolis traditam fuisse, authentico, infallibili, et solemni testimonio confirmavit. *Christi enim Ecclesia*, ut ipsemet in sua constitutione sapientissime loquitur, *sedula depositorum apud se dogmatum custos et vindex, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua antiquitus informata sunt, et Patrum fides sevit, ita limare, expolire studet, ut prisca illa coelestis doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.*

Nota 4. Ex attenta pertractati mysterii consideratione saluberrima hauriri possunt documenta. Deus enim dilectissimam Matrem suam non a

tribulationibus huius vitae. sed solum a peccato praeservans, et eandem non divitiis et honoribus, sed solum gratia sua replens, clare ostendit, solum peccatum esse verum malum, quod omnem horrorem meretur, et solam gratiam divinam esse bonum illud, quod maximi aestimandum est. — Amor Dei erga Mariam elucet ex immaculata huius Conceptione, et amor Mariae erga Deum elucet ex immaculata eiusdem vita.— Dignitas Matris Christi exegit immaculatam Conceptionem; et dignitas membri Christi exigit immaculatam vitam. Nos quidem in peccato concepti, sed ab hoc in baptismo purgati sumus. Immaculatam ergo animam conservemus in via mandatorum divinorum ambulantes. Nam *beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (1).

ARTICULUS IX.

De essentia peccati originalis.

§ 227. Quam explorata apud Catholicos est existentia peccati originalis, tam explicatu difficilis semper visa est eiusdem essentia, seu natura. Hanc difficultatem agnovit *S. Augustinus* (2) scribens: « Antiquo peccato nihil est ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. » Deo enim pro sua in nos bonitate placuit, peccati originalis in omnes homines propagationem certissime revelare, ut omnes suam miseriam cognoscentes ad Christum Redemptorem, qua par est, fiducia confugerent; ipsi autem non placuit nobis eadem certitudine manifestare, quaenam eius natura sit, aut quomodo ab Adamo in eius posteros propagetur, quoniam horum cognitio ad praefatum finem nullatenus requiritur. Idcirco etiam Synodi Tridentinae Praesides, ut refert Card. *Pallavicini* (3), nihil a Patribus definiendum censuerunt de peccati originalis essentia, seu natura. Theologi tamen tum antiquiores, tum recentiores, inter Catholicos et Protestantes peccati originalis naturam et essentiam declarare et determinare tentarunt, in qua explicatione nonnulli in graves errores prolapsi sunt: contra quos ut praemuniamur, *falsas sententias refellere, sententiam autem verisimiliorem, et inter Theologos catholicos communiorem declarare et comprobare* oportet.

I. *Erroneae sententiae refelluntur.*

§ 228. 1. *Matthias Flacius Illyricus*, Theologus lutheranus, asseruit, peccatum originale non esse aliquod accidens, animam foede deturpans, ut omnium communis est persuasio, sed esse *ipsam animae substantiam a bona in malam essentialiter commutatam*, quomodo aliquando contingit, vinum optimum in acetum acerbissimum converti. Hunc errorem usque ad mortem acerrime propugnavit, contendens, etiam Lutherum eiusdem sententiae fuisse, quod et ex huius scriptis liquet, ut probat Cl. *Möhler* (4). Non pauci ex Lutheranis Flacii sententiam adoptarunt, qui *Substantialistae* dicti sunt. — Ast difficile non est, absonam hanc sententiam refutare. Nam *a*) ipsae Ss. Litterae ostendunt, peccatum originale non esse nisi aliquod pravum accidens, animam quidem graviter deturpans, non tamen internam eius substantiam immutans. S. Paulus dicit: *quod habitat in me peccatum* (5),

(1) Ps. 118, 1.
(2) L. 1 de moribus Eccl. c. 22.
(3) L. 7 Hist. Conc. Trid. c. 10.

(4) In Defens. suae Symbol. c. Braun, § 7, pag. 44. praec. in nota.
(5) Rom. 7, 17.

mihi malum adiacet (1); *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum*(2); ac semper sacri Scriptores de originis culpa ita loquuntur, ut intelligamus eam esse animae maculam, quae abstergi debet et potest, quin eiusdem animae substantia intrinsecus immutetur. *b*) Omnes substantiae a Deo creatae sunt; nam: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est* (3); ergo etiam animae creator Deus est (§ 195): quod si substantia animae in se mala, seu peccatum est, Deus ergo ipse, qui eam creat, auctor peccati constituitur. Quis autem non videt, talem assertionem tum recto Dei conceptui, tum sacrae Scripturae aperte repugnare, quae dicit: *Omnis creatura Dei bona est* (4). — *c*) Si non ipse Deus auctor peccati statuitur, necessario renovatur error Marcionitarum et Manichaeorum asserentium, malam esse substantiam, quam non fecisset Deus, et quae in homine fons esset et origo omnium peccatorum. Constat autem, quantum Ss. Patres et Concilia hunc errorem perpetuo execrati sint. Neque Illyricus per hoc a Manichaeorum errore se purgat, quod mali naturam neque sempiternam, neque absque principio fuisse fateatur, siquidem cum Manichaeis admittit aliquam substantiam esse malam, et non a Deo, sed a diabolo procreatam, et cum iisdem docet, peccatorum nostrorum causam non esse liberum arbitrium, sed substantiam illam malam; in qua doctrina purus putidusque Manichaeismus continetur (5). — *d*) Eadem sententia etiam rectae rationi adversatur, quae cognoscit substantiam animae simplicem, et ideo incorruptibilem esse. Neque ullatenus concipi et declarari potest, quomodo peccatum actuale Adae substantias animarum nondum existentium corrumpere potuerit. *e*) Denique *Concilium Tridentinum*, doctrinae S. Scripturae et Traditionis insistens (6), definivit, per baptismum tolli id totum, quod rationem habet peccati: non tollitur autem animae substantia per baptismum: in hac igitur peccati originalis essentia consistere nequit. — Perperam provocat Flacius ad loca Scripturae, in quibus peccatum dicitur: Gen. VIII, 21 (in textu hebr.) *figmentum cordis humani malum*: Rom. VI, 6, *vetus homo-corpus peccati*: v. 12 regnans *in corpore mortali*: VII, 8 operans *omnem concupiscentiam*; quibus verbis peccato substantia tribui videtur. Nam S. Scriptura in citatis locis figurate et metaphorice loquitur. Sic figmentum cordis non dicitur ipsa cordis substantia, sed cogitatio, quae a corde fingitur: per hominem veterem significatur vetus vita, quae agitur in peccatis, sicut per hominem novum vita nova, quae virtutibus exornatur, et per corpus peccati congeries et multitudo peccatorum denotatur, quam male vivendo contraximus: peccatum in corpore regnare dicitur, quando concupiscentia ardentius incitata voluntatis consensum eblanditur: denique peccatum dicitur operari concupiscentiam per modum removentis obstaculum; cum enim peccatum originale formaliter sit privatio iustitiae originalis, removet obstaculum peccati, id est gratiam sanctificantem; et anima hac privata a Deo avertitur et ad commutabilia inclinatur (7).

2. Nonnulli antiquiores Scholastici cum *Gregorio Ariminensi* essentiam

(1) Rom. 7, 21. (2) Hebr. 12, 1. (3) Io. 1. (4) I Tim. 4, 4. (5) Cf. Möhler. l. c.

(6) Sess. 5, can. 5. (7) Cf. Sardagna T. 4, Controv. 2, art. 1, n. 44 etc.

peccati originalis reposuerunt *in qualitate morbida* ab Adamo in posteros transfusa; imo duplicem isti morbidam, qualitatem distinxerunt, aliam quidem carnis, aliam vero animae et priorem posterioris causam esse dixerunt, quatenus caro per peccatum vitiata vitium suum animae, cui unitur, communicat.— Sed ista sententia admitti nequit. Nam *a*) nulla huius qualitatis morbidae assignari potest causa: non sibilus serpentis, ut quidam fabulati sunt, serpens enim non Adamum, sed Evam affatus est; non fructus vetitus, qui ex se bonus erat; non Deus, alioquin esset auctor peccati. — *b*) Non potest explicari, quomodo haec morbida qualitas transeat a corpore in animam et hanc peccatricem reddat; res enim corporea per se non ita agere potest in spiritum, ut ei peccatum imprimat. Quodsi morbida qualitas, animam coinquinans, dicatur res esse spiritualis, videretur renovari error Massalianorum, qui ineptissime docebant, per peccatum originale satanam tanquam alteram animam habitare in homine, et in omnibus dominari: qualis error damnatus fuit in *Concilio Ephesino* (1). — *c*) Vel morbida illa qualitas inhaerens animae deletur omnino per baptismum, vel adhuc manet quoad substantiam in renatis; - si manet, ergo per gratiam in baptismo collatam non tollitur omne id, quod veram et propriam rationem peccati habet, qui error est a Tridentino damnatus. Si vero deleri dicitur: ergo cum qualitas illa morbida nihil aliud sit quam concupiscentia, post baptismum non manet eadem concupiscentia quoad substantiam, quae erat prius ante baptismum. At concupiscentiam simpliciter manere in baptizatis, Tridentinum fatetur. — Si *S. Augustinus* et alii Patres ob peccatum originis hominibus morbidam qualitatem tribuunt, per banc non essentiam peccati determinant, sed concupiscentiam et alios effectus peccati explicare tentant (2).

(1) V. Photii Bibliot. Cod. 51.

3. Ex lib. *S. Anselmi* de conceptu virg. et orig. pecc. (3) discimus, fuisse aliquos docentes, peccatum originale nihil esse aliud, quam protoparentis nostri inobedientiam omnibus eius posteris imputatam. Eandem sententiam saeculo 16° tenuerunt *Albertus Pighius* et *Amb. Catharinus*, contendentes, labem originalem *esse ipsum actuale Adami peccatum*, posteris non intrinsece inhaerens, sed extrinsece tantum eos denominans peccatores. — Sed haec sententia, quam nonnulli de Pelagianismo accusabant, penitus est reiicienda. Nam *a*) Rom. V, 12 dicitur: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum* (scilicet in omnes homines) *intravit*, et *in quo omnes peccaverunt;* ergo non sola poena in posteros transiit, sed et peccatum in ipsos intravit, ita ut et ipsi proprium peccatum habeant. Unde *S. Anselmus*, praefatum errorem refutans, ait: « Considerandnm diligenter, quia non portant infantes peccatum Adae, sed suum. Nam aliud fuit peccatum Adae, aliud est peccatum infantium, illud enim fuit causa, istud effectus. » *b*) Apostolus, Rom. V, comparat peccatum originale, quod ab Adamo contrahimus per generationem, iustitiae, quam accipimus a Christo per regenerationem: atqui non sumus iusti iustitia Christi personali, sed unusquisque est iustus iustitia propria sibi inhaerente: sicut ergo non solum extrinsece, sed vere etiam intrinsece per Christum constituimur

(2) V. August. l. 11 de Gen. ad lit. c. 32.
(3) Cap. 26.

iusti; ita et per Adamum non solum extrinsece, sed et intrinsece constituti sumus peccatores. *c*) *Concilium Tridentinum* docet Sess. V, peccatum Adami *propagatione transfundi*, non ergo per solam imputationem: docet praeterea, *esse unicuique proprium*, et Sess. VI, c. 3, singulos homines *propriam iniustitiam contrahere*, quae dici non possunt de actuali peccato Adae: eos quoque anathemate ferit, qui dicunt, parvulos *nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod necesse sit expiari* etc.; ergo Concilium cognoscit in infantibus verum et proprium peccatum, quod in baptismo vere remittitur. — *d*) Si non aliter homines contrahunt peccatum originale, quam *per imputationem*; eos dicendum erit ab hac contagione liberari *per non imputationem*. id vero negat citatum Concilium, eos anathemate damnans, qui dicunt, per Iesu Christi gratiam, quae in baptismate confertur, reatum peccati originalis *tantum non imputari*.

4. Aliqui *cum Durando* dixerunt, peccati originalis essentiam consistere *in reatu poenae*. Ast haec quoque sententia, priori admodum affinis, merito repudiatur. Nam *a*) reatus poenae est effectus peccati, quod supponit et a quo profluit; est enim obligatio ad poenam subeundam propter praecedentem culpam; ergo eiusmodi obligatio est effectus culpae, non ipsa culpa. *b*) Iuxta doctrinam catholicam non solum poenae seu effectus peccati originalis in posteros transierunt, sed et peccatum; quoniam et Apostolus dicit Rom. V, 12, *in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. *c*) In baptismo tollitur id, quod veram rationem peccati habet; sed post baptismum manent homines subiecti miseriis, morti et aliis poenis peccati; ergo in reatu poenae non consistit essentia peccati originalis.

5. *Lutherani* et *Calviniani* communiter dicunt, peccatum originale nil aliud esse quam *concupiscentiam*, quae est internus stimulus, quo homines perpetuo sollicitantur ad appetenda bona creata contra ordinem rationis. Non ergo hic per concupiscentiam illa sola libido intelligitur, quae allicit ad luxuriam, seu peccata carnalia, sed etiam pronitas, seu proclivitas ad caetera peccata, ut ad superbiam, ambitionem, invidiam, avaritiam, iram, etc. In hac concupiscentia Protestantes ita peccati originalis essentiam reponunt, ut dicant, illam etiam in baptizatis verum esse peccatum, quod tamen tegitur et non imputatur ob merita Christi. Eundem fere errorem propugnavit *Baius*, ut patet ex eius propositione 51 damnata, quae ita sonat: « Concupiscentia, sive lex membrorum et prava eius desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. » Nuperrime sententiae Protestantium adstipulatus est *G. Hermes*, qui in sua Dogm. Christ. cath. (1) scribit: « Ego ex rationibus cap. praec. § 226 adductis utique peccatum originale in inordinata sensualitate reponam. » — Ast concupiscentia est quidem effectus, nullatenus autem essentia peccati originalis, quia in se spectata formale peccatum non est. — Id probatur *a*) *ex S. Scriptura*. Nam Eccli. XVIII, 30 dicitur: *Post concupiscentias tuas, non eas*; ex quibus verbis ita argumentatur *S. Augustinus* (2): « Frustra dictum est: *Post concupiscentias tuas, non eas*, si iam quisque reus est, quod tumultuantes, et ad mala trahere nitentes sentit eas. » Iac. I, 14, etc. legitur: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua*

(1) P. 3, pag. 171. (2) L. 5, c. Iulian. c. 3.

abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem; quibus verbis concupiscentia clare distinguitur a peccato, sicut causa ab effectu, ut observat *S. Augustinus* (1), dicens: « In his verbis partus a pariente discernitur; pariens enim est concupiscentia; partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, nec concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum. » Paulus dicit: *Nihil ergo damnationis est in iis, qui sunt in Christo Iesu* (2) (per baptismum): ergo in istis non est peccatum originale, per quod iuxta eumdem Apostolum omnes homines subiiciuntur *condemnationi* (3). Sed concupiscentia in baptizatis remanet: ergo haec non est peccatum originale. Neque Apostolus dicit, baptizatis nihil damnationis inesse, quia peccatum originale tegitur, et non imputatur, sed quia *consepulti* sunt cum Christo *per baptismum in mortem* (4) etc.; quia *abluti*, et *sanctificati* sunt *in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (5), et quia *lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti* (6) acceperunt. Quomodo autem consepulti (quoad veterem hominem), abluti a sordibus, sanctificati, regenerati et renovati dici possent, si post baptismum in ipsis peccatum remaneret? — *b*) *Ss. Patres* concupiscentiam a peccato originali aperte distinguunt, hoc in baptismate penitus deleri dicunt et concupiscentiam in homine sine peccato adesse posse docent. *S. Chrysostomus* (7) ait: « Non simpliciter dixit: Qui concupierit, sed qui viderit mulierem ad concupiscendum, id est, qui concupiscentiam sibi consciverit, quique nullo omnino cogente quiescenti cogitationum feram subito immiserit. Hoc enim non iam naturae est, sed propriae desidiae. » *S. Hieronymus* (8) scribit: « Quomodo iustificati sumus et sanctificati, si peccatum aliquod in nobis relinquitur? » — *S. Augustinus* (9) expressis verbis dicit, quod concupiscentia non sit peccatum in regeneratis, et (10) explicat, quo sensu appellatur peccatum his verbis: « Sic autem vocatur peccatum, quia a peccato facta est, cum iam in regeneratis non sit ipsa peccatum; sic vocatur lingua locutio, quam facit lingua, et manus vocatur scriptura, quam facit manus. » Serm. 6 de verbis Apost. inquit: « Restat ergo cum carne conflictus (in baptizatis), quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas. » Lib. 6 c. Iulianum (11) hunc ita alloquitur: « Tu autem, qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. » *S. Gregorius M.* (12) scribit: « Si qui sunt, qui dicunt, peccata in baptismate superficie tenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant solvere? In quo principaliter ad coelestis munditiae mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus a peccatis omnibus soli illi inhaereat, de quo Psalmista ait: *Mihi adhaerere Deo bonum est.* » — *c*) *Concilium Tridentinum*, Sess. V, can. 5 ita statuit: *Si quis per I. C. D. N. gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet, sed il-*

(1) L. 6, c. Iulian. c. 15. (2) Rom. 8, 1.
(3) Rom. 5, 18. (4) Rom. 6, 4.
(5) 1 Cor. 6, 11. (6) Tit. 3, 5.
(7) Hom. 17 in Matth.
(8) In Ep. ad Ocean.
(9) L. de nupt. et conc. c. 23 (Cf. 26).
(10) Ibidem. (11) C. 16.
(12) L. 9 Epist. ad Theoctist.

lud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit. In eodem autem canone addit: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur, et sentit; quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non valet: quin imo qui legitime certaverit, coronabitur.* — Itaque si in baptismo omne id tollitur, quod peccati rationem habet, concupiscentia vero non tollitur, haec peccati veram et propriam rationem non habet, et ideo essentiam peccati originalis constituere nequit. Denique Concilium concludit: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* d) *Sana ratio* dictat, illud non posse constituere essentiam peccati, quod sine peccato homini inesse potest. Sed eadem ratio docet, hominem, qui se ad illicita vehementer illectum sentit, sed ex reverentia legis huic stimulo repugnat eumque vincit, non solum nullum peccatum committere, sed strenuam virtutem exercere: ergo concupiscentia, quae sine peccato esse potest, huius essentiam constituere nequit. Praeterea si concupiscentia peccati originalis essentiam constituit, haec est vel concupiscentia actualis, cuius stimuli contra legem actu sentiuntur, vel habitualis, cuius stimuli actu non sentiuntur; atqui neutrum dici potest: non primum, nam in parvulis est vere peccatum originale, sed tamen in iis nec est, nec esse potest concupiscentia actualis; non secundum, quoniam si mali stimuli non sentiuntur, ratione concupiscentiae inordinatio neque ex parte corporis, neque ex parte animae invenitur: quid ergo tunc essentiam peccati constituit (1)? — Quam absona autem sit assertio Protestantium contendentium, in renatis remanere peccatum, sed non imputari, in tractatu de iustificatione fusius ostendetur.

(1) V. Tournely de pecc. P. 2, cap. 1, a. 3.

Nota. Protestantes pro sua sententia sequentia proferre solent:

Obi. I. Id, quod legi divinae opponitur, est verum peccatum: sed concupiscentia opponitur legi divinae, quoniam in decalogo dicitur: *Non concupisces*, etc.; ergo est verum peccatum. Paulus ipse fatetur, se hanc veritatem solum per citatam legem cognovisse; ait enim: *Peccatum non cognovi nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces* (2). Ex hac lege ergo cognovit concupiscentiam peccatum esse.

Resp. Si in sensu adversariorum praeceptum decalogi acciperetur, dicendum foret, Deum concupiscentiam, seu ipsum peccatum originale hominibus interdixisse. Quid autem insulsius ei divinae Sapientiae magis contrarium est, quam dicere, Deum hominibus id prohibuisse, quod vitare nullo modo possunt. Ne talis absurditas supremo Legislatori affingatur, omnino dicendum est, Deum ad praecavenda peccata actualia citatum praeceptum dedisse, et solum prohibuisse, ne homines deliberate et libere res illicitas concupiscant. Non ergo concupiscentia involuntaria, sed illa, cui libera voluntas consentit, legi divinae contraria, et peccatum est. Ast hanc veritatem non solum Gentiles, sed etiam multi ex Iudaeis agnoscere detrectarunt, quos corrigit et instruit Paulus in loco citato, in quo non concupiscentiam involuntariam,

(2) Rom. 7, 7.

sed illam, cui consentit voluntas, a lege divina interdictam dicit.

Obi. II. S. Paulus concupiscentiam vocat *peccatum*. De illa enim lamentatur, cum dicit: *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato... Iam non ego operor, sed quod habitat in me peccatum..... Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis* (1). Paulus ergo, quamvis baptizatus et gratiis repletus esset, agnoscit tamen et fatetur, inhabitantem sibi concupiscentiam esse peccatum.

Resp. Paulus concupiscentiam peccatum nominat, non formaliter et proprie dictum, sed materialiter et improprie acceptum; nimirum quatenus est effectus peccati originalis et causa peccati actualis, quod cum Ss. Patribus Concilium Tridentinum (2) declaravit. Et quis nescit, improprium modum loquendi in S. Scriptura frequentissimum esse? — etiam nomen *peccati* saepe in latiori, seu improprio sensu usurpatur. Sic vitulus ab Israëlitis adoratus vocatur *peccatum* (3), quia infandae illorum idololatriae causa fuit. Osee IV dicuntur Sacerdotes comedere *peccata populi*, id est, oblationes, pro expiatione peccatorum. Apostolus quaerit: *Quid dicemus? lex peccatum est* (4)? nempe: an lex causa peccati est? Imo Christus ipse dicitur: *Pro nobis peccatum fecit, ut nos efficemur iustitia Dei in ipso* (5). Sicut ergo lex et Christus, ita etiam concupiscentia in sensu tantum improprio peccatum nuncupatur. Id iuxta perpetuam Traditionem Ecclesia definivit, cuius iudicio spreto, verba Pauli valde obscura et *difficilia intellectu* recte exponi non possunt.

(1) Rom. 7, 14, etc.
(2) L. c.
(3) Deut. 9, 21.
(4) Rom. 7, 7.
(5) 2 Cor. 5, v. ult.

Obi. III. S. *Augustinus* docet, concupiscentiam in non regeneratis reum facere hominem et debitorem aeterni supplicii; ait enim (6): « Sic ibi (in non baptizatis) est lex ipsa peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus eius cum illa sit, qui teneat aeterni supplicii debitorem. » Haec autem dicere non potuisset, nisi concupiscentiam, ut verum peccatum considerasset. Et hoc idem sentit etiam quoad baptizatos, docens concupiscentiam, seu peccatum in his remanere, sed non imputari; dixit enim (7): « Dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur; » et (8): « Facta est peccati remissio, ut peccatum non imputetur. » Merito igitur Lutherus gloriatus est, se eandem cum Augustino doctrinam propugnare.

Resp. Locis S. Augustini citatis opponimus eiusdem S. Doctoris verba supra adlegata, in quibus aperte concupiscentiam a peccato distinguit, in baptizatis iniquitatem deletam dicit, in iisdem peccatum esse negat. An tam eximius Doctor sibi ipsi turpiter contradixisse dicendus est? — nequaquam. Nam etiam verba ab adversariis citata eundem sensum produnt. S. Doctor enim dicit, concupiscentiam non baptizatos damnationi obnoxios reddere, quia in his ita est, « ut etiam reatus eius (peccati) cum illa sit. » Ast in baptizatis, in quibus reatus solvitur, seu peccatum remittitur, concupiscentia in peccatum non imputatur, non quia hoc tegitur per merita Christi, sed quia illa, si ei non consentit voluntas, peccatum non est. Praeterea notandum est, S. Doctorem hincinde cum Apostolo concupiscentiam in sensu latiori et improprio

(6) L. 1 de nupt. et concup. c. 32.
(7) Ibid. c. 25
(8) C. 31.

peccatum nominare, quoniam ipsa ex peccato est et ad peccatum inclinat: tali loquendi modo utitur praecipue contra Pelagianos, qui concupiscentiam malam et effectum, seu poenam peccati originalis esse negabant. Immerito ergo *Lutherus* de magni Augustini patrocinio gloriatur: sincerior fuit *Calvinus*, qui (1) confitetur, hoc esse inter ipsum et Augustinum discrimen, quod Augustinus concupiscentiae morbum « peccatum » vocare non audeat « nisi cum vel opus, vel consensus accedit. Nos autem (pergit se magno Doctori praeferens), illud ipsum pro peccato habemus quod aliqua omnino cupiditate homo titillatur » (2).

Obi. IV. Plures Patres et Theologi docent, vel ipsos primos concupiscentiae motus, utut indeliberatos esse vera peccata. Sic *S. Thomas* (3) dicit: « Motus sensualitatis rationem praeveniens est peccatum veniale; » et (4) citat *S. Augustinum* (5) dicentem: « Nonnullum peccatum est, quando caro concupiscit adversus spiritum. »

Resp. Ss. Patrum et Theologorum doctrina intelligenda est de iis primis concupiscentiae motibus, qui habent aliquid admixtum de voluntario, saltem imperfecto; quatenus ratio non ea, qua par est, diligentia cavet, ne huiusmodi motus insurgant. Ideo *S. Augustinus* (6) utitur vocabulo *vitii* potius quam *peccati*, dicens: « Neque enim nullum est vitium, cum caro concupiscit adversus spiritum: » postea vero « peccatum perpetuari » dicit, quando carni concupiscenti « spiritu succumbente cedimus. » Et *S. Thomas* seipsum explicat (7), dicens: « Omne peccatum dependet ex iudicio rationis; quia etiam primus motus sensualitatis non habet, quod sit peccatum, nisi in quantum iudicio rationis reprimi potest; et ideo sublato iudicio rationis tollitur ratio peccati. »

Obi. V. Concupiscentia non est a Deo; omnia autem sunt a Deo praeter peccatum. Imo concupiscentia odio habetur a Deo; Deus autem nihil odit nisi peccatum. Denique Christus per omnia nobis similis factus absque peccato, concupiscentiam tamen non assumpsit: haec ergo verum peccatum est.

Resp. Rationes allatae adversariorum sententiam nullatenus probant. Nam etiam mors non est a Deo iuxta Sap. I, 13: *Deus mortem non fecit*; et tamen mors non est peccatum, sed poena peccati. Idem dicendum est de concupiscentia: haec enim consistit in defectu illius ordinis, qui inter partem inferiorem et superiorem naturae humanae adesse deberet: huius defectus causa est peccatum, et Deus dici potest causa quasi negativa, quatenus in ultionem peccati iustissime abstulit iustitiam originalem et speciale gratiae auxilium, vi cuius caro perfecte subdebatur Deo. — Deus odit concupiscentiam eo odio, quo odit malos effectus peccati, puta, habitus vitiosos, quatenus vult eos sanare, minuere et destruere; non autem odio, quod transeat, seu redundet in personam concupiscentem, seu malo habitu affectam, si ei non consentiatur (§ 40, n. 2). Denique Christus sicut concupiscentiam, ita et ignorantiam non assumpsit, quamvis haec, si sit omnino iuvoluntaria, peccatum non sit. Nimirum concupiscentia et

(1) L. 3 Inst. c. 3, § 10.
(2) Cf. Gazzaniga T. 4, diss. 3, Sect. 3, cap. 2, n. 35, etc., ubi plura S. Augustini dicta explanantur.
(3) 1, 2, q. 74, art. 3 ad 3.
(4) 3 P., q. 41, art. 1 ad 3.
(5) L. 19 de Civ. D. c. 4.
(6) L. cit.
(7) 2, 2, q. 154, art. 5.

ignorantia repugnabant plenitudini gratiarum et donorum, quae Christo debebantur, nihilque ad redemptionem nostram proderant.

II. *Verosimilior sententia declaratur et comprobatur.*

§ 229. Verosimilior sententia reponit essentiam peccati originalis, in privatione iustitiae originalis quoad primarium eius effectum. — Ut haec sententia recte intelligatur, praenotandum est iustitiam originalem nihil aliud fuisse quam perfectam rectitudinem totius hominis, unde tria importabat; *primum* fundamentum et causa caeterorum erat subiectio rationis et voluntatis ad Deum; *secundum*, subiectio virium inferiorum ad rationem; *tertium*, subiectio corporis ad animam. — Hanc iustitiam originalem Adam peccando et sibi et nobis perdidit, et ideo dicitur, tum peccatum Adae, tum illius effectus, seu poenas ad omnes posteros transiisse. Essentia ergo, seu formale constitutivum peccati originalis consistit in privatione iustitiae originalis quoad primarium eius effectum, ut voluntaria nobis voluntate capitis: seu essentia peccati originalis est privatio subiectionis debitae rationis et voluntatis ad Deum, quae quidem subiectio fit per charitatem habitualem, seu gratiam sanctificantem. — Ex hac privatione, in qua *formale peccatum* consistit, sequitur etiam vires inferiores non subiici rationi, et corpus non subiici animae. Istae ergo inordinationes, quae *concupiscentiam* constituunt, non sunt formale peccatum, sed huius sequelae, effectus et poenae, et tanquam quidpiam *materiale* peccati originalis considerari possunt. — Haec sententia de peccati originalis essentia tum *ex auctoritate*, tum *ex rationibus theologicis* probari potest.

1. *S. Augustinus*, aliique Patres (ut inferius art. XII ostendetur) etiam peccati actualis essentiam in privatione, seu defectu debitae rectitudinis, seu subiectionis rationis et voluntatis ad Deum reponunt: ergo hoc idem sentiunt etiam de essentia peccati originalis. *S. Anselmus* (1) dicit: « Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus nisi ipsam, quam supra posui factam per inobedientiam Adae, iustitiae nuditatem, per quam sumus omnes filii irae. » *S. Thomas* eandem sententiam (2) his verbis proponit: « In quolibet peccato est invenire aliquid quasi formale et aliquid materiale. Si enim consideremus peccatum actuale, ipsa substantia actus deordinati materialiter in peccato se habet: sed deordinatio a fine formale in peccato est, quia ex hoc rationem mali praecipue habet. Unde dicitur, quod conversio ad bonum commutabile est ibi sicut materiale, et aversio a bono incommutabili est sicut formale.... Sicut autem peccatum actuale consistit in deordinatione actus, ita etiam peccatum originale consistit in deordinatione naturae. Unde oportet, quod ipsae vires deordinatae, vel deordinatio virium, sint sicut materiale in peccato originali, et ipsa deordinatio a fine sit ibi sicut formale. Illa autem pars, quae per se nata est coniungi fini, est ipsa voluntas quae habet ordinem finis omnibus aliis partibus imponere, et tunc destitutio ipsius voluntatis a rectitudine ad finem, quam habuit in institutione naturae, in peccato originali formale est, et hoc est privatio originalis iustitiae. Vires autem appetitus sensibilis sunt natae recipere or-

(1) L. 1 de concep. virg. et pecc. or. c. 26.

(2) In lib. 2 Sentent. Dist. 30, q. 1, a. 3

dinem ad finem, ab ipsa voluntate, secundum quod sibi subiecta sunt: et ideo subtractio illius vinculi, quo quodammodo sub potestate voluntatis rectae detinebantur, materiale in peccato est. Ex hac autem subtractione sequitur, quod unaquaeque vis in suum subiectum inordinate tendat concupiscendo illud; et ideo concupiscentia qua habiles sumus ad male concupiscendum, peccatum originale dicitur, quasi materiale in peccato originali existens. » Et 1, 2, q. 82, art. 3 ita disserit: « Ex aversione voluntatis a Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis animae viribus. Sic ergo privatio originalis iustitiae, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium animae se habet in peccato originali sicut quiddam materiale. Inordinatio autem aliarum virium animae praecipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile, quae quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus iustitiae originalis. » Ut autem ista *S. Thomae* doctrina rite intelligatur, notandum est, Scholasticos generatim solum in *formali* peccato verum reatum culpae, quo coram Deo poena digni reddimur, agnovisse, non autem in *materiali*. Praeterea observat Cl. *Billuart* (1), quod concupiscentia a *S. Thoma* dicatur *materiale* peccati originalis non in sensu proprio, sed improprie et late, quatenus effectus solet comparari ad suam causam, seu effectus secundarius ad primarium, tamquam materiale ad formale, quoniam ipse S. Doctor dicit, quod concupiscentia « se habeat ex consequenti in peccato originali. »

2. **Rationes theologicae declaratam sententiam confirmant.** Nam: *a*) Peccatum originale a S. Scriptura, Ss. Patribus et Conciliis vocatur *mors animae* et *inimicitia Dei:* ergo consistit in privatione illius doni, quo spiritualiter vivimus et sumus amici Dei: atqui hoc donum est gratia sanctificans, quae est primus effectus iustitiae originalis: ergo in istius privatione sita est essentia originalis peccati. — *b*) Essentia peccati originalis sita est in eo, quod tollitur per baptismum; per hunc enim tollitur omne id, quod veram et propriam peccati rationem habet: atqui per baptismum tollitur privatio iustitiae originalis quoad primarium eius effectum, quia in illo confertur gratia sanctificans, mentem Deo coniungens et subiiciens: ergo in huius praerogativae privatione consistit essentia peccati originalis. — *c*) Id est essentia, seu formale constitutivum alicuius rei, quod primum in ea concipitur tanquam radix caeterorum, quae ad rem pertinent: atqui privatio iustitiae originalis quoad primarium eius effectum, scilicet coniunctionem cum Deo, est quod primum in ea concipitur tanquam radix inordinationis virium inferiorum, et poenalitatum corporalium, quae ad peccatum originale pertinent: ista ergo privatio essentiam peccati originalis constituit. — Neque his opponi potest, quod privatio iustitiae originalis non possit dici essentia peccati originalis, quia illa privatio est poena, quae praecedentem culpam supponit. Nam in gratia sanctificante, de qua loquimur, duo distinguenda sunt, nimirum donum supernaturale, quod Deus ex gratuita bonitate largitur, et voluntas hominis, quae cum isto dono recta, Deo unita, legi conformis est. Privatio

(1) Tract. de pecc. Diss. 6, a. 5, § 1.

ergo gratiae sanctificantis ex parte Dei, donum gratuitum subtrahentis, est poena; ex parte hominis vero est culpa, quia voluntas eius recta esse cessat, a Deo avertitur, a lege aberrat. Quid est autem peccatum, nisi defectus rectitudinis debitae, quid, nisi aversio a Deo, quid, nisi aberratio a lege? — Etiam Adami voluntas recta erat per gratiam sanctificantem; hanc vero per peccatum actuale perdidit; et nos in ipso peccantes eandem amisimus, unde fit, ut sine debita rectitudine, alieni a Deo, aberrantes a lege, id est, peccatores nascamur. Recte igitur privatio gratiae sanctificantis, quae coniunctionem actionis divinae et voluntatis humanae importat, et poena dicitur et culpa. De modo autem, quo Adae peccatum nobis communicatum et proprium factum est, aliqua in proximo articulo dicentur (1).

Nota 1. Theologi catholici, qui declaratam sententiam respuunt, et aliam adoptant, verbis potius quam ipsa re ab illa dissentire videntur. — Sic *L'Herminier*, *Tournely* et alii dicunt, peccatum originale esse ipsum Adae peccatum prout nobis intrinsece imputatum, hoc est, singulis hominibus in eo moraliter contentis vere ac proprie communicatum: sed huius sententiae patroni ipsimet fatentur, « peccatum Adae, ut loquitur *Tournely*, dupliciter considerari posse, 1° ut *actuale;* quo sensu nihil aliud est, quam actio singularis ab Adamo, prout omnium hominum personam sustinente, contra legem Dei physice elicita; et 2° ut *habituale* prout nempe est status quidam deordinationis ex actu physice praeterito permanens in homine, donec ipsi a Deo condonetur » (v. Tract. de pecc. P. 2, c. 1, art. 3). Docent dein peccatum Adae habituale in nos transfusum esse: quid est autem iste « status deordinationis, etc. » aliud quam defectus rectitudinis, aversio voluntatis a Deo, seu privatio iustitiae originalis, quoad primarium effectum? — Eundem sensum refert conclusio, quam proponit *Th. ex Charmes* (2) his verbis: « Peccatum originale formaliter est habitualis privatio conformitatis ad legem, quam Adam, caput nostrum transgressus est, et quam nos eius voluntate transgressi sumus. » Porro omnes isti Theologi cum peccato originali coniungunt concupiscentiam ut illius effectum, seu poenam; unde cum sententia *S. Thomae* declarata penitus conveniunt. — Cum eadem etiam concordat sententia eorum, qui cum *L. Berti* dicunt, peccatum originale nihil aliud esse, quam concupiscentiam cum reatu: per hunc enim intelligunt reatum culpae, seu privationem iustitiae originalis, adeo ut concupiscentia sit originariae culpae quasi materies, reatus vero sit illud, quod appellant Theologi formale peccati. Istius sententiae patronos a mente *S. Thomae* non discrepare, patet ex eo, quia ipsemet *Berti* (3) suam assertionem probat auctoritate *S. Thomae*, et citat memoratu digna verba *S. Bonaventurae*, qui (4) ita disserit: « Dum quaeritur, quid sit originale peccatum, recte respondetur, quod sit concupiscentia immoderata: recte etiam respondetur, quod sit debitae iustitiae carentia: et in una istarum responsionum clauditur alia, licet una notificet ipsum habituale peccatum ratione eius quod est in ipso habens modum conversionis: altera vero rationem privationis. Concedendum est igitur, sicut rationes

(1) Cf. Billuart l. c. § 2.
(2) Tr. de pecc. c. 6, q. 2, a. 2.
(3) L. 13, c. 5, Pr. 3.
(4) 2 sent. Dist. 30, art. 2.

ostendunt, et magister dicit in littera, quod originale peccatum est concupiscentia; et haec non quaecunque, sed concupiscentia prout claudit in se debitae iustitiae carentiam. »

Nota 2. Sententia, quae essentiam peccati originalis in privatione iustitiae originalis reponit, penitus distinguenda est ab insulso illorum commento, qui cum *Fichte Schleiermacher, Braun* et aliis peccatum originale reponunt in mera negatione, seu limitatione naturae, quasi homines peccatores essent eo ipso, quod finiti, et limitati sint. Quam absurda autem sit talis assertio, facile cuique patet. Illa enim posita, non solum homines ab Adamo descendentes peccato originali infecti essent, sed etiam reliquae creaturae, lapides, arbores, bestiae, imo et Angeli boni, qui equidem sancti et beati, sed tamen finiti et limitati sunt: praeterea Deus ipse, creaturas finitas producens, peccati auctor esset dicendus: et de peccato poenitere non esset nisi dolere de sua existentia, atque a peccato liberari idem esset ac existentia sua privari, seu in nihilum redigi, ut scite observat Cl. *Möhler* (1). Ab isto commento omnino differt sententia nostra: aliud enim est carentia rei indebitae, aliud privatio rei debitae. Nullus defectus adscribitur arbori oculos non habenti; orbitas vero in homine pessima est. Non a tribulis, sed a vitibus uvae expectantur. Omissio eleemosynae non in paupere, sed in divite culpatur. Servus, iniunctum sibi munus negligens, reprehensione dignus censetur. Ita iuxta sanae rationis iudicium non mera negatio, seu carentia rei indebitae, sed solum privatio rei debitae vere malus, seu culpabilis defectus est. Ex hoc patet, solam limitationem naturae peccatum dici non posse, quia nulla creatura infinita esse potest. — Sed in privatione iustitiae originalis vera ratio peccati occurrit: quod ostendit Cl. *Perrone* (2), dicens: « Cum divinae bonitati placuerit elevare hominem a se conditum, et cum ipso et in ipso totam humanam naturam ad ordinem supernaturalem per gratiam sanctificantem, seu iustitiam originalem, cuius ope tandem aliquando perveniret ad consortium divinitatis per visionem beatificam; cum praeterea eidem Adam, et in ipso et cum ipso humanae naturae contulerit integritatem per dona gratuita, quae adiecit, Adam vero per peccatum a se patratum tum sibi, tum posteris haec amiserit; hinc fit, ut horum privatio habeat tam in Adam, quam in eius posteris rationem tum peccati, tum poenae: *peccati* quidem quoad privationem iustitiae originalis stricte sumptae; *poenae*, quoad privationem caeterorum donorum, quae eidem Deus adiecerat. » Et sane, homo iustitia originali privatus aberrat a suo fine ad quem a Deo destinatus fuit (§ 202) et voluntas eius recta, Deo subiecta et unita non est, et ideo reatus peccati verissime habetur.

(1) In Defens. suae Symb. contra Braun, § 26 etc. (2) N. 461.

ARTICULUS X.

De modo, quo peccatum originale ad posteros traducitur.

§ 230. In rebus naturalibus hincinde de effectu quodam certi sumus, quin tamen modum, quo productus fuit, explicare possimus. Hoc idem multo magis in rebus supernaturalibus admittendum est, atque ideo in Religione revelata negari non possunt *mysteria*, quae sunt veritates divinitus patefactae, in quibus cognoscimus quidem subiectum et praedicatum, intrinsecum autem nexum non per-

spicimus, sed de hoc certi reddimur per revelationem divinam (Th. gen. § 54). Inter haec mysteria merito etiam refertur doctrina de transfusione peccati originalis in omnes posteros. De hac per ipsam revelationem divinam certi reddimur; modum autem quo illa contingat, perfecte comprehendere non valemus. Etiam *S. Augustinus* suam hac in re ignorantiam humiliter fassus est (1), dicens: « Hic libentius disco, quam dico, nec audeo docere quod nescio. » Et cum Iulianus curiose sciscitaretur, cum non peccet iste qui nascitur, non peccet ille qui genuit, non peccet Deus qui condidit, « per quas rimas tot inter praesidia peccatum in infantes ingredi possit; » *S. Augustinus* sapientissime curiosae huic cavillationi nil aliud opposuit, nisi divinam revelationem. Ita enim (2) respondet: « Quid quaerit latentem rimam, cum habeat apertissimam ianuam? *per unum hominem*, ait Apostolus; *per unius delictum*, ait Apostolus; *per inobedientiam unius hominis*, ait Apostolus: quid quaerit amplius? quid quaerit apertius? quid quaerit inculcantius? » Neque multum refert cognoscere modum, quo in calamitatem nostram prolapsi sumus cum solum maximi momenti sit cognoscere modum, quo ex illa liberari possimus. Id quoque ostendit et concinna similitudine illustrat *S. Augustinus* (3) ad *S. Hieronymum* scribens: « Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis apte convenit. Cum quidam ruisset in puteum..... accedit alius, et eo viso admirans ait: quomodo huc cecidisti? At ille, obsecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quaeras. Ita quoque fatemur et fide catholica tenemus de reatu peccati tanquam de puteo etiam parvuli infantis animam Christi gratia liberandam; satis est ei, quod modo, quomodo salva fiat, novimus, etiamsi nunquam quomodo in malum illud devenerit, noverimus. » — Nihilominus multi tentarunt modum explicare, quo Adae peccatum in posteros transfusum, iisque ita communicatum fuit, ut unicuique proprium rite dicatur. Tres saltem arcanum istud explicandi modi hic commemorandi et examinandi sunt; nimirum explicatio, *sat communiter inter Theologos recepta;* explicatio, quam *post Lutherum et Calvinum Iansenius adoptavit;* et explicatio, quam *nonnulli recentiores Theologi amplectuntur.*

(1) Lib. 5, c. Iulian. c. 18.
(2) L. 2 de nupt. et concup. c. 26.
(3) Ep. 29 (al. 167).

I. *Explicatio communior Theologorum.*

§ 231. Cum iuxta communem concipiendi modum peccatum imputari nequeat, nisi sit voluntarium, maxima profecto difficultas in eo versatur, quomodo peccatum originale non solum in Adamo, sed etiam in eiusdem posteris voluntarium dici possit. Et tamen hoc innuit Apostolus, dum scribit: *in quo* (Adamo) *omnes peccaverunt* (4). Consonant cum hac sententia Ss. Patrum dicta. Sic *S. Ambrosius* Apol. 2. (5) dicit: « Adam ergo in singulis nobis est; in illo enim conditio humana deliquit, quia per unum in homines pertransivit peccatum. » Et lib. 7 in Luc. (6) inquit: « Potest tamen et hic in uno accipi species generis humani; fuit Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et in illo omnes perierunt. » Et *S. Augustinus* (7), quaerenti Iuliano, an etiam hoc peccatum ex voluntate originem duxerit, respondet: « Prorsus et originale peccatum, quia

(4) Rom. 5. 12. (5) C. 12. (6) N. 234.
(7) L. 2 de nupt. et conc. c. 28.

et hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut et in illo esset et in omnes transiret. » In Adamo ergo omnes peccaverunt, et in voluntate Adami etiam posteris peccatum voluntarium factum est. Modum autem, quo id contigit, Theologi duce potissimum *S. Thoma*, ita sat communiter explicare solent.

1. Peccatum proprie dictum sumi potest dupliciter, *primo* pro actu, vel omissione contra legem, et vocatur *peccatum actuale*, ratione cuius homo dicitur peccans; *secundo* pro eo, quod relinquitur in anima ex actu (ut dicunt) transacto, ratione cuius homo dicitur proprie peccator, et vocatur *peccatum habituale*, non quod sit habitus, sed quod habeat esse permanens in anima; est enim macula, seu privatio nitoris gratiae: sic, e. g., qui furtum commisit, dicitur fur, donec per poenitentiam, et rei ablatae restitutionem peccatum deleat, et eodem modo homines perversi et impoenitentes dicuntur vivere in peccato, mori in peccato etc. licet in illo temporis momento, de quo sermo est, peccata actualia non committant. Peccatum actuale semper requirit advertentiam et liberum voluntatis consensum: peccatum autem habituale non est voluntarium formaliter, sed terminative, seu virtualiter et in causa, quatenus est terminus et effectus peccati actualis, uti ex allatis exemplis patet.

2. Peccatum originale esse verum et proprium peccatum non solum in Adamo, sed etiam in posteris, divina Revelatio docet. Sed peccatum istud in Adamo fuit actuale; in posteris autem est habituale. In his ergo non requirit advertentiam et actum, seu liberum consensum voluntatis, sed sufficit, ut sit voluntarium terminative, seu virtualiter, et in causa: in hoc autem sensu peccatum in posteris voluntarium dicendum esse, sequenti modo ostenditur.

3. Adam vi decreti divini constitutus fuit caput non solum physicum, sed et morale omnium hominum quantum ad conservationem, aut amissionem iustitiae originalis, ita ut ipse Adam et omnes eius posteris censeri debeant tanquam unum corpus, cuius ipse Adam sit caput et gerat personam omnium in eo, in quo est caput. Ergo ex suprema Dei voluntate statutum fuerat, ut omnium posterorum voluntates in Adami voluntate continerentur, ita ut quidquid hic vellent in ratione capitis, illi etiam vellet, non voluntate propria et personali, sed communi voluntate sui capitis. Ast Adam, cui decretum divinum manifestatum fuerat, et qui dignitatem suam agnovit, tanquam caput morale generis humani per naturalem generationem a se descendentis peccavit, et sic etiam voluntates posterorum, voluntati Adami adligatae, peccarunt atque iustitiam originalem amiserunt. Audiamus *S. Thomam* (1) ita disserentem: « Omnes homines, qui nascuntur ex Adam possunt considerari ut unus homo in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt, secundum quod in civilibus omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus, et tota communitas quasi unus homo... Sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animae quae primo movet membrum; unde homicidium quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si con-

(1) 1, 2, q. 81, art. 1.

sideraretur manus secundum se ut divisa a corpore; sed imputatur ei, inquantum est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quae est in isto homine ex Adam generato non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex eius origine derivantur, sicut voluntas animae movet omnia membra ad actum. »

4. Deum potuisse voluntates nostras transferre in voluntatem Adami, dubitari non potest. Deus enim est omnipotens, supremus et independens rerum omnium Dominus: ipse tempori non est subiectus, quamobrem omnes homines ex Adamo generandi illi praesentes fuerunt: ac denique, ut observat *S. Augustinus*, Deus magis in sua potestate habet voluntates nostras, quam nos ipsi. Propterea sicut nos voluntatem nostram in alium transferre possumus, ita multo magis Deus pleno et optimo iure potuit, non requisito consensu nostro, voluntates nostras transferre in voluntatem Adae, non quatenus sumus singulares personae (sic enim quisque habet propriam voluntatem, et est arbiter sui); sed quatenus sumus partes et membra totius naturae ab Adamo propagandae. Simile quid contingit in humanis, dum princeps includit voluntatem pupilli in voluntate tutoris quantum ad actus civiles, aut dum magistratus agit nomine totius communitatis cum Rege, et huic exhibet iuramentum fidelitatis. — Verum equidem est, homines transferentes voluntatem unius in alium non posse in sensu stricto voluntarium efficere; sic, e.g., quod tutores agunt, non potest dici infanti voluntarium, sed solum ratum habetur a legibus in bonum infantis. Sed negari nequit, Deum, qui *operatur velle, et perficere*, et homines potentia infinite superat, ita unius voluntatem in alium transferre posse, ut in sensu vero voluntarium producatur. Ast quoniam talem actionem divinam perfecte comprehendere non valemus, etiam, admissa hac explicatione, propagatio peccati originalis rationis captum superat, et veri nominis mysterium manet.

Nota 1. Nonnulli Theologi praedictum decretum Adae manifestatum vocant *pactum* inter Deum et Adam, dicuntque illud in S. Scriptura indicari, quia de infante non circumciso dicitur: *Delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* (1); in quae verba ita loquitur *S. Augustinus* (2): « Parvuli, secundum communem generis humani originem, omnes in uno illo testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt... testamentum autem primum, quod factum est ad hominem, profecto illud est: qua die ederitis, morte moriemini; » atque Osee VI, 7 legitur: *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi praevaricati sunt in me;* quem locum exponens, *S. Hieronymus* ait: « Imitati sunt Adam, ut quod ille in paradiso fecerat, pactum meum legemque praeteriens, isti in terra facerent. » Ast plerique Interpretes referunt verba priora ad pactum circumcisionis initum cum Abrahamo, et in posteriori pactum sumunt in sensu latiori pro lege hominibus promulgata, ita ut ibi de peccatis actualibus sermo sit, quod etiam *S. Hieronymus* innuere videtur. Et in hoc sensu latiori praefatum decretum potest dici pactum, admitti autem nequit ex parte Dei speciale praeceptum servandi iustitiam originalem, et ex parte Adami voluntaria

(1) Gen. 17, 14

(2) L. 16 de Civ. D. c. 27.

obligatio, qua se promittendo adstrinxerit Deo servare divinum mandatum et per hoc iustitiam originalem. Nam Deus eo modo constituit Adamum caput posterorum, quo consuevit praecepta dare hominibus, quia tunc Adam constitutus est caput morale, quando datum est illi praeceptum de non comedendo fructu: atqui Deus, quando praecepta dat hominibus, non solet exspectare eorum consensum, quasi sublato illo nolit praeceptum obligare; nam lex Dei semel promulgata homines, velint nolint, obligat, cum sit supremus Dominus: ergo et in praecepto de non comedendo fructu, Deus non exspectavit consensum Adami, quo se obligaret Deo tamquam caput naturae humanae; quapropter divino tantum decreto, et non ex pacto Dei cum Adam inito, hic constitutus est caput morale suorum posterorum. - Insuper cum promissio facta Deo sit votum, si Adam promittendo se obligasset ad servandum divinum mandatum, istud transgrediendo peccasset etiam contra votum, quod nemo dixit (1).

Nota 2. Quidam autumarunt, adductam explicationem non convenire cum *Concilio Tridentino*, quod non ex voluntatibus posterorum in voluntate Adami inclusis, sed ex sola propagatione ex semine Adami peccatum originale repetit, dicens: *Homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti; cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant* (2). Ast-allata explicatio ab hac assertione Concilii nullatenus discordat; cum enim in illa dicatur, Adamum caput morale constitutum fuisse omnium eorum, qui per naturalem generationem ab ipso descendunt, eadem utique conclusio prodit. — Caeterum probe notandum est, hanc explicationem nullatenus ad fidei dogmata pertinere, sed referendam esse ad placita Scholarum, quae ab Ecclesia nec approbari, nec reiici solent, et in quibus proinde etiam dissensus licitus est. Neque per dictam explicationem dogma de transfusione peccati originalis probatur, quod iam satis probatum est ex Revelatione; sed solum aliquatenus pro captu humano modus declaratur, quo peccatum Adae etiam posteris proprium factum sit. Inter recentiores eandem fere explicationem affert *Ant. Günther* (3) laudatus a *Möhler* (4).

II. *Explicatio Lutheri, Calvini et Iansenii.*

§ 232. 1. *Lutherus* et *Calvinus* docuerunt, causam proximam transfusionis peccati originalis esse physicam, et ex natura rei, eamque esse libidinem, seu parentum concupiscentiam in usu coniugii. Eandem sententiam propugnavit *Iansenius*, eidemque adhaerent *Iuenin* et *Henricus a S. Ignat.* - Ast haec sententia cum *Th. ex Charmes* (5) hac argumentatione refutari potest: Illud nec est, nec esse potest causa physica et necessaria transfusionis peccati originalis, quo posito potest non esse, et quo sublato potest esse peccatum originale: atqui posito ardore libidinis in actu generationis potest non esse, et eo sublato potest esse peccatum originale. Nam si duo coniuges de novo crearentur, quamvis cum ardore libidinis generarent, proles tamen peccatum originale non contraheret, quia, iuxta *Tridentinum* (6), *homines nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti:* e contra si duo coniuges ex Adae

(1) Billuart, l. c. art. 2.
(2) Sess. 6. cap. 3.
(3) Schola praep. ad Theol. spec. P. 2 theor. incarn. Ep. 7.
(4) In Defens. Symb. c. Braun. § 23.
(5) Tr. de pecc. q. 3, Concl. 1. (6) L. c.

semine procreati, ex speciali Dei beneficio generarent sine ardore libidinis, nihilominus eorum proles contraheret peccatum originale, quia semper descenderet ab Adamo, ac proinde in illo peccaret, *in quo omnes peccaverunt*. Ergo posito ardore libidinis in actu generationis potest non esse, et eo sublato potest esse peccatum originale; ex quibus inferendum est, ardorem libidinis seu concupiscentiam in actu generationis non esse causam physicam et necessariam transfusionis peccati originalis.

2. Iuxta doctrinam catholicam tum peccatum, tum tristes eius effectus, ad quos pertinet concupiscentia, ad posteros transfunduntur. Quocirca dici posset, per ardorem libidinis in actu generationis physice proli concupiscentiam communicari, non autem eodem modo etiam ipsum peccatum transfundi. Nam, ait *S. Thomas*(1), « Dato, quod aliqui defectus corporales a parente transeant in prolem per originem, et etiam aliqui defectus animae ex consequenti propter corporis indispositionem (sicut interdum ex fatuis fatui generantur); tamen hoc ipsum, quod est ex origine aliquem defectum habere, videtur excludere rationem culpae, de cuius ratione est, quod sit voluntaria. Unde etiam posito, quod anima rationalis traduceretur, ex hoc ipso, quod infectio animae prolis non esset in eius voluntate, amitteret rationem culpae obligantis ad poenam, quia, ut Philosophus dicit (2), nullus improperabit caeco nato, sed magis miserebitur. » Quoniam autem concupiscentia hinc-inde peccatum dicitur, quia ex peccato est et ad peccatum inclinat; ideo nonnunquam Patres per libidinem in actu generationis peccatum transfundi dicunt, vel ita loquuntur, ut indigitent, homines contrahere peccatum originale, quia descendunt ex Adamo per naturalem generationem, quae sine concupiscentia non perficitur. — Optime *S. Thomas* (3) observat, concupiscentiam, quae dicitur vehiculum culpae originalis, non esse concupiscentiam *actualem*, quae in actu generationis excitatur, sed *habitualem*, in qua reponitur materiale peccati originalis. Unde si miraculo haec libido actualis in generatione omnino removeretur, proles nihilominus contraheret peccatum originale, quia nimirum propria eiusdem traducendi via est carnalis generatio ab Adamo procedens. — Et quia frequenter *S. Augustinus* ita de actuali concupiscentia loquitur, quasi per ipsius ardorem originalis noxa transvehatur, *S. Thomas*, fidelis eius interpres, id explicat, quod « libido actualis, quae est in coitu, sit signum concupiscentiae habitualis, quae materialiter se habet in peccato originali..... Unde *Augustinus*, cum dixit quod transmittit peccatum, posuit signum pro signato. »

Nota. *Zwinglius* putavit, se transfusionem peccati originalis optime declarare per φιλαυτίαν, seu amorem sui, per quem iam Adam ad peccandum illectus filios sibi similes procreavit, sicut lupus rapax generat lupum rapacem. « Est ergo, ait, ista ad peccandum amore sui propensio peccatum originale: quae quidem propensio non est proprie peccatum, sed fons quidem et ingenium. » — Ast quilibet facile cognoscit, Zwinglium transfusionem peccati originalis non declarare, sed negare; praeterea in ipsius systemate, cum inordinatus amor sui dicatur causa quae Adamum ad peccatum impulit, omnino infe-

(1) 1. 2. q. 81, art. 1.
(2) 3 Ethic. c. 5.

(3) Q. 4. de malo art. 6.

rendum est, malam concupiscentiam non ex peccato ortam, sed iam homini innocenti ab ipso Creatore insertam fuisse, per quod iuxta morem Protestantium Deus ipse tamquam auctor peccati statuitur (1).

III. *Explicatio quorundam Recentiorum.*

§ 233. 1. Nonnulli Theologi recentiores, ut *Simp. Schwarzhueber Selig.* (2), *Ild. Schwarz* (3), *Frint Sel.* (4) et alii dicunt, fructum arboris scientiae boni et mali venenatum seu naturaliter pro hominibus maxime noxium fuisse, atque ideo Deum ut optimum patrem illius comestionem protoparentibus graviter interdixisse. Hi autem mandato divino haud obedientes fructum vetitum comederunt, atque ita se et posteros suos in miserrimum statum deiecerunt. Nam per pestiferi huius fructus comestionem continuo attritae sunt protoparentum vires, et corporea eorundem constitutio, amisso priore robore, imbecillis facta est, morbis ac ipsi morti subiecta. Imo idem exitialis fructus alium quoque lugendum effectum produxit, quia optimam harmoniam a Deo in homine stabilitam perturbavit, stimulos inferiores, seu appetitus sensitivos irritavit, fortiores reddidit, et ad talem gradum elevavit, ut stimulis superioribus et rationi longe praeponderarent. Protoparentes, dum generarunt, iam naturam tam misere corruptam habuerunt, atque ideo filiis quoque corpora eidem corruptioni obnoxia communicarunt; ex quo evenit, ut etiam eorundem posteri infirmitatibus, morbis, ac ipsi morti subiecti essent. Praeterea anima tam corrupto corpori unita in functionibus suis hebetatur, intellectus nimium ob perturbatum virium naturalium ordine non sine difficultate ad rectam et claram rerum cognitionem pervenit, et voluntas se vehementius a stimulis inferioribus inordinatis, quam a superioribus rationalibus et moralibus illectam et attractam sentit: exinde etiam ignorantia et concupiscentia ad posteros propagata intelligitur. Denique anima, statim ac corpori tam corrupto unitur, iam ita disposita fit, ut stimulos inferiores potius quam rationem legemque sequatur, atque ita voluntas iam dispositive aversa est a lege Dei: atque Deus hominem ita constitutum, quem ab idea, iuxta quam eundem creaverat, delapsum cognoscit, amare non potest, et ideo ipsi gratiam suam non elargitur, quae ipsum rectum fecit, seu privat ipsum iustitia originali: et sic etiam propagatio peccati et deperditae amicitiae Dei declaratur.

2. Explicationi isti plura opponi possunt. Nam: *a*) fructum vetitum venenatum, seu naturaliter homini noxium fuisse, neque ex S. Scriptura, neque ex aliis monumentis fide dignis probari potest; contrarium potius Ss. Patres asserunt: sic *S. Chrysostomus* (5) ait: « Neque lignum attulit mala, sed voluntas peccans et contemptus circa praeceptum habitus. » Et *S. Augustinus* (6) inquit: « Esca illa non erat mala, nec noxia nisi quia prohibita. » - *b*) Iuxta allatam explicationem non magis peccatum originale contraheretur ab Adamo, quam ab Eva, quae prius comederat, et mater facta est omnium viventium: ast S. Scriptura clare docet, peccatum cum tristissimis suis effectibus propagari *per unum hominem.... in quo omnes peccaverunt*, - *per unius de-*

(1) Cf. Möhler Symbol. § 9.
(2) Handbuch 1.ter B. 1. § 134 144.
(3) Handb. 2 B. S. 28 etc.
(4) Handb. 4. B. § 218 etc.
(5) In fine Homiliae 16 ac in Gen.
(6) Lib. 14 de Civ. Dei cap. 12.

lictum, - *per unius inobedientiam*. Similiter Patres nos *in Adamo* periisse dicunt, et *S. Thomas* (1) docet, quod « si Adam non peccante, Eva peccasset, filii originale peccatum non contraherent, » quamvis, ut (2) dicit, secundum doctrinam Philosophorum principium quidem activum sit a patre, materiam autem mater ministret. - *c*) Pestiferum, quod in fructu adfuisse dicitur, venenum iuxta leges physicas virtutem suam maxime in protoparentibus, qui illud sumpserant, exerere debuisset; eiusdem autem efficacia eo magis decrescere deberet, quo magis per corpora dilatatur: sed ex longaeva hominum vita in prima mundi aetate colligitur, corpora humana tunc firmiora fuisse, quam in subsequentibus temporibus. - *d*) Ex eo quod anima ob naturae corruptionem ita disposita est, ut stimulos inferiores potius quam legem sequatur, quamdiu hanc non transgreditur, non potest de peccato argui, sicut arbor aliquam partem versus inclinata, quamdiu in hoc statu permanet, non dicitur lapsa: ergo in praedicta hypothesi propagatio ipsius peccati nullatenus explicatur: aut quomodo infans ideo tantum, quia corpus veneno corruptum habet, peccati reus dicetur, cum rationis et libertatis usu carens ne dispositus quidem ad peccandum dici possit? — Certe dispositio, seu inclinatio ad peccandum non est nisi ipsa concupiscentia, quae est effectus, non autem essentia peccati. Idcirco nonnullis visum est, allatam explicationem convenire quidem cum doctrina Protestantium, qui concupiscentiam ipsum peccatum originale esse dicunt, sed eam repugnare doctrinae catholicae, quae concupiscentiam a peccato formali distinguit. Sed tamen Theologi catholici, qui eandem explicationem amplectuntur, de errore Protestantium argui nequeunt, quia, licet dispositionem seu propensionem ad peccandum a fructu venenato repetant, formale tamen peccatum in defectu debitae rectitudinis, seu in privatione iustitiae originalis reponunt, atque per baptismum peccatum penitus deleri, concupiscentiam vero in renatis remanere fatentur. Idcirco Cl. *Liebermann* (3) allatam explicationem vindicans (4), ait: « Longe abest haec sententia ab errore Protestantium. Peccati originalis causam materialem quidem in corpore constituit, et in ea quae ex fructus venenati comestione secuta est, inordinatione partium inferiorum animae, et ipsius corporis, quae ideo concupiscentia vocatur, quia caro concupiscit adversus spiritum. At formalem peccati rationem ponit in amissione iustitiae originalis, et habituali hominis aversione a Deo, tamquam fine suo ultimo. Nam perturbato illo ordine, qui primum institutus fuerat inter utramque substantiam ex qua homo componitur, lex in membris, et effraenis cupiditas rationem ita praevertit, et evertit, ut homo in hoc statu inhabilis appareat bonitatis moralis et beatitudinis acquirendae. Post baptisma manet quidem propensio ad malum; at homo amicus Dei iterum efficitur, quia in viam, a qua excesserat revocatus, gratia servatoris abunde instructus, et nova iam vita vivens, potest reluctantem concupiscentiam vincere, et denuo idoneus efficitur perfectionis moralis, et quae exinde sequitur felicitatis assequendae.

Nota. Ex dictis patet, varia conamina adhibita fuisse, ad transfusionem peccati originalis pro captu hu-

(1) 1. 2. q. 81. art. 5. (2) Ibidem.
(3) T. 3, l. 3, C. 3 § 2.

(4) Pag. 447 ed. mogunt.

mano explicandam, quin tamen finem intentum perfecte consequerentur. Explicatio tamen primo loco posita caeteris praeferenda esse videtur, tum quia S. *Thomae* et aliorum gravissimorum Theologorum auctoritate fulcitur, tum quia, ut ex dicendis apparebit, aptior est ad varias, quae moventur, difficultates solvendas. Caeterum fatendum est, transfusionem peccati originalis ad fidei mysteria pertinere; quapropter cum S. *Augustino* (1) concludere oportet: « Certa fide tenendum esse, tantum contagium propagari; licet quomodo traducatur, nunquam noverimus. »

ARTICULUS XI.
Doctrina de peccato originali rationi non repugnat.

§ 234. Quamvis Religionis revelatae mysteria sint *supra rationem*, non tamen sunt *contra rationem*, quia Deus, qui loquitur ad nos per rationem et per revelationem, sibi contradicere non potest. Cum ergo iam abunde probatum sit, doctrinam de propagatione peccati originalis vere a Deo revelatam esse, certissime pariter constat, eam rectae rationi nullatenus repugnare. Dogmata ergo, in ista contenta, vera sunt et credi debent, non quia quoad intrinsecum nexum perspiciuntur, sed propter Dei revelantis auctoritatem; atque ideo omnis intellectus humanus in captivitatem redigendus est in obsequium fidei. — Imo humana ratio eo promptior esse debet ad hoc obsequium fidei praestandum, quo magis ipsa ex consideratione praesentis hominum status ad peccatum originale admittendum impellitur, et quo minus inter doctrinam revelatam et certa rationis principia contradictionem ostendere valet.

(1) Epist. 167. (2) Gen. I, 31.

I. *Consideratio praesentis hominum status rationem ad peccatum originale admittendum impellit.*

§ 235. 1. Iuxta doctrinam Revelationis primi hominis peccatum cum funestis suis effectibus (v. Art. VI) in posteros transiit. Nullus autem Philosophus negare potest, quod continua experientia testatur, indigitatos § 214 effectus in hominibus ab Adamo descendentibus conspicuos fieri. Omnes enim homines infirmitatibus, morbis, ac demum morti subiecti sunt: mulieres in dolore pariunt filios suos: homo in sudore vultus sui vescitur pane; quoniam vel duris laboribus frangitur, vel saltem anxiis curis et solicitudinibus inquietatur, multis incommodis vexatur, frequentibus infortuniis visitatur variisque calamitatibus cruciatur, ita ut in ipso verificentur, quae scripta sunt Iob. XIV, 1: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis;* et Eccli. XL, 1: *Iugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae.* Si autem effectus peccati, quos Revelatio indigitat, in hominibus adesse cernuntur, quomodo sana ratio earundem causam negare poterit, quam eadem Revelatio assignat? — Absolute equidem rationi non repugnat Deum protoparentes in eo statu creasse, in quo posteri nascuntur, quoniam Deus nemini aliquid debet, et omnia, quaecunque Deus vult, iam ideo, quia vult, bona sunt. Sed tamen negari nequit, notioni bonitatis divinae, quam mens humana tum ex idea entis perfectissimi, tum ex consideratione Universi, tum ex historia creationis haurit, in qua dicitur: *vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* (2), multo magis convenire sententiam, qua dicitur hominem a Deo perfectiorem et felicio-

rem creatum, ex propria culpa in statum deteriorem delapsum esse. Cum autem haec eadem, ipsi rationi magis conveniens sententia a divina Revelatione proponatur, quis eam amplecti renuet? — *S. Augustinus* eadem argumentatione frequenter contra Pelagianos usus est, et praecipue ex morte aliisque cruciatibus, quibus infantes, a peccato actuali penitus immunes, plectuntur, peccati originalis transfusionem ostendit, Pelagianum hanc negantem (1) ita alloquitur: « Quae est ista iustitia? defende iustitiam Dei! quare vel parva poena infligatur innocenti? » et, Iulianum refellens (2), inquit: « Propter quid ergo affliguntur parvuli, si nullum omnino habent peccatum? an omnipotens, et iustus Deus iniustas poenas a tot innocentibus prohibere non potuit? » ac(3): « Iudicium hoc in parvulis utique iniustum esset, si peccatum originale non esset » (4).

2. Ipsa sana ratio cognoscit, hominem in hunc finem conditum esse, ut veritatem cognoscens perfectam moralitatem sectetur, et mediante ista veram felicitatem promereatur (§ 202). Atqui homo, seipsum considerans, facile cognoscit, se per stimulos inferiores a fine suo, id est ab eligenda et exercenda moralitate fortiter retrahi, et ad actiones moralitati contrarias graviter incitari. Quisque igitur de se fateri debet, quod Apostolus dixit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis* (5). Et quod in nobis sentimus, id etiam in aliis observamus. Nam in hominibus, quibuscum conversamur, mox varios defectus detegimus, et inordinatas passiones, quibus hincinde ipse intellectus obcaecatus in suis iudiciis a veritate penitus aberrat, et voluntatem secum in devia rapit. Paedagogi sat communiter experiuntur, pueros iam in teneris annis proniores esse ad vitia quam ad virtutem, ipsosque non sine maxima difficultate per rectam moralitatis viam deduci, a qua iterum facillime desciscunt. Observationes istae clare ostendunt, quam vere scriptum sit: *Sensus, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* (6). Denique quanta sit in hominibus proclivitas ad malum, praecipue ex historia patescit. Nam in periodo patriarchali Adamitae ad talem morum corruptionem devenerunt, ut Deus totum genus humanum, excepta familia Noë, per diluvium destruxerit; et Noachidae mox iterum iudiciorum divinorum obliti, praedecessorum suorum sceleribus idololatriam quoque et polytheismum addiderunt. In periodo mosaica Israëlitae specialiter a Deo electi, postquam sanctam legem acceperant, stupenda miracula viderant et plurimis beneficiis divinis cumulati fuerant, saepe tamen a Deo defecerunt, gravissimis flagitiis se contaminaverunt et in ipsam idololatriam valde proclives fuerunt. Imo in ipsa periodo christiana, non obstantibus saluberrimis Christi documentis, et validissimis salutis mediis, plurimi tamen, qui se Christianos vocant, nihil minus quam vitam christianam agunt, sed cupiditatibus suis abrepti more Gentilium in flagitia et scelera proruunt. — Ex dictis patet, pronitatem hominum in vitia, seu proclivitatem ad malum esse *universalem*, quia in omnibus temporibus, locis et personarum conditionibus reperitur; *connatam*, quia in

(1) Serm. 14 de verb. Ap.
(2) In Op. postremo l. 1, n. 8?.
(3) N. 135.
(4) Cf Berti l. 10, c 3.
(5) Rom. 7, 23.
(6) Gen. 8, 21.

primis pueritiae annis se prodit, et etiam ab illis sentitur, qui sibi illam nunquam per male vivendi licentiam consciverunt, et *originariam*, quia cum natura a parentibus ad posteros propagatur.

3. Philosophi quoque cognoverunt, hominem ad moralitatem obligari, et ab hac per stimulos inferiores et inordinatas passiones fortiter retrahi. Dum autem tantae inordinationis causam assignare voluissent, nonnisi absonans sententias protulerunt. Nonnulli cum *Platone* dixerunt, animas ob peccata in praecedenti vita commissa in corpora velut in carceres detrusas fuisse: alii cum *Pythagoraeis* transmigrationem animarum adstruxerunt; at utraque sententia non solum nulli solido argumento innititur, sed et rectae rationi aperte repugnat. *Manichaei* cum Zoroastre duo principia summa statuerunt, hominemque a principio malo vel productum, vel saltem corruptum dixerunt: ast duo summa principia sibi opposita non dantur (§ 61), et Deus omnium Creator est (§ 136). *M. T. Cicero* ipsam naturam accusavit, quam benignam caeterorum animantium matrem, hominis vero novercam dixit; sed naturae ratione carenti nonnisi ineptissime productio hominis rationalis adscribitur. — De cunctis ergo antiquis Philosophis merito id dicitur, quod *S. Augustinus* (1) de Tullio scripsit: « Rem vidit, causam nescivit; latebat eum, cur esset grave iugum super filios Adami, quia Ss. Litteris non eruditus ignorabat peccatum originale. » — Neque feliciori successu recentiores Philosophi procedunt, qui relicta Revelationis semita, pronitatem hominum in vitia explicare tentant. Nonnulli totam hominum vitiositatem a mala educatione, aut a malis exemplis repetunt: ast vis tum educationis, tum exempli conditionem animi non efficit, sed afficit, et cum admodum diversa sit, uniformem effectum non producit; ac praeterea experientia testatur, etiam hominem optime educatum propensiones ad malum sentire, hominesque generatim minus et tardius per bona exempla ad bonum, quam per mala exempla ad malum incitari; ergo quaestio redit, cur haec ita se habeant? — *Kant* fatetur, inesse hominibus propensionem ad malum morale, sed hanc non innatam, verum ex abusu libertatis, qui in quolibet individuo contingit, ortam esse contendit: ast dantur hincinde pueri, qui sub assidua optimorum parentum cura nil nisi boni videntes et audientes graviter non delinquunt, ac innocentem moraliterque bonam vitam agunt, et tamen propensionem ad vitia sentiunt et inordinatas quandoque passiones produnt. Quod si reponatur, admodum raros esse, qui pueritiae annos in perfecta innocentia transigunt, nos quaerimus, undenam fiat, ut homines longe frequentius sua libertate male, quam bene utantur? hanc quaestionem sententia *Kantii* non solvit, sed de hac merito dicitur, quod petitione principii laboret. Hoc idem clarius patet, si quaeratur, quanam de causa, si abusus libertatis tam fortem et constantem propensionem ad malum progenerat, rectus libertatis usus non eandem propensionem ad bonum producat, et cur etiam per repetitos bonos libertatis actus in hominibus moralitati et pietati deditis naturalis, tamen ad malum propensio nunquam penitus extingui valeat? — In responsione ad haec quaesita haeret philosophiae criticae systema. — *Fichte* corruptionem, seu vitiositatem hominis repe-

(1) L. 4, c. Iulian. c. 12.

tit ex limitatione naturae, ex qua fit, ut homo, qui finitus est et perfici debet, vires suas limitatas sentiens, non sine difficultate perfici et ad praefixum sibi finem pervenire possit. — Sed sola limitatio naturae, quae non est nisi negatio, inepte tanquam causa stimulorum assignatur, quibus homines ad actiones moralitati contrarias incitantur; neque in natura limitata ratio sufficiens invenitur, ex qua declaretur, cur actiones malae facilius et promptius quam bonae ponantur. Porro etiam aliae creaturae limitatae dantur, in quibus tamen omnes partes ita concinne unitae sunt, ut omnes ad eundem illarum finem partialem promovendum collimeut: cur in homine non idem contingit? — certe sola limitatio naturae huius inordinationis causa esse non potest. — Neque, ut quidam dixerunt, ex coniunctione animae cum corpore necessario sequitur, illam per hoc aggravari, in functionibus suis impediri, ad terrena trahi, et ad vitia proclivem fieri. Nam materia ex se iners est, et spiritui ceu principio activo non repugnare potest, sed isti subesse debet; et praeterea praedicta coniunctio a Deo, hominis creatore, facta est; qui autem negat, Deum ita potuisse corpus cum anima coniungere, ut illud hanc adiuvet, et ad finem hominis promovendum dirigatur, divinae omnipotentiae et infinitae sapientiae limites ponit. — Denique illi quoque aberrant, qui dicunt, hominum corruptionem omnino naturaliter oriri ex eo, quia parentes vitiis dediti filiis suis inordinatas suas passiones per generationem communicant; dantur enim etiam parentes boni, honeste et moraliter viventes, in quorum tamen filiis sicut in caeteris maior proclivitas ad malum, quam ad bonum observatur: merito etiam quaeritur, qua ratione fiat, ut vitia quidem non autem virtutes a parentibus filiis per generationem communicentur? Quod si huiusce rei causa ipsa generatio, quae cum ardore libidinis fit, statuatur, iterum quaestio movenda est, cur et quomodo factum sit, ut generatio tali modo perficiatur, quo homines ad vitia magis proclives, et ad finem suum magis inepti reddantur? — Ex his patet, Philosophos frustra laborare, dum hominum vitiositatem mere naturaliter explicare, et sufficientem istius causam assignare tentant.

4. Cum in allatis Philosophorum sententiis corruptionis humanae causa sufficiens non inveniatur, humanae rationi nil aliud remanet, nisi ut vel dicat, Deum iam ab initio homines in eadem conditione, in qua modo inveniuntur, creasse; vel admittat, homines in rectitudine creatos ex propria culpa in vitiositatem delapsos esse. Ast plura obstant, quominus priorem sententiam ratio amplectatur. Quamquam enim, quid Deus agat, aut agere debeat, *a priori* nunquam determinari possit, *a posteriori* tamen Dei consilia et opera cognoscere licet. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, et divinitas* (1). Iam ex consideratione Universi satis liquet, omnia, quae Deus fecit, esse valde bona (2), Deum omnia in sapientia fecisse (3). Et sane - si creaturas, quae nos circumdant, consideramus, maximam in ipsis concinnitatem et scopo - congruentiam invenimus; astra enim, animalia, arbores, plantas et alias creaturas tam sapienter ordinatas esse videmus, ut omnes earundem partes ad finem

(1) Rom. 1, 20. (2) Gen. 1, 31 (3) Ps. 103, 24.

partialem, ad quem destinantur, promovendum dirigantur. — Recte ideo concludimus, Deum ad instar reliquarum creaturarum etiam hominem ita condidisse, ut omnia, quae in ipso sunt, ad finem eiusdem promovendum dirigantur. Ast contrarium in homine observamus, quia corpus aggravat animam, stimuli inferiores praeponderant superioribus; et per rebellem concupiscentiam homo in moralitate exercenda impeditur, et a fine suo retrahitur. Ratio haec observans, ne ipsum Deum talis inordinationis auctorem statuat, culpam admittere tenetur, ob quam homo, qui rectus a Deo creatus fuit, a statu suo felici deiectus in praesentem miseriam prolapsus est: et sic ratio corruptum hominis statum considerans, ad doctrinam de peccato originali ultro recipiendam impellitur. Praeclare in hanc rem observat *Cl. Paschalis* (1), nihil magis videri rationi nostrae repugnans quam dogma peccati originalis; hominem autem sine hoc mysterio esse sibi ipsi omnino incomprehensibilem: imo magis esse sine hoc mysterio hominem incomprehensibilem sibi, quam hoc mysterium sit incomprehensibile homini.

II. *Ratio in doctrina de peccato originali contradictionem ostendere non valet.*

§ 236. Iam antiqui *Pelagiani* omnem lapidem moverunt, ut ostenderent, doctrinam de peccato originali rectae rationi repugnare, et cum aliis veritatibus revelatis contradictionem involvere. Easdem cavillationes recoxerunt et argutiis suis exaggerarunt *Sociniani* et *Rationalistae*, quibus dogma de peccati originalis propagatione maxime exosum est. Sed ex obiectionum solutione patebit, in doctrina de peccato originali nullo modo contradictionem ostendi posse.

Obi. I. Doctrina de propagatione peccati originalis pugnat cum perfectionibus divinis. Nam, ait *Wegscheider* (2): « Nec benignitas Dei concedere potest, ut per unius hominis peccatum universa hominum natura corrumpatur et depravetur; nec sapientia pati, ut opus ab initio praestantissimis instructum dotibus paullo post ob causam levissimam in plane aliam deterioremque conditionem transformetur; nec iustitia Dei admittit, ut innocentes ob peccatum alienum eo puniantur, quod ipsis necessitas peccandi imponatur. » Non ergo sine maxima Dei iniuria praefata doctrina admitti potest.

Resp. Decantata haec obiectio, iam a Pelagianis et Socinianis frequenter proposita, facile solvitur. — *a*) Primo quidem liceat nobis argumento ad hominem uti. Adversarii, quamvis peccatum originale praefracte reiiciant, negare tamen non possunt, quod homines variis miseriis, calamitatibus, morbis et ipsi morti subiecti sint, quod difficulter ad claram et certam veritatum sibi cognitu necessariarum cognitionem perveniant, facillime quoque a veritate aberrent, et quod per vim stimulorum inferiorum, per inordinatas passiones, seu per rebellem concupiscentiam a fine suo, id est, a moralitate et felicitate abstrahantur. Adversarii ergo in agnoscendo misero hominum statu cum Catholicis conveniunt, et solum in eiusdem causa, seu origine assignanda discrepant. Nam, iuxta adversarios, homo sine culpa miser, et iam ab initio sic a Deo conditus est; iuxta Catholicos vero homo rectus et felix a Deo conditus fuit, et propter cul-

(1) Pens. 3.

(2) Instit. Th. christ. dogm. § 117.

pam cum Adamo et in Adamo commissam miser factus est. Quaerimus iam, quaenam sententia perfectionibus divinis magis contraria sit? an illa adversariorum? an haec Catholicorum? Certe, iuxta communem hominum sensum, multo magis bonitati, sapientiae et iustitiae Dei repugnans censetur dicere, hominem sine aliqua culpa tam miserum et tam ineptum ad finem suum conditum fuisse, quam asserere, hominem a Deo rectum et ad finem aptum conditum per culpam in statum deteriorem decidisse. - *b*) Ast directe etiam ostendi potest, doctrinam catholicam neque iustitiae, neque sapientiae, neque bonitati divinae repugnare. Et quod iustitiam attinet, certum est, Deum sine ulla iustitiae suae laesione potuisse talem ab initio hominem creare, qualis non nascitur; quod etiam *S. Augustinus* affirmat (1), dicens: « Si anima talis esse coepit non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem, facta est, non parvum bonum habet, unde Creatori suo gratias agat. » Et sane - Deus undequaque independens nulla ratione obligari potest ad aliquid creaturae suae tribuendum, cui ipsam existentiam ex mere gratuita bonitate elargitur. Deus ergo nullatenus obligabatur ad tribuendam hominibus gratiam suam, seu iustitiam originalem; nec ad conservandam vitam hominis, ita ut corpus non dissolvatur, et ordinationes in ipso non contingant; nec ad concedendum intellectui maius lumen et voluntati maiorem ad bonum proclivitatem. Deus ergo absque ullo iustitiae suae discrimine potuisset hominem ab initio condere sine iustitia originali, seu gratia sanctificante (in cuius privatione essentia peccati originalis consistit), et potuisset eidem etiam caetera privilegia quoad corpus et animam gratuito concessa denegare. Si autem Deus haec absolute, seu sine praecedente culpa facere potuisset, quanto magis id salva iustitia potuit intuitu culpae commissae? - Punire reum iustitiae divinae non repugnat, sed apprime convenit. Hanc conclusionem *S. Anselmus*, de peccato originali disserens, illustrat paritate (2), dicens: « Si quis vir et uxor eius ad magnam quandam possessionem et dignitatem nullo suo merito, sed gratia solum provecti simul crimen grave inexcusabiliter committunt, et pro eo iuste deiiciuntur et in servitutem rediguntur; quis dicet filios, quos post damnationem generant, non debere eidem subiacere servituti, sed potius ad bona, quae parentes iuste perdiderunt, gratis debere restitui? — Tales sunt primi parentes et filii eorum, quos iuste pro culpa sua de beatitudine in miseriam damnati in eodem generant exilio. » Imo iustitia divina in hac poena infligenda adhuc clarius elucet, si attendatur, iuxta doctrinam catholicam posteros Adami poenas luere non propter solius primi parentis personale peccatum, sed quia illi quoque in hoc peccaverunt et propriam culpam contraxerunt. — In iis, quae doctrinae catholicae ex parte bonitatis et sapientiae divinae obiiciuntur, attributa divina turpiter confunduntur cum attributis humanis. Homines enim, ut bene et sapienter agant, regulas et leges observare tenentur: non ita Deus; nam omnia optima et sapientissima sunt, quae Deus vult, et ideo tantum quia vult (§ 43 et § 50). Nonnisi inepte ergo dicitur, hoc benignitatem divinam concedere, illud sapientiam Dei

(1) L. 3 de lib. arb c. 20.

(2) L. de conc. virg. et pecc. or. c. 28.

pati non posse. Caeterum etiam bonitas et sapientia divina luculentius ex doctrina Catholicorum, quam ex doctrina adversariorum elucet. — Nam iuxta illam Deus primos homines donis eximiis tum naturalibus, tum supernaturalibus exornavit, et ad nobilissimum suum finem aptissimos reddidit; et cum sapientissime decrevisset, ut ab actu libero, totius Universi maximo ornamento, praedictorum donorum conservatio dependeret; talem conditionem exegit, quae erat observatu facillima, nempe unius duntaxat et facillimi praecepti obedientiam a primo parente praestandam, quem propterea Deus tot gratiae donis et auxiliis ditaverat, atque ab internis impedimentis expedierat. Quis non in his omnibus divinam bonitatem et sapientiam admirabitur? — Quod si iuxta adversarios bonitati et sapientiae divinae contrarium non est, hominem ita creare prout nunc nascitur, quomodo illis perfectionibus divinis repugnabit, humanum genus ob foedissimam inobedientiam a capite suo morali commissam donis nulli debitis privare? Recte omnino Cl. *Muratorius* (1) dicit: « Quidquid Pelagiani adferre possunt pro tuenda iustitia ac bonitate divina in hypothesi sua, illud ad eandem tuendam in hypothesi Catholicorum inservit. Quidquid vero Catholici pro sua habent, non aeque a Pelagianis pro sua opinione usurpari potest. Facilius enim Catholici iustitiam ac bonitatem Dei sartam nobis tectamque exhibent, tot humanae naturae miseriis non a primaeva institutione et voluntate Dei boni, sed a primorum parentum culpa derivatis, quam si talem, qualis nunc est, naturam ab initio creatam affirment. Et hoc sinceri sagacesque viri non intelligere nequeunt. » - *c*) Circa propositam obiectionem etiam notandum est, Catholicos abhorrere a doctrina Protestantium asserentium, hominibus imponi necessitatem peccandi (§ 217), et Deum esse auctorem peccati. Etiam peccati originalis Deus nullo modo auctor dici potest, quamvis recte dicatur, Deum peccatum Adami, et totius generis humani permisisse. Si autem adversarii dicant, hanc permissionem aut iustitiae, aut sapientiae, aut bonitati divinae repugnare, ita contra ipsos argumentamur: Dicta permissio indigitatis perfectionibus divinis non repugnat, si, posita illa permissione, eaedem perfectiones divinae non obscurantur, sed in clariore luce ponuntur, quia supremus totius Universi finis non est felicitas hominis (§ 140), sed gloria Dei externa (§ 141). Atqui, posita peccati originalis permissione, perfectiones divinae non obscuratae, sed magis conspicuae redditae sunt, quia ex humani generis lapsi Redemptione, quae per Filium Dei incarnatum facta est, simul infinita iustitia, infinita misericordia et infinita sapientia in clarissima luce resplendent (§ 52), quod in tert. p. Theologiae dogm. spec. fusius ostendetur. Ergo etiam peccati originalis permissio perfectionibus divinis nullo modo repugnat.

Obi. II. Omne peccatum debet esse voluntarium; nam, iuxta communem Theologorum sententiam, peccatum est libera transgressio legis divinae, et ipse *S. Augustinus* illud definit « factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei. » Atqui originaria noxa homini recens generato non est voluntaria, quoniam tanquam infans rationis et liberi arbitrii uso caret: ergo rationi omnino repugnat dicere, in infantibus adesse peccatum.

Resp. Adducta peccati definitio spe-

(1) L. 3 de ingen. moder. cap. 1.

ctat solum peccatum actuale, ad quod proprius libertatis actus requiritur; ideo etiam dicitur peccatum, quod ex Adamo contrahitur, in huius posteris non esse actuale, sed originale: at istud quoque veram peccati rationem habere, ex divina Revelatione cognoscimus, cui credere debemus, etiamsi explicare non valeamus, quomodo voluntarium dicendum sit. Caeterum omnes admittunt praeter peccatum actuale etiam habituale, quod consistit in animae macula, seu in reatu, qui post pravam actionem commissam in homine remanet, et hic etiam tunc peccator dicitur, et vere est, cum nullum pravum voluntatis actum ponit... — Simili modo peccatum originale non exigit in infantibus proprium liberae voluntatis actum, sed est voluntarium voluntate Adae, in quo, tanquam in capite morali, omnium posterorum voluntates iucludebantur. Iustum est enim, ut malum, quod eligitur a capite, imputetur membris in eo moraliter inclusis, « sicut iustum est, ait *S. Augustinus* (1), ut pacta conventa inter Principem et Maiores populi ab omnibus civibus serventur. » Et *S. Thomas* (2) scribit: « Ad culpam personae requiritur voluntas personae; ad culpam vero naturae non requitur nisi voluntas in natura illa. » Praeterea in infantibus non baptizatis ipsa voluntas, iustitia originali privata, debita rectitudine caret; et hic ipse defectus, qui in voluntate invenitur, non quidem peccatum actuale, sed tamen habituale, seu originale constituit.

Obi. III. Adam, ut plerique existimant, iam per poenitentiam et fidem in Messiam iustificatus fuit, quando filios generavit; non poterat ergo peccatum propagare, quod iuxta Catholicos in iustificatione penitus deletum est; nam, iuxta irrefragabile adagium, nemo potest dare, quod non habet. Eadem difficultas occurrit in parentibus baptizatis, qui non possunt filiis communicare peccatum, quod in ipsis per baptisma extinctum fuit.

Resp. *a*) Tota difficultas modum concernit, quo ab Adamo iustificato et a parentibus baptizatis peccatum originale traducatur. Si modum istum satis perspicue explicare non possumus, certum est, ignorantiam modi non tollere certitudinem facti, et credendum esse Revelationi, infallibiliter res proponenti, et non rationi, etiam in naturalibus saepe caecutienti. Haec est iam natura mysteriorum, ut veritatum in his nobis patefactarum nexum intrinsecum non perspiciamus. Ideo libenter fatemur, modum, quo ab Adamo iusto et a parentibus baptizatis peccatum traducatur, esse supra rationem, nullatenus autem admittimus eum esse contra rationem: talem enim traductionem nullam repugnantiam, seu impossibilitatem involvere, naturalibus exemplis ostendit *S. Augustinus* (3), dicens: « Miraris, quare peccator nascatur de semine iusti, et non te delectat mirari, quare (amarus) oleaster nascatur de semine (dulcis) olivae. Accipe aliam similitudinem: non attendis, quia de grano frumentum cum palea nascitur, sine qua seminatur. Et de parentibus baptizatis ibidem addit: Ideo de baptizato non iustus nascitur, quia non eum generat (de Spiritu) unde regeneratus est, sed (de concupiscentia) unde generatus est: » nimirum sicut triticum purgatum generat aliud non purgatum, sed paleis involutum, quia eodem modo natum est

(1) L. 4 op. imp. c. 90.
(2) In 2 Sent. dist. 30. q. 2, art. 2.
(3) Serm. 194 (al. 11, de verb Apost. c. 16.

sito, et ideo dicimus, peccatum illud non esse actuale: negamus vero, illud idem peccatum nullo modo a voluntate procedere; cum enim omnium hominum voluntates inclusae fuissent in voluntate Adami, hac peccante, etiam illae defecerunt et rectitudinem suam amiserunt, unde etiam peccatum originale recte a voluntate procedere dicitur. Deus enim, ut ait Cl. *Günther* (1), consideravit Adamum ut repraesentantem genus humanum, et cum ille a lege aberrasset, in eodem conceptu divino omnes, qui ad genus humanum pertinent, ut a lege aberrantes considerantur. Exinde apparet, quomodo propagatio peccati originalis tum parentibus, tum unioni cum corpore adscribi possit. Parentes per naturalem generationem tantum efficiunt, ut corpus producatur, cui ex generali Dei decreto anima unitur; sic autem homo, seu membrum generis humani, quod peccato subiacet, procreatur. Generatio ergo non tam causa est propagationis peccati originalis, quam potius conditio, sine qua non potest dicta propagatio contingere. Eodem modo non corpus animam peccatricem reddit; sed quando corpori anima unitur, tale subiectum constituitur, quod in Adamo peccavit. Praeterea autem fatendum est, ipsum corpus quoque deordinatum et corruptum esse, et animam per unionem cum tali corpore deteriorari. Hoc explicant Patres per similitudinem aquae, quae licet ex purissimo fonte fluat, si tamen in vas coinquinatum recipiatur, ab eo contrahit immunditiam, ita anima ex sua cum carne vitiata coniunctione contrahit foeditatem, ut docet *S. Augustinus* (2). — Ex his iam patet, Deum non posse peccati originalis auctorem dici. — *b*) Id clarius apparet, si attendatur, substantiam animae, quam Deus creat, bonam esse (§ 228, n. 1), et peccatum originale non esse rem positivam, sed defectum debitae rectitudinis, seu privationem iustitiae originalis, rei autem negativae, seu defectus nulla datur causa positiva, seu efficiens: ergo absurde omnino Deus causa peccati efficiens dicitur. Si autem adversarii instent et dicant, sanctitati divinae repugnare, animas creare debita rectitudine carentes: id prorsus negamus, quia substantia animae bona est, et iustitia originalis donum indebitum est, sine quo iam ab initio animae creari potuissent. Imo Deus, ut scite observat *Günther* (3), animas debita rectitudine carentes, seu peccato infectas creare continuat, quia earundem decrevit Redemptionem, ex quo opere sanctitas, bonitas et sapientia Dei maxime elucent.

Obi. V. Si omnes infantes nascuntur peccato obstricti, ac sub daemonis potestate, praestabit a generatione cessare, qua non Deo, sed diabolo fructificatur. Imo nuptiae malae dicendae et omnino condemnandae erunt, quia per ipsas peccata et inimici Dei multiplicantur. Sed hanc consequentiam Ecclesia catholica non admittit, quae coniugii usum licitum declarat, et illos condemnat, qui nuptias malas et interdictas dicunt. Ergo in doctrina Ecclesiae catholicae vera contradictio continetur, cum aut peccati originalis propagationem negare, aut usum matrimonii illicitum declarare deberet.

Resp. Difficultatem istam solvit *S. Augustinus* docens, peccatum originale non *per se*, sed *per accidens* consequi ad generationem prolis: ideo (4)

(1) L. c. Ep. 7, pag. 144 etc.
(2) L. 5, c. Iulian. c. 3.
(3) L. c. pag. 149.
(4) L. 2 de nupt. et concup. cap. 26.

dicit: « Nuptiae institutae sunt causa generandi, non peccandi; propter quod illa est a Domino benedictio nuptiarum: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram*. Peccatum autem, quod inde a nascentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, sed ad malum, quod accidit hominibus, quorum coniunctione sunt nuptiae... Non igitur (malum) ab earum institutione, quae benedicta est, ad eas venit; sed ab eo, quod ex uno homine peccatum intravit in mundum etc. » Et sane nuptiae etiam in statu innocentiae adfuissent, quin in hoc felicissimo statu peccatum per ipsas propagatum fuisset. Institutae sunt enim a Deo ad genus humanum propagandum, qui finis semper bonus et voluntati divinae conformis, quoniam etiam post lapsum Adami verba divina: *Crescite et multiplicamini* etc., retractata non sunt, neque matrimonii usus interdictus fuit. Applicandum ergo est huic quaestioni principium, a *S. Thoma* et generatim a Theologis stabilitum, quod liceat intendere finem bonum, et permittere effectum malum, qui per accidens ex actione de se honesta sequitur. Iuxta istud principium parentes male quidem agerent, si in filiorum generatione ipsam peccati originalis propagationem intenderent; ast omni culpa vacant et recte agere dicendi sunt, si iuxta institutionem Dei et vocationem suam ad prolem procreandam matrimonio utantur, praecipue si pii sint, et homines generare studeant, qui per baptismum regenerati Deum laudent atque glorificent. Verum equidem est, ipsorum filios peccatum originale contrahere; sed talis infectio, quae praeter voluntatem parentum contingit, his imputari nullatenus potest. Et cum Iulianus, obiectioni a se factae insistens, diceret, nihilominus parentes culpandos esse, qui, dum matrimonio utuntur, propagationi peccati originalis occasionem praebent, quam removere tenerentur; *S. Augustinus* eundem perstrinxit (1), dicens: « Potes hoc et ipsi Deo dicere, non dico quia creat homines trahentes originale peccatum, quia id tu negas; sed quia nutrit et vestit innumerabiles impios, etiam quos novit in ipsa impietate mansuros..... Sicut ergo creanti Deo non imputatur, quod rationales naturae a bono deficiunt, sed quod bonum sunt; sic parentibus gignentibus, et malo concupiscentiae bene utentibus non est imputandum, quia cum eo malo filii nascuntur, sed quod bonum sunt. » — Ex his satis manifestum est, Ecclesiam catholicam sine omni contradictione, imo rectissime tum peccati originalis propagationem admittere, tum matrimonii usum licitum declarare.

Obi. VI. Eccur primum tantum Adami peccatum contrahitur a posteris, et non caetera peccata, quae idem patravit, neque ea, quae a parentibus et progenitoribus commissa fuerunt? — Iuxta rectae rationis principia vel omnia peccata transeunt a parentibus in filios, vel nullum.

Resp. Doctrinam de propagatione peccati originalis, quae rationis captum superat, ex sola Revelatione haurimus. Dicimus, primum Adae peccatum ab omnibus posteris contrahi, quia id clare revelatum est: illud autem de caeteris tum Adae, tum parentum et progenitorum peccatis non affirmamus, quia nullibi Revelatio docet, haec quoque peccata posteris propria fieri. Firma ergo Deo revelanti fides est exhibenda, quamvis ratio assignari nequeat, cur primum Adae peccatum ad posteros transierit, non vero reliqua. Iuxta systema tamen

(1) L. 3 c. Iulian. cap. 24.

S. Thomae huius rei ratio haud contemnenda assignari potest. Adam enim constitutus erat a Deo in statu innocentiae caput morale totius generis humani, et quoniam qua tale primum peccatum commisit, hoc etiam posteris, quorum voluntates in ipso moraliter contentae erant, proprium factum est. Sed statim ac Adam primum lethale peccatum commisit, a dignitate sua decidit, et caput morale totius generis humani esse cessavit. Ergo peccata, quae post primum funestum peccatum commisit, non commisit tanquam caput morale generis humani, sed ut persona privata: unde haec peccata ad eius posteros non transierunt. Idem dicendum est de genitoribus et progenitoribus, qui sunt quidem principia physica, non autem capita moralia suorum posterorum, et ideo ad hos peccata sua non ita transmittere possunt, ut iisdem propria fiant. — Nonnulli etiam cum *S. Augustino* dicunt, Adamum iam per primum peccatum tum sibi, tum posteris gratuita dona amisisse, cum toto genere humano e fastigio sanctitatis et felicitatis decidisse, et miserum humi ita iacuisse, ut quo profundius caderet, non haberet. — Caeterum nunquam oblivisci debemus sancta Religionis mysteria humiliter esse adoranda, non curiosius investiganda.

ARTICULUS XII.

De peccatis actualibus.

§ 237. 1. Peccatum proprie sumptum a *S. Augustino* definitur (1), « factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem aeternam. » Haec definitio praecipue peccato actuali optime convenit, quod ostendit *S. Thomas* (2), dicens: « Habet actus humanus quod sit malus ex eo, quod caret debita commensuratione: omnis autem commensuratio cuiuscunque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua si divertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanae est duplex: una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna, quae est quasi ratio Dei. Et ideo *Augustinus* in definitione peccati posuit duo: unum, quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit: dictum, vel factum, vel concupitum; aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit: contra legem aeternam. » In tradita definitione non tantum commissionis, sed et omissionis peccatum continetur; nam, ait *S. Thomas* (3): « Affirmatio et negatio reducuntur ad idem genus... et ideo pro eodem est accipiendum dictum, et non dictum, factum, et non factum, etc.; » hinc etiam vulgo male agere dicitur, qui non facit id, quod debet, vel non dicit ea, quae dicere tenetur, vel non amat, quae amanda sunt.

2. Ad peccatum actuale constituendum tria requiruntur: 1° *existentia legis* praecipientis, vel prohibentis; nam: *Ubi non est lex, nec praevaricatio* (4); quapropter *S. Augustinus* (5) inquit: « Si praevaricantes sunt omnes peccatores terrae, nullum est utique sine praevaricatione peccatum: nulla est autem praevaricatio sine lege: nullum est igitur nisi in lege peccatum; » 2° *legis transgressio*, nimirum vel actio contra praeceptum negativum, vel omissio contra praeceptum positivum; haec enim repugnantia legem inter et actum

(1) L. 22, c. Faust. cap. 27.
(2) 1 2, q 71, art. 6.

(3) Ibid. ad 1.
(4) Rom. 4, 15.
(5) Serm. 25 in Ps. 118.

si desit, peccatum non erit; 3º *in legis transgressione libertas*; ex cuius conditionis defectu bruta animantia, infantes et amentes non peccant, cum peragunt, quod rectae rationi et legi adversatur. Ut autem libera sit in homine legis transgressio, haec cum cognitione et libere se determinandi potestate fieri debet. *S. Augustinus* (1) dicit: « Illud proprie vocatur peccatum, quod libera voluntate, et a sciente committitur. » Et (2): « Nunc vero usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, vel indoctorum turba dissentiat. » Recte ergo etiam peccatum definitur: libera transgressio legis, et iuxta I, Io. III, 4 dicitur ἀνομία, seu aberratio a lege. Etiam *S. Augustinus* (3) dicit, quod peccatum sit transgressio legis; et *S. Ambrosius* (4) ait: « Quid est peccatum nisi praevaricatio legis divinae et caelestium inobedientia praeceptorum? » — De peccatis, quae legibus et regulis morum opponuntur, ex professo agit Theologia moralis. Hic solum agendum est de iis, quae propius ad Theologiam dogmaticam spectant, nimirum *de essentia peccatorum actualium, de distinctione peccatorum in mortalia et venialia, de peccatorum actualium causa et effectibus.*

I. *De essentia peccatorum actualium.*

§ 238. In peccato duo spectari solent, *materiale* scilicet, id est physica entitas actus, quae quia materiae instar est quid bono et malo commune, materiale nuncupatur; et *formale*, id est ipsa actus oppositio et repugnantia cum lege aeterna, seu actus non simpliciter, sed prout est contra legem. Certum est apud omnes materiale peccati esse ens positivum; dictum enim, factum et concupitum aliquid positivi significant; an autem formale peccati, seu ipsa repugnantia actus cum lege aeterna quid positivum sit, vel mera privatio, controvertitur. Quaestio haec restringi solet ad peccatum commissionis, quia supponere solent Theologi, peccatum omissionis in mera privatione consistere. Rectius tamen, ut bene animadvertit *D. L'Herminier* (5), quaestio moveretur de omni prorsus peccato, quia cum in omni peccato reperiatur ratio actus humani mali, in omni peccato esse debet aliquid, quod materiale et formale dici potest, ac proinde eadem de peccato omissionis moveri potest difficultas, quae movetur de peccato commissionis. Duplex est hac de re Theologorum opinio. Prima est eorum, qui docent, peccatum formaliter constitui per aliquid positivum, nimirum per tendentiam realem actus humani ad obiectum regulis morum difforme; quam sententiam defendunt *Caietanus, Salmanticenses, Gouetus, Tournely, Klee* etc. Secunda essentiam peccati reponit in mera privatione meraque carentia rectitudinis actui morali debitae; et hanc sententiam tenent *Suarez, Sylvius, Contenson, L'Herminier, Thom. ex Charmes*, et plurimi alii: istam vero sententiam veram, et adoptandam esse tum *ex auctoritate*, tum *ex ratione* probari potest.

1. *Ss. Patres* satis clare docent, peccatum non esse rem quamdam positive et substantialiter extantem, sed esse privationem boni, seu debitae rectitudinis defectum. *Diony-*

(1) L. 3 de lib. arbitr. c. 19.
(2) L. de vera relig. c. 14.
(3) L. 2 de consensu Evang. c. 4, n. 13.
(4) L. de paradiso c. 8.
(5) T. 6, tract. de pecc., p. 203, ed. Venet.

sius (1) inquit: « Peccatum non est aliquid existens, aut inexistens, sed privatio boni; » et iterum: « Privatio est malum, et defectus, et infirmitas, et aberratio — extantia carens ipsumque nihil, ac nullo modo et nusquam consistens. » *Origenes* (2), explicans illa verba: *Sine ipso factum est nihil quod factum est*, inter alia haec habet: « Bonus idem est cum existente. Cum vero malum, aut pravum contrarium sit bono, et contrarium existenti sit non existens, sequitur malum et pravum esse non existens. » *S. Athanasius* (3) ita disserit: « Ethnici, per se esse malitiam dicentes, dupliciter peccant: sive quatenus opificem privant eo, ut sit eorum quae sunt conditor, non enim eorum quae sunt Dominus erit, si malitia, ut illi putant, subsistentiam per se habet et essentiam; sive quatenus illum omnium conditorem statuentes, etiam mali esse necessario concedent; quippe cum inter ea, quae sunt, malum ipsi numerent. Hoc vero perabsurdum est. » Idem (4) dicit: « Neque a Deo, neque in Deo, neque a principio existit aliquod malum; sed homines cogitatione sua privationem boni informantes coeperunt sibi construere quod malum est, et pro suo arbitrio res esse finxerunt, quae non erant. » *S. Basilius* (5) ita praeclare loquitur: « Desine divinam incusare providentiam, nec omnino velis Deum substantiae mali auctorem putare, aut aliquam mali substantiam imaginari. Non enim subsistit velut animal iniquitas, neque ipsius essentiam subsistentem statuere possumus; nam malum boni privatio est. » *S. Gregorius Naz.* (6) dicit: « Crede nullam mali esse essentiam, nec per se subsistere, nec a Deo creatam. » *S. Gregorius Nyss.*, Or. Catech. c. 5, ait: « Ut visio naturae est operatio, caecitas vero naturalis actionis est privatio, ita et virtus opposita est vitiositati; non enim potest alia vitiositatis origo cogitari, quam virtutis absentia; » c. 6 addit: « Virtutis et vitiositatis sibi invicem oppositorum distinctio non ita consideratur, tanquam duo sint, quae solidam habeant extantiam, sed perinde atque e regione entis non ens distinguitur; et c. 28 asserit: Deum a sola vitiositate separari, et hanc ipsam natura constare nulla. » *S. Epiphanius* (7) scribit: « Malum aliquando non erat, neque radix ulla fuit malitiae, neque malum est quiddam per se subsistens. » *S. Ambrosius* (8) inquit: « Quid est aliud quod malum dicitur quam privatio boni? » et (9) cum plura contra Manichaeos disseruisset, concludit: « Ex iis, quae iam diximus, possumus colligere, quia (malum) non est viva substantia. » *S. Hieronymus* (10) dicit: « Mala, quae nulla sua natura subsistunt, a Domino non creantur. » Et (11): « Nunquam a me audies, malam esse naturam. » *S. Augustinus* l. 2 de Civ. D. (12) dicit: « Mali nulla natura est, sed amissio boni mali nomen accepit; » et (13): « Cum omnino natura nulla sit malum, nomenque hoc non sit nisi privationis boni. » L. 7 Confess. (14) ait: « Deo omnino non est malum, sed nec universae creaturae eius, quia extra Deum non est aliquid, quod irrumpat et corrumpat ordinem quem posuit ei..... et quaesivi, quid esset iniquitas, et non inveni substan-

(1) Lib. de div. nom. c. 4.
(2) Tom. 2 in Ioann.
(3) Lib. contra Gentes. (4) Orat. in idola.
(5) Homil. Quod Deus auctor non sit mali.
(6) Or. in sanctum lavacrum.

(7) Haer. 37.
(8) L. de Isaac, et anima c. 7.
(9) Hexaem. l. 1, c. 8.
(10) In cap. 3 Ierem.
(11) In Ep. ad Ctesiph. (12) C. 9.
(13) Cap. 22. (14) Cap. 13.

tiam » (1). L. 1. c. Iulian. c. 9 inquit: « Nihil est aliud malum nisi boni privatio » (2). - Idem, in illud Io., I: *Sine ipso factum est nihil* etc., ait: « Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines dum peccant. Hoc idem clarius exponit (3), ita disserens: Quia per iniquitatem homo lapsus est a substantia, in qua factus est, (iniquitas enim ipsa non est substantia; non enim iniquitas est natura, quam fecit Deus, sed iniquitas est perversitas, quam fecit homo,) venit Filius Dei ad limum profundi et infixus est, et non erat substantia, in qua infixus est. Omnia per ipsum facta *sunt*, *et sine ipso factum est nihil*. Naturae omnes per ipsum factae sunt, iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas facta non est. » *Leo M.* (4) scribit: « Fides vera, quae est catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporalium bonam confitetur substantiam, et mali nullam esse naturam, quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. » *S. Fulgentius* (5) ait, sine dubitatione credendum esse, « nullam esse malam naturam, quia omnis natura in quantum natura bona est... Malum enim nihil aliud est quam privatio boni. » *S. Prosper* S. Augustini sententias (6) refert, in quibus dicitur iniquitatem substantiam non esse, et (7) canit: « Nulla igitur vitiis substantia nullaque vita est, quae vegetet corpus materiemque suam. Sed cum libertas discedit ab ordine recto, nec servant proprium, quae bona sunt, modulum, in culpa et vitio est vagus in contraria motus, fitque malum veram deseruisse viam. » *S. Io. Damascenus* (8) ait: « Peccatum nihil aliud est quam privatio boni, sicut tenebrae sunt orbitas lucis » (9). - *S. Petrus Damian.* (10) haec habet: « Mala quaelibet, ut sunt iniquitates et scelera, etiam cum videntur esse, non sunt, quia a Deo non sunt, ac propterea nihil sunt, quia videlicet Deus non fecit, sine quo factum est nihil; » et inferius addit: « Mala ergo etiam cum videntur esse, non sunt, et ab eo, qui vere et summe est, procul sunt. » *S. Anselmus* (11) dicit: « Iustitiam credere debemus ipsum bonum, quo sunt boni, i. e. iusti, et Angeli et homines: iniustitiam vero ipsum malum esse, quod nihil aliud dicimus esse, quam boni privationem, quod malos et malam voluntatem facit: et ideo eandem iniustitiam non aliud esse asserimus, quam privationem iustitiae. » Idem (12) ait: « Omnis essentia est a Deo, a quo nihil est iniustum; quare nulla essentia est iniusta per se. Iniustitia autem nihil est, sicut caecitas. Non enim aliud est caecitas, quam absentia visus, ubi debet esse; quae non magis est aliquid in oculo, ubi debet esse visus, quam in ligno, ubi non debet esse. » *S. Bernardus* (13) inquit: « Sic et nos, qui de nihilo creati sumus, constat, quia, si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper, quod nihil est, declinamus. » Neque dubitari potest, eiusdem sententiae *S. Thomam* fuisse, quidquid aliqui deblaterent. Nam, praeter locum § 237 citatum l. 2, q. 18, art. 1, dicit: « Actus est malus moraliter, in quantum ei deficit de plenitudine essendi. Et ibid. q. 75, art. 1: Peccatum est actus inordinatus: ex parte igitur actus potest habere causam sicut et quilibet alius actus, ex parte au-

(1) Cap. 16. (2) Cf. Enchir. c. 11.
(3) Serm. 1 in Ps. 68.
(4) Ep. 93 ad Turib. c. 6.
(5) L. de fide cap. 21. (6) N. 144 et n. 176.
(7) Epigr. 95 (al. 25). (8) L. 2 de fide c. 4
(9) Cf. c. 30 et lib. 4, cap. 21.
(10) Opusc. 36, c. 9.
(11) L. de casu diaboli c. 9.
(12) De conc. virg. et or. pecc. c. 5.
(13) Serm. 1 in Annunt.

tem inordinationis habet causam eo modo, quo negatio, vel privatio potest habere causam. Q. 85, art. 4: Est quoddam bonum, quod est ipse actus ordinatus..... et huius privatio est essentialiter ipsum peccatum. Et 2 2, q. 118, art. 5: Omne peccatum ex hoc ipso, quod est malum, consistit in quadam corruptione, sive privatione alicuius boni. » Sed praecipue Opusc. 2, seu in compendio Theol., postquam ostendit (1), quod « nomine mali nihil aliud intelligitur, quam privatio; » loquens (2) de malo morali dicit: « Cum igitur privatio perfectionis debitae sit malum in naturalibus, formam accipere, cui adiungitur privatio formae debitae, malum est non propter formam, sed propter privationem ei adiunctam, sicut igniri malum est ligno: et in moralibus etiam inhaerere fini, cui adiungitur privatio finis debiti malum est non propter finem, sed propter privationem adiunctam. » Eandem sententiam defendisse *Alex. Hales* et *S. Bonaventuram* fatetur *Tournely* (3). Si in quaestionibus theologicis definiendis generatim consensus Ss. Patrum et Doctorum rectissime summi momenti habetur, hoc idem principium etiam praesenti materiae applicare oportet, atque ideo sententia illa repudianda non est, quam celeberrimi omnium saeculorum Patres et Doctores claris verbis tradunt (4).

2. Peccatum non esse rem positive et substantialiter existentem, sed in rectitudinis debitae privatione consistere, etiam *ex ratione* probari potest. Ipsi Ss. Patres hac de re varia argumenta philosophico-theologica proponunt. *a*) Certissima veritas est, Deum omnium auctorem esse; nam Io. I: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Quodsi peccatum est ens positive existens; sicuti, qui id defendunt, concedunt, peccatum non esse a se, aut aeternum, ita admittere debent, peccatum factum esse. Ex hac vero assertione semper absurdum sequitur; ita enim cum *S. Athanasio* (5) argumentari licet. Si peccatum est ens contingens, positive existens, vel hoc est factum a Deo, vel non est factum a Deo: si primum dicatur, Deus peccati auctor constituitur, quod adversatur Concilio Tridentino (6). - Si secundum dicatur, falsa dicenda est sententia Io. I, 3, quia admittitur aliquid factum, quod non sit factum a Verbo. - *b*) Si peccata sunt entia realiter existentia, vel Deus illa cognoscit, vel non cognoscit: si primum dicatur, vel Deus peccata intueri debet, ut ex horum consideratione cognitionem acquirat, per quod eius scientia ab obiectis externis dependens fit (§ 29 n. 2); vel Deus cognoscendo, peccata efficit, quia iuxta *S. Augustinum* scientia Dei est efficax rerum et sic Deus auctor peccatorum constituitur: si autem secundum adstruatur, Dei omni scientia negatur, et Deus hominum iudex atque peccatorum vindex esse non potest. - *c*) Deus est immensus et omnia implet: si autem peccata realiter existunt, vel Deus est in peccatis vel non: repugnat autem infinitae sanctitati, Deum esse in peccatis et peccata esse in Deo: si autem Deus non est in peccatis, immensitas, seu omnipraesentia eius negatur. - *d*) Eodem modo se habent malum morale et malum artificiale, quia bonum utrique malo oppositum consistit in conformitate ad suam regulam; atqui malum ar-

(1) Cap. 114 et 115. (2) Cap. 116.
(3) Tract. de pecc. P. 1, c. 1, art. 2.
(4) Cf. Petav. Tom. 1, lib. 6, c. 4.
(5) L. c. (6) Sess. 6, can. 6.

tificiale consistit in privatione conformitatis ad regulas artis, ergo malum morale consistit in privatione conformitatis ad legem, ut suam regulam. Imo etiam mala naturalia sunt defectus boni naturalis, quod iuxta communem ordinem naturae adesse deberet, e. g. caecitas, paupertas, fames, sitis, mors etc.: si itaque etiam mala naturalia consistunt in privatione, seu defectu ordinis naturalis; hoc idem multo magis de malis moralibus dicendum erit; haec enim dividuntur in peccata commissionis et omissionis, et cum nomen peccati de his et de illis univoce sumatur, absonum est, rationem formalem seu essentiam peccati omissionis in privativo, illam autem peccati commissionis in positivo reponere, nam iuxta dialecticos dicuntur univoca, quorum nomen et ratio est communis et eadem (1). - *e*) *S. Augustinus* (2) ita praeclare ratiocinatur: « Cum Deus summa essentia sit, hoc est, summe sit et ideo immutabilis sit; rebus, quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summe esse, sicut ipse est: et aliis dedit esse amplius, aliis minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit. Sicut enim ab eo, quod est sapere, vocatur sapientia, sic ab eo quod est esse, vocatur essentia. — Ac per hoc ei naturae, quae summe est, qua faciente, sunt quaecunque sunt, contraria natura non est, nisi quae non est. Ei quippe, quod est, non esse contrarium est. Et propterea Deo, id est, summae essentiae et auctori omnium qualiumcunque essentiarum essentia nulla contraria est. » — *f*) Idem S. Doctor (3) aliud argumentum profert, tali dilemmate utens: Si substantia mali existit, haec vel incorruptibilis, vel corruptibilis est: si incorruptibilis, est summe bona; si autem corruptibilis, corrumpi aut vitiari non posset, nisi bona esset: ergo substantia mali nulla est. Sed totum caput citatum attente legi meretur (4).

Nota. Etiam ethnicos Philosophos, *Platonem*, *Aristotelem*, *Plotinum*, *Proclum* et alios mali naturam in defectu, seu privatione boni reposuisse, testatur *Petavius* (5). — Idem sentiunt non pauci recentiores Philosophi et Theologi, e. g. *Staudenmayr* (6), *Möhler* (7). — Negari autem non potest, etiam pro contraria sententia non obscuri nominis Philosophos et Theologos citari posse. Utramque sententiam cum suis momentis et responsionibus adversae partis proponit *Billuart* (8). — Novissime sententiam nostram acriter impugnarunt *D. Klee* (9) et *Günther* (10).—Istorum et aliorum obiectiones audire et solvere oportet.

Obi. I. Malum non est negatio boni, alias in quolibet momento, quo nihil boni agimus, malum faceremus, et Deus, dum nondum creavit, malum fecit, et cum crearet, iterum male egit, quia non tot et tanta bona creavit, ut non plura et perfectiora creare potuisset, et quia nobis non omne bonum concedit, et non omne bonum in nobis operatur, rursus et continuo malum operatur: cum venia sit dictum propter materiam et propter adversarios: ita loquitur *Klee* (11).

Resp. D. *Klee* sententiam nostram, quam impugnat, falso omnino con-

(1) Cf. Th. ex Charm. c. 1, q. 3.
(2) L. 12 de Civ. D. cap. 1, 2.
(3) L. 7 Conf. cap. 12.
(4) Cf. Berti de disc. theol. L. 1, cap. 8, prop. 2.
(5) L. c.
(6) Th. chr. P. 2, tom. 3, Sect. 1, § 43.
(7) Def. Symbol. c. Braun § 22.
(8) Tr. de pecc. Diss. 1, art. 3.
(9) Dogm. P. 2, lib. 1, c. 1, § 9.
(10) L. c. Epist. 4.
(11) L. c. n. 1.

cipit et proponit. Non enim dicimus, malum esse negationem boni simpliciter, sed absentiam boni, quod perfici deberet, seu defectum debitae rectitudinis peccatum esse contendimus. Sicut enim caecitas est malum naturale in homine, in quo visus adesse deberet, non autem in arbore, cui oculi non competunt; ita etiam peccatum non per omnem limitationem naturae, aut absentiam boni constituitur, sed in defectu rectitudinis debitae consistit seu in aberratione a lege, quae invenitur in homine vel actum probibitum ponente, vel actum praescriptum omittente. Ex hac declaratione patet, nos non peccare, si bonum non agimus, ad quod agendum nullo modo obligamur; cum autem, qui bonum negligit, ad quod agendum obligatur, nemo a peccato excusabit. Ineptissime vero falsa consequentia ipsi Deo applicatur; Deus enim, utpote Ens primum et independens, legibus et regulis non subest, atque ideo nunquam a lege aberrare, nunquam a debita, seu praescripta sibi rectitudine, deficere potest, sed omnia, quae vult et facit, bona et optima sunt. Ergo etiam in nostra sententia clarissime apparet, peccatum in Deo cogitari non posse.

Obi. II. Si malum, ait *Klee* (1), non esset nisi negatio boni, nulla daretur peccatorum distinctio, sed omnia peccata mortalia essent eiusdem speciei et gravitatis, tanquam negatio unius boni: porro post unum peccatum mortale secundum, et tertium possibile non esset, quia non potest ulterior negatio fieri, ubi iam totum negatum est.

Resp. Haec argumentatio falso supposito laborat; supponit enim, quod ille, qui peccat, bono generatim sumpto valedicat, seu bono ex omni parte privetur. Sed non ita sententia nostra concipienda est; nam dum dicimus, peccatum esse defectum boni, bonum non sumimus in abstracto, neque pro complexu omnium bonorum, sed pro illa rectitudine, quam habere debet voluntas, ut actio bona fiat. Rectitudo autem illa exurgit a conformitate cum lege sive praecipiente, sive prohibente, quam homo observare tenetur, unde peccatum sicut defectus, seu privatio boni, ita etiam aequivalenter aberratio a lege nuncupatur. Quemadmodum autem variae leges dantur quoad speciem et gravitatem distinctae, ita etiam in nostra sententia peccata quoad speciem et gravitatem distinguuntur. Aut quis negabit, talem distinctionem etiam in peccatis omissionis locum habere? Certe servos iussus a domino pauperi eleemosynam erogare, et hanc non tribuens, contra obedientiam et contra charitatem eo gravius peccat, quo maior eleemosyna et quo urgentior pauperis inopia fuerit. Quod secundam obiectionis partem attinet, iuxta nostram sententiam, qui ab una lege aberravit, etiam a secunda et tertia aberrare potest: si autem peccatorum effectus, seu poenae respiciantur, etiam illi, qui peccatum in re positiva reponunt, fateri debent, hominem per unum peccatum mortale gratiam divinam et aeternam beatitudinem perdere, et reatum aeternae poenae incurrere: eadem ergo difficultas contra hanc quoque sententiam moveri potest. Caeterum etiam in nostra sententia pro multiplicatis aberrationibus a lege, etiam poenae multiplicantur.

Obi. III. Idem (2) obiicit: « Si malum esset negatio, diabolus et infer-

(1) N. 2.

(2) N. 3.

nus essent omnimoda negatio, perfectum nihilum.

Resp. Mirum est, quomodo *D. Klee* ex nostra sententia hanc consequentiam deducat, qui in priori obiectione dixit, illa admissa omnem peccatorum distinctionem e medio tolli? — Fatemur, diabolum a moralitate et felicitate penitus et irreparabiliter defecisse (§ 177), sed ex hoc non sequitur, daemonibus omnia denegari, aut ipsos ad nihilum redactos esse. Nam substantiam spiritualem, imo etiam vires naturales, quamvis imminutas, retinuerunt, cum quibus physice, sed non moraliter bene agere possunt. Id exponit S. *Thomas* (1), dicens: « Actus daemonis est duplex: quidam scilicet ex voluntate deliberata procedens, et is proprie dici potest actus eius, et talis actus daemonis semper est malus: quia etsi aliquando aliquod bonum faciat, non tamen bene facit. Sicut dum veritatem dicit, ut decipiat, et dum non voluntarie credit et confitetur, sed rerum evidentia coactus. Alius autem actus daemonis est naturalis, qui bonus esse potest, et attestatur bonitati naturae et tamen tali bono actu abutuntur ad malum. » In nostra sententia etiam declarari potest, quomodo Angeli lapsi male agant, seu peccata committant, et tamen ideo novas poenas sibi non adsciscant (§ 177, n. 2). Ratio est, quia peccatum formale, quod ad poenam imputatur, est defectus *debitae* seu a Deo requisitae rectitudinis: sed cum daemones iam sint extra statum viae reiecti et damnati, Deus rectitudinem, quam habere nequeunt, non requirit, et ideo huius defectus, seu peccata ab ipsis commissa in tali statu non novis afficit poenis. — Sicuti autem daemones iuxta nostram sententiam etiam post lapsum vere existunt, operantur et patiuntur, ita etiam vere existit locus, in quo commorantur, et puniuntur.

Obi. IV. Idem (2) ita argumentatur: « Malum, si non esset positivum, nullam vim positivam haberet; maius peccatum non haberet pro sua conditione maiorem virtutis positivae mensuram; adultus non esset maioris peccati quam infans, nec diabolus maioris malitiae quam homo capax. » His (3) addit: « Qui peccatum in negatione reponunt, illud cum malo, et sequelas peccati cum ipso peccato confundunt. Sequelae destructionis ultimato omnino negativae sunt qualiscunque vis positiva, et locus ipse destructionis positivus adstruatur. »

Resp. Si *Cl. Klee* in malo morali, seu peccato vim positivam admittit, haec utique ad ipsum malum, seu peccatum producendum ordinatur: quaeri itaque debet, an haec vis a Deo creata, aut ab ipso peccato exorta sit? Si primum dicatur, Deus auctor mali constituitur, quia vis ad producendum peccatum ordinata, intrinsece mala dicenda est: si secundum dicatur, praefata vis non est nisi sequela, seu effectus peccati; sequelas autem peccati ipse D. Klee negativas esse dicit: ergo obiectio omni soliditate caret. Caeterum etiam nos in homine, qui peccat, vires positivas admittimus, non vero in malum, sed in bonum ordinatas, a quo deficientes peccare dicuntur. Imo quo maiores sunt vires in bonum dirigendae, eo maius ex earum defectione peccatum exurgit: ideo adultus, maiori cognitione et firmiori voluntate praeditus quam puer, gravioris peccati reus fit et diabolus ob

(1) 1, q. 64, art. 2 ad 5.

(2) N. 4.

(3) N. 5.

praestantissimas, quas a Creatore acceperat, intellectus et voluntatis praerogativas, gravissimum peccatum commisit. – Praeterea, qui nostram sententiam defendunt, ipsum peccatum ab huius effectibus caute distinguunt, uti eorum tractatus legenti facile patet. D. Klee potius sibi non satis cohaerere videtur; nam (1), loquens de Angelorum lapsu, ait: « Ipsorum peccatum erat pura et plena negatio puri et certo modo infiniti spiritus contra Spiritum sanctum. »

Obi. V. *D. Günther* fatetur, *S. Augustinum* docere, quod malum positive non existat, sed nihil sit, et ideo Deo, qui est summum esse, penitus opponatur: ast magnum Doctorem in eo aberrasse censet, quod nihilum tamquam aliquid reale pertractet, ex quo duplex error sequitur, scilicet quod Deus ex nihilo mundum creaverit, cum tamen nullum ius habuisset nihilo pro materia creationis utendi, et quod aliis solum terminis doctrina Ethnicorum de materia aeterna renovetur. Alius vero error ex eodem *Augustini* principio sequitur, nimirum quod malum, seu peccatum omni causa et sufficiente ratione caret: id vero admitti non potest, nam actus voluntatis, qui legi contradicit, non minus positivus est, quam actus voluntatis legi conformis (2).

Resp. Falsum omnino est, *S. Augustinum* nihilum tanquam quid reale considerare: sed per nihilum id, quod realiter non existit, intelligit, uti ex eius scriptis abunde constat, et etiam ex loco, quem (3) *Günther* citat (4), et in quo S. Doctor malum morale, quod ut defectum boni nihilum nuncupaverat, comparat silentio, quod nihil est reale, sed defectus soni, atque tenebris, quae non realiter existunt, sed sunt defectus lucis. Caeterum non solus Augustinus, sed S. Scriptura quoque et Ecclesia (§ 137) docent, Deum ex nihilo mundum creasse. Ast etiam pueri, in scholis eruditi, probe cognoscunt, nihilum non ut materiam considerandam esse, ex qua mundus factus sit, sed dogmatis catholicis sensum esse, Deum ea, quae antea non erant, sine ulla materia ad existentiam perduxisse: quanta ergo temeritas, aut stupiditas est, de *S. Augustino* dicere, quod nihilum tanquam materiam creationis consideraverit, et sub aliis terminis errorem Ethnicorum de materia aeterna tradiderit, cum ad hunc refellendum docuerit, Deum ex nihilo, id est, sine ulla materia mundum creasse?!... Praeterea nemo clarius *S. Augustino* docuit, scientiam Dei esse effectricem rerum, et Deum non cognoscere res quia sunt, sed res esse, quia eas Deus cognoscit (§ 29, n. 2) atque etiam theoriam de ideis divinis nemo melius *S. Augustino* explanavit (§ 133). — Cum autem peccatum non sit aliquid positivum, sed defectus boni, seu absentia debitae rectitudinis, *S. Augustinus* rectissime asserit, illud non habere causam positivam, seu efficientem, sed solum deficientem, sicuti etiam silentii et tenebrarum causa non efficiens, sed deficiens est. — Contrarium vero sentit *D. Günther*, peccatum in actu voluntatis positivo reponens, atque ideo magnum Doctorem erroris insimulat. Sententiam autem suam probat dicens, actum voluntatis legi contradicentis non minus positivum esse, quam actum voluntatis legi conformem. Ast nos quoque fatemur, in quolibet peccato commissionis actum positivum voluntarium poni. Sic car-

(1) Cap. 2, art. 1, 3, n. 2.
(2) L. c. Ep. 4, pag. 65-67.
(3) Ibidem. (4) Ex l. 12 de Civ. D. c. 7.

nes manducans die Veneris non minus actum positivum voluntarium ponit, quam dum die Dominica iisdem vescitur. Sed ex hoc ipso patet, quod ipsemet actus, qui etiam licitus bonusque esse potest, per se et in se malus dici nequeat. Voluntas quoque peccantis in substantiam malam non mutatur: imo ipsa volitio, quae in obiectum illicitum dirigitur, physice sumpta-abstrahendo a lege morali-mala non est, cum liberi arbitrii usus in se magnum privilegium sit a Creatore homini concessum. Volitio ergo, seu actus voluntatis ideo tantum malus fit, quia cum regula morum non convenit, a debita rectitudine deficit, a lege aberrat. Etiam *Günther* cum his principiis consentire videtur; nam (1) dicit: « Peccatum est quidem negatio, sed supponit obiectum negans, quod sub negationis apparentia sit ens liberum, reale et ita substantiale, sicut illud, cui per negationem se opponit. » Hoc idem resultat ex nostra sententia; nam aberratio a lege, seu defectus debitae rectitudinis supponit ens liberum, reale et substantiale, quod a lege sibi imposita aberret, a debita rectitudine deficiat.

Obi. VI. Dantur actus mali, e. g. odium Dei, mendacium et similes, quibus sub nullo respectu rectitudo competere potest, unde etiam eorum malitia in absentia debitae rectitudinis consistere nequit, sed necessario ut positivum quid concipitur. Si hoc non admitteretur, dicendum foret, ab eo, qui Deum non debito modo amat, et ab illo, qui Deum odit, idem peccatum committi.

Resp. Odium Dei ab homine cogitante committitur, mendacium ab homine loquente profertur. Et certe ipsi actui, quo homo Deum odit, aut mendacium profert, nullo modo debita rectitudo competere potest; alias enim haec simul adesse, et simul abesse deberet. Recte ideo Theologi dicunt, praefatis actibus non posse competere debitam rectitudinem in sensu composito, bene autem in sensu diviso. Nimirum homo, qui Deum odio habet, deberet Deum amare, de eius excellentia gaudere et eius providentiam adorare, etc.; et homo mendax deberet veritatem loqui: ergo et hic et ille peccat a debita rectitudine deficiendo. Neque ex hoc principio sequitur, ab eo, qui Deum non debito modo amat, et ab illo, qui Deum odit, idem peccatum committi. Charitas enim Deo debita varios gradus habet, ed ideo ab illa aut magis, aut minus deficere possumus. Quapropter sicut intellectus hominis ipsam Dei existentiam negantis a veritate penitus deficit, quin tamen eius negatio aliquid positivum sit; ita voluntas hominis Deum odio habentis a debita charitate penitus deficit, quin haec inordinatio aliquid positivum sit (2).

Obi. VII. Illud est formale constitutivum peccati, a quo peccatum habet, quod sit primo malum morale: atqui peccatum commissionis habet primo, quod sit malum morale per positivam, et vitalem tendentiam in obiectum malum; nam haec tendentia moraliter mala prius convenit actui quam privatio rectitudinis, imo illa huius causa et fundamentum est: ergo tendentia illa positiva essentiam peccati constituit. Ita *Tournely*.

Resp. Non negamus, tendentiam voluntatis, quae peccatum praecedere solet, esse positivam; sed haec tendentia mala est, non quatenus est positiva et actum physicum constituit, sed quatenus non convenit cum

(1) In eadem Epistola pag. 76.

(2) Cf. Billuart l. cit. § 3.

regula morum, seu quatenus a rectitudine deficit, seu a lege aberrat. Tendentia, quam Eva erga fructum arboris scientiae boni et mali habuit, mala non fuisset, si Deus istum fructum non prohibuisset; sed mala fuit, quia Evae voluntas in comestionem fructus tendens a debita rectitudine defecit, seu a lege aberravit. Accedit, quod quis tendentiam, seu inclinationem ad obiectum malum sentiat, et tamen sine peccato sit: si enim voluntas inordinatae tendentiae, seu cupidini resistat, nullum peccatum adest: ergo non dicta tendentia, sed semper ipsa voluntas, a debita rectitudine deficiens, seu a lege aberrans est formale constitutivum peccati, a quo peccatum habet, quod sit primo malum morale (1).

Obi. VIII. Si peccatum non est nisi defectus, seu privatio, et non est ens realiter existens; ex hoc inferendum erit, peccatum non posse obiectum esse poenae; et si Deus peccatum punit, dicendum erit, quod nihilum puniat, seu quod nullam puniendi causam habeat. Talis autem doctrina moralitati adversatur; nam homines illam audientes flocci facient tum peccatum, tum poenam peccati.

Resp. Qui talia obiiciunt, sententiam nostram haud recte intelligunt. Non enim peccatum simpliciter nihilum dicimus, sed debitae rectitudinis defectum. Qui autem a debita rectitudine deficit et a praescripta sibi lege aberrat, iam culpam contrahit et merito punitur; ideo omnes concedunt, peccata omissionis non minus quam illa commissionis poenas mereri, et nemo patrem, qui filium iniunctum sibi opus negligentem castigat, iniustum dicet. — Nonnulli etiam respondent, Deum iuxta aeternum decretum legem adimplentibus bona concedere, ea vero a lege aberrantibus negare: cum enim, iuxta communem conceptum, Deus puniat vel subtrahendo bona, vel infligendo mala, haec ipsa vero solum in defectu, seu privatione boni consistant, eadem semper responsio valet. Nullatenus ideo sententia nostra moralitati adversatur, quoniam ex illa quoque sequitur, peccata cautissime fugienda, et poenas divinas summopere timendas esse. Ideo tantum eadem sententia caute proponenda est, quia, nisi bene explicetur, a rudi populo non intelligitur, et hac de causa prava consectaria producere potest, quapropter in publicis institutionibus potius observandum est monitum, quod in Recognitionibus Apostolicis S. Petro tribuitur, dicenti: « Non praecepit nobis Dominus requirere naturam peccati, sed docere quomodo fugiendum. » Aliter autem in Theologia procedere oportet, quia, uti in decursu apparebit, admissa nostra sententia, multae incredulorum difficultates facillime solvuntur. Placeat de eadem sententia *Petavium* audire, qui postquam consensum Patrum, peccatum in mero defectu debitae rectitudinis constituentium, ostendit (2), ita disserit: « Cum veterum Patrum concors illa et sine ulla varietate conveniens auctoritas (illis, qui peccatum positivum quid esse dicunt) opponitur; plerique fateri non dubitant, in eo se dissentire ab illis quidem, sed hoc necessaria se inductos ratione facere, quod quaedam perplexa sint et explicatu difficilia, quibus se aliter expedire nequeunt. Mihi vero constituendae sententiae ratio ista neutiquam placet, neque probo et catholico dignum Theologo videtur, prodere antiquitatis partes, si minus adversantium impetum sustinere pos-

(1) Cf. Contenson. l. 6, Diss. 2.

(2) T. I, L. 6, c. 4, n. 9.

sit, cum quidvis perpeti satius sit, ac vel inscientiam in eo dissolvendo, quod contraponitur, fateri suam, quam ab illius auctoritate ultro et confitentem recedere. Est enim e catholice sentiendi loquendique regulis haec una, quam sacra Concilia et Ecclesiae decreta fixerunt, et in quibus saepe ita profitentur, nolle se praeter ea, quae communiter antiqui Patres iudicarunt, de propositis quaestionibus et fidei rebus exponere, » etc.

II. *De distinctione peccatorum in mortalia, et venialia.*

§ 239. 1. Stoici dictitabant, peccata quoad malitiam inter se non differre, sed omnia aequalia esse. Absurdam hanc sententiam *M. T. Cicero* solo rationis lumine confutavit, rectissime in paradoxis observans, maius graviusque peccatum esse patriam prodere, quam homini cuidam privato parvam iniuriam inferre. Et sane sicut dantur leges maioris et minoris momenti, ita etiam transgressiones graviores et leviores distingui debent: imo eadem quoque lex cum maiori, vel minori advertentiae et malitiae gradu violari potest. Omnes idcirco, qui sanae rationis principia sequuntur, discrimen peccatorum in *graviora* et *leviora* admittunt. — Praeterea ratio facile sibi persuadet, reatui culpae reatum poenae respondere, et gravius peccatum maiorem quam levius poenam mereri. Ast humana ratio sibi relicta non potest poenas singulis peccatis debitas definire; has enim statuere ad Deum, qui offenditur, spectat, cuius iustitia a priori determinari nequit (§ 48). Quae autem per solam rationem cognoscere non valemus, nobis per divinam Revelationem manifestantur, quae nos certos reddit, gravitati peccatorum gravitatem poenarum respondere (1). — Imo eadem revelatio docet, dari peccata, quae gratiam sanctificantem auferunt, animam occidunt, et hominem aeternae damnationis reum constituunt, quae ideo *mortalia* vocantur; et dari alia peccata, quae gratiam sanctificantem non auferunt, neque aeternae damnationis reatum inducunt, quamvis gratiam imminuant et temporalem poenam mereantur, et haec peccata *venialia* nuncupantur. Et tali denominatione peccatum donatur non solum ab eventu, quia veniam consecutum est, nam in hoc sensu, ait *S. Ambrosius* (2): « Omne peccatum per poenitentiam fit veniale; » sed dicitur veniale ex natura sua, quia iuxta ordinem iustitiae divinae tam dirae poenae pro illo statutae non sunt, quantae peccato mortali infliguntur. — Itaque haud confundenda est haec distinctio peccatorum in mortalia et venialia cum distinctione priori in peccata graviora et leviora; nam inter ipsa peccata mortalia alia aliis graviora sunt, sic e. g. homicidium est gravius furto: et etiam inter venialia eadem distinctio adhiberi potest; nam mendacium iocosum est gravius verbo otioso.

2. Ab exposita Revelationis doctrina non pauci recesserunt. Iam ad finem Saeculi IV *Iovinianus*, novus haeresis auctor docuit, omnia peccata esse paria, ut clare indicat *S. Hieronymus* (3), dicens: « Non tibi habebunt tantas gratias, quos de humili ad sublime levas, quantum irascentur, quos propter leve quotidianumque peccatum in exteriores tenebras retrusisti. » — *Pelagius* quolibet peccato iustitiam a-

(1) Luc. 12, 47. Apoc. 18, 7.

(2) L. de Parad. c. 14.

(3) L. 2 c. Iovin. prope finem.

mitti asseruit; cumque negare haud posset, multos in hoc saeculo iustos dari, affirmabat, posse hominem in hac vita nullum omnino habere peccatum, atque ex his Ecclesiam Christi tanquam membris constitui, ut sit omnino sine macula et ruga. *Io. Wicleffus* contendebat, omnia peccata, etiam illa, quae a nobis venialia dicuntur, inducere posse mortem aeternam; ideoque esse de se mortalia, quamvis eam de facto praedestinatis non inducant, sed solum reprobis. Hanc ipsam insaniam renovavit *Calvinus* docens, peccata fidelium praedestinatorum, quantumvis gravia et enormia, esse venialia, seu non imputari, quia fidem et charitatem acceptam nunquam amittunt; reproborum vero peccata, licet levia videantur, esse mortalia, quia fide et gratia destituti in omnibus suis actibus gravissime peccant. Contra *Lutherus* omnia quidem peccata de se mortalia esse aiebat, eaque infidelibus ad mortem aeternam imputari; fidelibus autem, sive praedestinati, sive reprobi sint, ex sola Dei misericordia fieri venialia. Similem doctrinam Protestantes communiter tenent; quamvis enim peccata graviora et leviora distinguant, omnia tamen peccata ex natura sua aeternam damnationem mereri contendunt, atque ideo negant peccata in sensu catholicorum venialia, quae ex natura sua tam tristes effectus non producant (1).

3. Catholicorum communis est doctrina, non omnia peccata esse mortalia, sed dari etiam peccata, quae hominem gratia sanctificante non privant, neque aeternae damnationis reum constituunt. An vero haec doctrina ad dogmata fidei sit referenda, nonnulli dubitare praesumunt. Ita *Klüpfel* (2), postquam pro praefata distinctione aliqua argumenta biblica indigitavit, ita pergit: « Fatendum est, testimonia haec non esse eius generis, quae rem evincant..... Neque patrum testimonia, quae adducuntur ex *Hier.*, *Chrys.*, *Aug.*, *Greg.* rem conficiunt; indigitant enim, quod nemo negat, peccata esse inaequalia alia graviora, alia leviora. Neque *Synodus Trid.* aliud docuit Sess. VI, cap. 11, et Sess. XIV, cap. 5 de poenit., ut legenti patet. Nimium itaque sentiunt magnifice, qui eam assertionem, peccata dari, *ex natura sua* venialia ad dogmata fidei referunt. Propositionem oppositam inter *Baianas* vigesimam a *Pio V* proscriptam esse constat: at non constat, quaenam censura eadat in illam. Falsam esse non nego, haereticam dicere non ausim. » — Magni ergo momenti est, ut doctrina catholica de distinctione peccatorum in mortalia et venialia ex divinae Revelationis fontibus contra Protestantes solide probetur, atque ut etiam ostendatur, eandem doctrinam ad fidei dogmata referendam esse.

A. *Argumenta biblica.*

§ 240. 1. Ex Ss. Evangeliis pro doctrina catholica varia argumenta afferri possunt. Christus Matth. V, 22 ait: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca; reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennae ignis.* Omnes admittunt, his verbis triplicem gradum malitiae distingui: sed eodem modo fatendum est, triplicem quoque gradum poenae determinari. Nam internum iracundiae motum Christus dicit reum *iudicio*, seu sy-

(1) Cf. Herminier T. 6, pag. 214. Sardagna T. 4, Art. 2, Controv. 3. Möhler Dcf. Symb. § 39.

(2) Instit. theol. dogm. L. 2 § 17 in nota.

synedrio minori, quod solum leves causas iudicare et leves temporales poenas infligere potuit. Levem contumeliam Christus asserit ream *concilio*, seu synedrio maiori, cuius erat graviores quidem, sed iterum solum temporales poenas statuere. Denique gravem contumeliam Christus pronuntiat ream *gehennae ignis*, per quam Patres et Interpretes antiqui et recentiores infernum, seu aeternam damnationem intelligunt. Itaque iuxta effatum Christi duo peccatorum genera describuntur leviora quam ut gehennam ignis mereantur; frustra enim haec tria distinguerentur ita, ut postremo solum adiudicaretur poena aeterna, si eadem esset omnium ratio. Neque est quod dicatur, ex hoc loco certum duntaxat haberi, peccata esse alia aliis graviora, ideoque etiam poenas alias aliis maiores; siquidem Christus ipsas poenas denominat levioribus et gravioribus peccatis infligendas, scilicet pro levibus poenas temporales, pro gravibus autem poenam aeternam. Ideo *S. Chrysostomus* (1), explicans citata verba, ait: « Christus eum, qui sine causa irascitur, iudicio condemnat; eum vero, qui dixerit raca, reum condemnat esse concilio. Sed adhuc ista non magna sunt, huius enim saeculi sunt poenae: postmodum vero eum, qui fratri suo fatue dixisset, gehennae ignibus deputat, modo certe primum gehennae nomen commemorans. » Item Matth. VII, 3 etc. Christus ait: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine eiiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui* (2). Christus ergo aliqua peccata comparat festucae, quae est res levissima, et alia trabi, quae est res admodum gravis. Sed peccatum, quod animam occidit et hominem aeternae damnationis reum constituit, rei levissimae aequiparari non potest. Christi ergo verba clare innuunt, dari peccata, quae tam funestos effectus non producunt: sicut enim festuca oculum quidem vexat, aut aliquo modo obscurat, sed tamen non ut trabs interimit; ita dantur etiam peccata, quae animam quidem maculant et vigorem eius hebetant, sed tamen spiritualem eius vitam non extinguunt. Ita iam *Origenes* (3) citatum locum exposuit. — Idem argumentum prodit ex aliis verbis Christi, qui Pharisaeos duces caecos nominat *excolantes culicem, camelum autem glutientes* (4). — Christus ergo nonnulla peccata culici comparat, qui equidem homines inquietare et pungere, sed nullatenus occidere potest: ergo dantur peccata ita levia, ut animae mortem non afferant, quod ex citato loco iam intulit *Tertullianus* (5). — Distinctionem peccatorum in mortalia et venialia Christus clare exhibuit in ultima coena. — Aderat ibi Iudas, gravissimo proditionis peccato inquinatus et spiritualiter mortuus. Ast etiam reliqui discipuli minoribus naevis non fuerunt expertes; nam *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior* (6), quae contentio certe ex inordinata ambitione enata est. Quamvis autem Christus eos propterea reprehenderit (7), nullatenus tamen eos spiritualiter mortuos declaravit, nec ut Iudam filios perditionis nuncupavit. Contrarium omnino do-

(1) Hom. 16 in Matth.
(2) Cf. Luc. 6, 41 etc.
(3) Hom. 35 in Luc. 6.
(4) Matth. 23, 24.
(5) L. de anima c. 17.
(6) Luc. 22, 24.
(7) Ib. v. 25 etc.

cuit, maximum inter Iudam et reliquos discipulos discrimen manifestans; ait enim Io. XIII, 10: *Vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit: non estis mundi omnes.* Io. XV, 9 discipulos, absente iam Iuda, ita affatur: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea: vos amici mei estis* etc. (1), *vos dixi amicos.* Et Io. XVII, 9 sic orat: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt... Pater sancte, serva eos,* etc. (2). *Quos dedisti mihi custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Reliqui ergo discipuli propter minores culpabiles defectus non cessarunt esse mundi, amici Christi, Deo per charitatem uniti, neque facti sunt filii perditionis, seu aeternae damnationis rei. Idem confirmatur ex verbis Christi Petro dicentis: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (3). Sicuti ergo homo lotus et mundus per viam incedens, attrahit quidem pulverem in pedibus, sed ideo non ex toto immundus redditur, ita etiam homo iustificatus propter leviores defectus, quos in hac terrestri vita committit, non ex toto iustitiam et gratiam perdit, quamvis non negetur, quod etiam propter praefatos naevos aliqua indigeat purgatione.

2. S. Paulus I Cor. III, v. 9 etc. loquitur de illis, qui per baptismum iustificati sunt, et per fidem et charitatem Christo adhaerent, eosque spirituali aedificio comparat; ait enim ad ipsos: *Dei aedificatio estis;* et v. 16, *templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis:* Christum v. 11 huius aedificii fundamentum dicit, cui per bona opera superaedificandum est v. 10. — Quibus praemissis, ita pergit v. 12 etc.: *Si quis autem* (per gratiam sanctificantem Christo unitus) *superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, foenum, stipulas; uniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.* Per *aurum, argentum* et *lapides pretiosos* bona opera, per *lignum* vero, *foenum* et *stipulas* opera minus perfecta, defectus, et peccata quaedam intelligi, satis manifestum est. Per *diem Domini* non tam dies iudicii universalis, quam potius dies mortis et iudicii particularis indigitatur, uti ex contextu, et ex locis parallelis patet, e. g. Matth. XXIV, 42: *Nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit,* etc. Per *ignem* vero saepe in S. Scriptura significatur iudicium divinum, quoniam sicut ignis illuminat, omnia penetrat, purgat, aut cruciat, ita iudex divinus omnia cognoscit, intima penetrat ac manifestat, et peccata aut purgat, aut vindicat. Ast de illo, qui lignum, foenum, et stipulas superaedificat, Apostolus dicit: *detrimentum patietur; ipse vero salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* ergo dantur peccata propter quae homo non fit damnationi obnoxius, quamvis detrimentum patiatur, et per quae salus aeterna non amittitur, licet solum post ignis purgationem, seu post perpessam temporalem poenam obtineatur. Ita citata Pauli verba *S. Ambrosius* (4), *S. Augustinus* (5), *S. Gregorius M.* (6)

(1) Ib. v. 13. (2) Ib. v. 11. (3) Io. 13, 10.
(4) Ser. 20 in Ps. 118.
(5) L. de fide, et op. c. 25. Enchir. c. 68.
(6) L. 4 Dial. c. 39.

aliique Interpretes exponunt. — Nonnulli adducunt etiam verba S. Ioannis: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum ad mortem* (1): clare in his verbis distinguitur *peccatum ad mortem*, et *peccatum non ad mortem*; et ex contextu patet, quod non sit sermo de morte corporali, qua peccatum plectatur, vel non plectatur, sed potius de spirituali, qua anima occiditur, vel non occiditur (2). Sed quia verba Ioannis communiter de impoenitentia finali exponuntur, quae dicitur peccatum ad mortem; ex isto loco non satis solidum argumentum depromi potest (3).

3. In S. Scriptura iusti commemorantur, qui tamen ab omni peccato immunes non dicuntur; ex quo necessario infertur, dari peccata, quae iustitiam non extinguunt, seu gratiam sanctificantem non auferunt. Ita dicitur: *Septies cadet iustus, et resurget* (iuxta Hebr. *erectus stat*): *impii autem corruent in malum* (4). De iustis ergo dicitur, quod *septies*, id est, saepius in minora quaedam peccata labantur, quin tamen cessent esse iusti, seu excidant a gratia Dei: et ita distinguuntur a peccatoribus, qui corruunt in peccata mortalia, in inimicitiam Dei, in condemnationem. Dantur ergo peccata, quae iustitiam, seu gratiam sanctificantem non auferunt, seu dantur peccata in sensu Catholicorum ex natura sua venialia. *S. Augustinus* equidem, qui non raro S. Scripturae textus, haud negato sensu litterali, ad varias morum doctrinas applicat, citatum locum explicat de tribulationibus, in quibus iusti ob invictam patientiam erecti stant; impii vero corruunt in malum. Sed plures Ss. Patres et Interpretes eadem verba de lapsu iusti in peccata venialia intelligunt, ut *S. Hieronymus* (5), *S. Gregor. M.* (6), *S. Bernardus* (7), *Liranus*, *Menochius*, *Tirinus*, *Corn. a Lap.*, *Bossuet* etc. Eccle. VII, 21 legitur: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, et non peccet;* quibus verbis non dicitur, nullum dari hominem iustum in terra; contrarium enim affirmatur v. 19, *bonum est, te sustentare iustum:* sed sacer Ecclesiastes, cum v. 16 et seq. de iustis et impiis disseruisset, candide subiungit, non esse hominem tam perfecte iustum, qui in hac vita terrestri, quamvis bona faciat, non etiam aliqua peccata committat: non posset autem talis iustus dici et impiis opponi, si non darentur peccata, quae iustitiam non tollunt, seu amicitiam Dei non scindunt. Et sane in S. Scriptura saepe iusti commemorantur: sic dicitur *Abraham* iustus (8), *Noë* iustus (9), *Moyses, Iosue, Samuel, David* et alii tanquam dilecti Dei amici collaudantur (10), et tamen, iuxta S. Scripturae effata, ab omnibus naevis, seu levioribus peccatis immunes dici non possunt. In specie *Loth*, cum eriperetur a Sodomis, nec promptam erga Angelorum iussa obedientiam (11), nec debitam erga Deum confidentiam exhibuit (12), et tamen a S. Petro (13) *iustus* declaratur et impiis opponitur. — In N. T. cum Christiani ab Apostolis communiter *sancti* nominarentur, S. Iacobus tamen ad illos, ne seipsum quidem excipiens, scribit: *in multis offendimus*

(1) In 1 Ep. 5, 16 etc.
(2) Cf. Feier inst. dogm. l. 3, § 77.
(3) Cf. Theophylactum, Liranum etc.
(4) Prov. 24, 16.
(5) Ep. ad Rustic.
(6) L. 6 in 2 Reg. 15.
(7) Serm. 1 in Cant.
(8) Gen. 18, 3.
(9) Gen. 6, 8.
(10) Eccli. cap. 45 et seq.
(11) Gen. 19, 16.
(12) Ib. v. 19 etc.
(13) 2 Ep. 2, 7 etc.

omnes (1), et quis affirmare praesumet, Iacobum haec scribentem iustum, gratia sanctificante ornatum, Christi amicum non fuisse? — Eodem modo S. Ioannes inquit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (2). Idem vero ait: *Omnis, qui manet in eo* (Christo), *non peccat* (3); et: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit* (4): quae loca sibi contradicerent, si non admitteretur distinctio in peccata venialia, a quibus etiam iusti prorsus immunes non sunt, et peccata mortalia quae in iustificatis, seu per gratiam Deo unitis inveniri non possunt (5).

Nota. Etiam Protestantes non diffitentur, in Ss. Bibliis etiam iustis quaedam peccata adscribi, quin tamen iniustis, aut peccatoribus aequiparentur. Ast id exinde repetunt, quod ipsis tanquam electis et praedestinatis peccata, quamvis ex se gravia, ex gratia et misericordia Dei non imputentur. Verum haec absurda sententia refellitur per verba Dei dicentis: *Si averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem... omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur* (6). Neque ab hac generali sententia praedestinati ita excipiuntur, ut propter peccatum mortale iustitiam et gratiam Dei amittere non dicantur. Nam David praedestinatus erat, et tamen per adulterium gratiam Dei perdidit, et coram Deo peccator constitutus est; nam, cum poeniteret, Propheta ei dixit: *Transtulit Dominus peccatum tuum* (7); ergo fuit antea peccatum in David, et illi imputatum est, quod graves poenae illi inflictae ostendunt. Etiam S. Petrus praedestinatus erat, et nihilominus de ipso *S. Augustinus* dicit: « Mortuus est negando, et revixit plorando » (8). — Caeterum indigitati Protestantium errores fusius in tractatu de iustificatione exponendi et refutandi erunt.

(1) Iac. 3, 2. (2) 1 Ep. 1, 8.
(3) Ib. c. 3, v. 6. (4) Ib. v. 9.
(5) Cf. Möhler Defens. Symb. c. Braun § 40, n. 6. (6) Ezech. 18, 24.

B. *Argumenta ecclesiastica.*

§ 241. Fides constans et universalis de distinctione peccatorum in mortalia et venialia in sensu exposito *ex Ss. Patribus, ex Ecclesiae magisterio,* et ex *Conciliorum definitionibus* colligitur.

1. *Ss. Patres* non solum peccata in graviora et leviora distinguunt, sed etiam varios peccatorum effectus, seu poenas ita agnoscunt, ut clare doceant non omnia peccata iustitiam, seu gratiam sanctificantem tollere et aeternam damnationem promereri. Primo citari potest liber antiquissimus, qui in maxima semper veneratione habebatur, et etiam publice in Ecclesiis praelegebatur, nimirum *Pastor Hermae.* In isto sacer auctor (9), loquitur de Pastore vindice, «cui, ait (10), traduntur illi, qui a Deo recesserunt per peccatum: » et (11) addit, se ab Angelo haec verba audivisse: « Multa quidem peccata commisisti, sed non tanta, ut Pastori illi tradi merereris. » Dantur ergo peccata, propter quae homo non penitus a Deo recedit, nec aeternam incurrit damnationem. Ibid. (12) lex, seu gratia Dei comparatur arbori, ex qua homines ramos accipiunt, quos post peractum circuitum referunt. Ramos virides, i. e. animas omnino puras et bonis operibus refertas habentes ad aeternam gloriam admittuntur, ra-

(7) 2 Reg. 12, 13. (8) Tract. 66 in Io.
(9) Simil. 16.a (10) Cap. 3. (11) Simil. 7.a
(12) Simil. 8.a

mos vero penitus exsiccatos, i. e. animas gratia sanctificante destitutas habentes, aeternis suppliciis addicuntur. Inter alios autem dicit (1) venisse et illos, « quorum virgae virides erant, exceptis apicibus, qui arefacti erant, et rimulas habebant: » hos autem dicit illos, « qui semper boni, sancti Deoque fideles erant, et solum ex eo parumper peccarunt, quod vana desideria et viles cogitationes haberent: » hos autem non aeternis poenis addicit, sed temporali solum purgatione indigentes declarat. *Origenes* duo distinguit (2) genera peccatorum, «alia magna, alia minora,» et (3) ait: « Haec non auferunt vitam gratiae, illa vero animam occidunt. » Idem (4) scribit: « Puto ego, delictum quidem commissum esse levius aliquanto quam peccatum ad mortem, de delicto non legimus, quod esse dicatur ad mortem: » ultimo (5) haec pronuntiat: « Unusquisque pro qualitate peccati diversam mulctae sententiam expendit; si parvum est quod peccas, ferieris damno minuti, ut Lucas scripsit, ut vero Matthaeus, quadrantis. » *S. Cyprianus* (6) docet, etiam illos, qui iusti sunt et filii Dei se peccatores profiteri debere, et non sine causa dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, leviora nimirum peccata, quae iustitiam et gratiam Dei non extinguunt. — *S. Basilius* (7), in illa verba Ps. VII, 1 etc.: *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me, nequando rapiat ut leo animam meam* etc., ita disserit: « Ego puto, etiam strenuos Dei milites, qui toto vitae tempore contra invisibiles inimicos pugnaverunt, ex horum insidiis elapsos et fini vitae adpropinquantes, a principe huius mundi examinari, ut, si in ipsis quaedam vulnera e loco certaminis relata, seu quaedam vestigia et signa peccati inveniantur, retineantur, si autem sine vulnere et laesione fuerint, tamquam milites invicti et triumphantes a Christo in suae requiei locum introducantur... Ipse Christus, instante passionis suae tempore, inquit: *Venit princeps huius mundi, et in me non habet quidquam* (8). Sed ille solus, in quo nullum aderat peccatum, dixit: *in me non habet quidquam:* homo contentus esse debet, si cum fiducia dicere potest: *venit princeps huius mundi*, et in me nonnisi pauca et levia habet. » *S. Chrysostomus* (9), fideles ad leviorum ipsoque peccatorum fugam exhortatur, dicens: «Fugiamus modica mala, magna siquidem ex illis nascuntur:» certe ergo S. Doctor nullatenus credidit, per leviora peccata hominem divina gratia privari et aeternae damnationis reum constitui, alias illa « modica mala » nominare nec potuisset, nec voluisset. Dein cum *Origene* levi peccato nomen delicti tribuens ita prosequitur: « Quisquis enim ad quodlibet delictum dicere didicit consuetum illud: nihil erit ab hoc damni, paullatim omnia perdet. » Ergo iam tunc temporis inter fideles persuasio viguit, levia peccata gratiam non extinguere et aeternas poenas non mereri; alias non potuisset in proverbium abire « consuetum illud, nihil erit ab hoc damni. » Et ipse S. Doctor hoc refellens non dicit, hominem per leve peccatum illico sicut per peccatum mortale omnia perdere, sed « paullatim omnia perdet. » Id vero probat ex eo, quoniam qui levia peccata contemnit et multiplicat, mox in gravia et mortalia peccata praecipi-

(1) Cap. 10. (2) Hom. 9 in Ezech.
(3) Hom. 12 in Lev. (4) Hom. 5. in Lev.
(5) Hom. 35 in Luc. (6) L. de orat. domin.
(7) Hom. in Ps. (8) Io. 14. 30.
(9) Hom. 12. in Ep. ad Rom. c. 7.

tatur: ideo etiam levis peccati damna ostendes, subiungit: « Istud enim malitiam induxit, istud latroni portas aperuit, istud civitatis muros deiecit. Ita et in corporibus magni morbi contrahuntur, si modici contemnuntur: » ex qua sententia apparet, credidisse *S. Chrysostomum*, quod dentur peccata, quae non statim animam occidunt, sicut dantur morbi, qui mortales non sunt. Eandem comparationem repetit in Hom. in Ep. ad Gal. (1), dicens: « Sicut in corporibus vulnera neglecta febres gignunt, et putrefactiones, ac mortem denique; itidem in animis, qui pusilla dissimulant, maiora invitant. » - Clarissime tandem S. Doctor mentem suam aperit Or. de Divite et Lazaro, dicens: « Etiamsi iustus quis sit, etiamsi millies sit iustus, et ad summum pervenerit culmen, ut liberatus sit a peccato; non tamen quit ab omni naevo esse purus, etiamsi millies iustus sit, homo est. Quis enim iactabit, mundum omnino sibi esse cor? quis gloriabitur ab omni culpa se esse immunem? ideo iubemur in precatione dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* » *S. Ambrosius* (2) scribit: » Sicut unum baptisma ita una poenitentia, quae tamen publice agitur: nam quotidiani nos debet poenitere peccati, sed haec delictorum leviorum, illa graviorum. » *S. Hieronymus* Iovinianum omnem peccatorum diversitatem negantem strenue oppugnavit, et (3) eundem ex eo praecipue redarguit, quod homines « propter leve quotidianumque peccatum in tenebras exteriores retruserit. » Idem Comment. in cap. 7. Matth. ait: « De iis loquitur (Christus), qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii minora peccata fratribus non concedunt; culicem liquantes et camelum glutientes. » Et (4) scribit: « Stoicorum quidem est, peccatorum tollere differentiam et delicta omnia paria iudicare, nec ullum inter scelus et erratum discrimen facere. Nos vero etsi multum inter peccata distare credimus, quia et legimus: tamen satis prodesse ad cautionem ducimus etiam minima pro maximis cavere. » *S. Augustinus* doctrinam catholicam multis in locis clarissime proponit. Loquens de hominibus sanctitate conspicuis (5), ait: « Quia saepe in levissimis, et aliquando incautis subrepit peccatum, et iusti fuerunt, et sine peccato non fuerunt. » - In Enchir. (6) scribit: « De quotidianis brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere: *Pater noster, qui es in coelis*, qui iam tali patri regenerati sunt ex aqua et Spiritu sancto. Delet omnino haec oratio minima, et quotidiana peccata. » Lib. de Spir. et Litt. (7), ait: « Sicut non impediunt a vita aeterna iustum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur, sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur. » Et Lib. 3, c. 2 Epist. Pelag. (8) inquit: « Quidam filii huius saeculi sunt, et tamen filii diaboli non sunt; quamvis enim diabolus sit auctor et princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quaecunque peccata. Peccant enim et filii Dei, quoniam si dixerint, se non habere peccatum, seipsos seducunt et veritas in eis non est, sed ea conditione peccant, qua sunt filii adhuc huius saeculi, qua vero gratia sunt

(1) Cap. 1. (2) L. 2 de Poenit. c. 10.
(3) Lib. 2, c. Iovin. c. 17.
(4) In Epist. ad Caelantiam.
(5) Lib. de nat. et grat. c. 38.
(6) Cap. 71. (7) Cap. 27 etc. (8) C. 3.

filii Dei non peccant, quia *omnis qui natus est ex Deo, non peccat.* » *S. Gregorius M.* (1) ita loquitur: « Hoc inter peccatum distat et crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est. Et in hac vita multi sine crimine, nullus vero sine peccatis esse valet... In qua videlicet peccatorum et criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extinguunt. » Idem (2) dicit: « Admonendi sunt, qui, quamvis in minimis, frequenter tamen excedunt, ut nequaquam considerent qualia, sed quanta committant. Facta enim sua si despiciunt timere dum pensant, debent formidare dum numerant... quia *qui spernit modica paullatim decidet.* » Concedit ergo magnus Pontifex, peccata illa minima non ex natura sua, seu ex suo pondere timenda esse, sed ob numerum, quia ad maiora et mortalia peccata viam sternunt: ideo citat locum Eccli. XIX, 1, quem (3) exponens ait: « Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam maiora perpetramus. » Distictionem inter peccata mortalia et venialia proponit etiam l. 18, Mor. c. 5. *S. Petrus Damiani* (4) inquit: Scriptum est: *Septies in die cadit iustus, et resurgit:* qui nimirum et septies cadere, et tamen iustus esse describitur: quia iustus esse etiam peccando non desinit, dum non ex proposito, sed ex humanitatis fragilitate delinquit. *S. Bernardus* (5) inquit: « In levibus peccatis, a quibus abstinere non possumus, dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest poenitentia quotidiana. At in gravioribus quidem et quae *peccata ad mortem* sunt, opus est non modo poenitentia, verum etiam continentia. Difficilis prorsus res, et soli divinae virtuti possibilis, susceptum semel peccati iugum a cervicibus excutere: quoniam *qui facit peccatum servus est peccati*, nec est iam liberari nisi in manu forti. Et alibi (6) ait: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Lotus est, qui peccata gravia non habet, cuius caput, id est, intentio et manus, id est, operatio et conservatio munda est, sed pedes, qui sunt animae affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, - *in multis enim offendimus omnes.* Sed... de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur. » Citata Patrum testimonia talia sunt, ut ostendant, ipsos non solum distinctionem peccatorum in graviora et leviora, sed etiam distinctionem in peccata mortalia et venialia in sensu Catholicorum agnovisse et docuisse.

2. Negari a nemine potest, ubique locorum in Ecclesia catholica hanc vigere doctrinam: quod peccata mortalia, non autem venialia, gratiam sanctificantem auferant, hominemque aeternae damnationis reum constituant. Haec doctrina in libris symbolicis, seu in Catechismis, etiam publica Episcoporum, aut etiam Romani Pontificis auctoritate editis, exposita invenitur. Eandem Theologi omnes tradunt et contra haereticos defendunt. Eandem pastores animarum in concionibus et aliis ecclesiasticis institutionibus ita proponunt, ut illam sine haesitatione etiam ad praxin reducant docentes, omnia peccata mortalia, non item etiam venialia, necessario in confessione exponenda esse, et S. Synaxin sacrilegam fieri,

(1) Lib. 21. Moral. cap. 9.
(2) P. 3. Regulae Past. c. 33.
(3) L. 10, Mor. c. 9. (4) Opusc. 10, c. 1.
(5) Ser. de triplici misericordia.
(6) Ser. in coena Domini etc.

si quis in statu peccati mortalis, non autem si quis cum peccato veniali illam recipiat. Fideles in fide instructi, hanc doctrinam sciunt, profitentur, illique ut certae et indubitatae inhaerent. Haec doctrina ergo tam certa est, quam certo constat, universale Ecclesiae, etiam per orbem dispersae, magisterium in iis, quae ad fidem spectant, docendis errare non posse. (Cf. Th. gen. § 228). Accedit, quod ab adversariis ostendi non possit, quandonam haec fides inceperit: unde merito concluditur propositam doctrinam semper, ubique, et ab omnibus creditam fuisse: ex quo argumentum praescriptionis prodit.

3. Dari peccata ex natura sua venialia, quae iustitiam non tollunt, et hominem inimicum Dei et aeternae damnationis reum non constituunt, etiam *Concilia* satis clare adseverarunt. Concilium *Milevitanum II.* anno 416 habitum, seu, iuxta alios, Concilium *Carthaginense* anno 418 celebratum can. 6, 7 et 8 docet: *Sanctos, et iustos in hac vita non tantum humiliter, sed et veraciter dicere: dimitte nobis debita nostra:* quod S. Synodus, exemplis declarans, ait: *Sanctus et iustus erat Apostolus Iacobus, cum dicebat: in multis offendimus omnes..... Etiam Daniel sanctus et iustus erat, cum in oratione pluraliter diceret: peccavimus, iniquitatem fecimus, et caetera, quae ibi veraciter et humiliter confitetur: ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, haec non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit* (1): *Cum orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Domino Deo nostro, etc., noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit, et sua, quia futuros istos; qui tam male intelligunt, tamquam Propheta praevidit.* Denique S. Synodus haec pronuntiat: *Placuit, ut quicunque verba ipsa dominicae orationis ubi dicimus: dimitte nobis debita nostra, ita volunt a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit.* Notandum est, hos canones contra Pelagianos statutos etiam a Rom. Pontificibus approbatos, et magno consensu in Ecclesia catholica receptos esse. Eandem doctrinam proponit Concilium *Tridentinum*, quod (2) conceptis verbis declarat: *Licet in hac mortali vita quantumvis sancti et iusti in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti; nam iustorum illa vox est et humilis, et verax: dimitte nobis debita nostra.* Idem Concilium eandem doctrinam etiam ad praxin reducit, et quidem in re maximi momenti, docens fideles, omnia peccata mortalia non autem venialia in confessione necessario exponi, addita ratione, quia homines per illa irae filii et Dei inimici redduntur, per haec vero a gratia Dei non excluduntur: ait enim: *Venialia quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte, et utiliter, citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines irae filios et Dei inimicos reddant: necessum est, omnium etiam veniam cum aperta, et verecunda confessione a Deo quaerere.* (3). Hanc esse Ecclesiae doctrinam, eamque omnibus ad credendam proponi, patet etiam ex eo, quia *S. Pius V* et *Gregorius XIII* damnarunt se-

(1) Dan. 9, 20. (2) Sess. 6, c. 11.

(3) Sess. 14, cap. 11.

quentem *Baii* propositionem n. 20: « Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam. »

Nota 1. Ex hactenus dictis facile patet, propositam de distinctione peccatorum in mortalia et venialia doctrinam de fide divina credendam esse, et D. *Klüpfel*, qui in illa fidei dogma agnoscere renuit, a vero aberrare, et cum principiis a se statutis non consentire. Nam (1) ad dogma constituendum duas conditiones requirit, videlicet revelationem divinam et definitionem Ecclesiae: circa hanc autem docet, « non requiri necessario ad constitutionem dogmatis expressam, disertamque Ecclesiae, aut Concilii generalis definitionem; sed satis esse fidem et consensum Ecclesiae de doctrina aliqua ceu divinitus revelata. » — Iam autem probatum est, S. Scripturae testimonia eius generis esse, ut rem evincant, dummodo non secundum Protestantium placita, sed secundum sanae hermeneuticae regulas, et praecipue secundum Ss. Patrum et Doctorum Ecclesiae sensum exponantur. Falsum etiam est, SS. Patrum testimonia solum indigitare, quod peccata inaequalia, alia graviora, alia leviora sint; adducta enim loca ostendunt, Ss. Patres peccata quoad poenas et effectus distinguere, et clare asserere, quod peccata leviora dentur, quae iustitiam non tollunt, gratiam sanctificantem non auferunt, a vita aeterna non excludunt, gehennam, seu aeternam damnationem non merentur. Et hoc idem tum infallibile Ecclesiae magisterium per orbem catholicum dispersum, tum Concilium Tridentinum expressis verbis docet, ac ita ad credendum proponit, ut Fideles hanc doctrinam etiam ad praxin reducere, et sine salutis dispendio venialium peccatorum confessionem negligere possint, cum tamen in divino peccata confitendi praecepto dispensare non valeat: unde patet, distinctionem peccatorum in mortalia et venialia ex eadem Revelatione cognosci, ex qua cognoscitur confessionis praeceptum. Quid ergo amplius ad dogma constituendum requiritur? an forte ut in contrarium sentientes anathema vibretur? — Sed ipse *Klüpfel* id negat, et quidem rectissime, quia Ecclesia non solum dum anathemata vibrat, sed in docendis iis, quae ad revelationem pertinent infallibilis est. Cum ergo Concilium doctrinam distinctionis in peccata mortalia et venialia apertissime doceat, et cum in Concilio Milevitano II in contrarium sentientes etiam anathema pronuntiatum sit, dubitare non licet, quod praefata distinctio ad fidei dogmata sit referenda, et propositio Baii citata non solum falsa, sed et haeretica sine ulla haesitatione est dicenda.

(1) In Prolegom. de Theol. dogm. § 94.

Nota. 2. Expositae doctrinae varia argumenta opponi solent, quae confutare oportet.

Obi. 1. S. Scriptura clare asserit, per quodlibet peccatum animam occidi et damnationi subiici. Deut. XXVII dicitur: *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius.* Ezech. XVIII: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur.* Rom. VI: *Stipendia peccati mors.* Iac. II: *Quicunque offendat in uno, factus est omnium reus.* Non datur ergo peccatum, quod aeternam damnationem non mereatur.

Resp. S. Scriptura in citatis locis loquitur de peccatis gravibus et mortalibus, non autem de levibus, et quotidianis defectibus, ac culpis. Sic Deut. XXVII, per *sermones* legis

intelliguntur praecepta in illo capite tradita, quae ex genere suo gravia sunt; nam ibi vetantur idololatria, homicidium, adulterium, et alia similia peccata, quae etiam iuxta doctrinam catholicam animam occidunt, et aeternam damnationem merentur. Idem dicendum est de Ezech. XVIII, 4; nam ex v. 10, et seq. patet, Prophetam de gravissimis criminibus loqui. Paulus quoque Rom. VI, loquitur de peccatis ex natura sua gravibus, nempe de peccatis, de quibus erubescebant Ethnici ad fidem conversi. Denique Iac. II, 10 iterum agitur de peccatis ex natura sua mortalibus, cuiusmodi sunt adulterium, et homicidium, ut patet ex verbis immediate sequentibus v. 11: *Qui enim dixit: Non moechaberis, dixit et non occides. Quod si non moechaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Citata ergo loca doctrinae nostrae non opponuntur, quoniam etiam nos funestos effectus, qui in illis commemorantur, peccatis mortalibus adscribimus; peccatis autem venialibus denegamus, quoniam ab ipsa S. Scriptura ita edocemur (§ 240).

Obi. II. Christus Matth. V, 19 ait: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum.* Esse et vocari minimum in regno coelorum, nihil aliud est, quam, ubi regni coelestis consummatio advenerit post corporum resurrectionem, nullum existimari, atque cum maledictis in gehennam detrudi, ut explicat Auctor Resp. ad Orthod. inter opera S. Iustini, *S. Chrysostomus* (1), *S. Thomas* et alii. Igitur qui minimum quoque mandatum solvit, reus erit gehennae ignis. Id confirmat Christus dicens: *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii* (2); id est punientur, seu damnabuntur, quia post extremum iudicium purgationi locus non datur.

Resp. Christus per mandata minima hic non intelligit minima secundum se, sed minima secundum falsam opinionem Pharisaeorum. Horum enim hypocrisim et fallacem iustitiam perstringit, qui iactabant servari legem non occidendo, non moechando, non iurando per terribile Dei nomen; fas tamen esse irasci, conviciari, concupiscere, et iurare per coelum, etc. Id sola lectione citati quinti capitis Matth. manifestum fit. Haec autem, quae Pharisaei minima arbitrabantur, gravissima esse quis ignorat? — Ergo non propter levia et venialia, sed propter mortalia peccata in citato loco homines dicuntur excludi a regno coelorum. Hanc esse interpretationem *S. Chrysostomi*, verba ipsius supra recitata commonstrant: negat quippe S. Doctor(3) indignationem et probra, unde oriri queant homicidia, esse inter leves culpas connumeranda: idem sentit *S. Augustinus* (4). — Praeterea Christus non dicit, qui transgressus fuerit, sed *qui solverit*, id est, obligationem sustulerit, etiam minimi praecepti, et *docuerit sic homines:* ast in hoc sensu solvere minima praecepta, et simul falsa legis interpretatione ac corruptione docere, ea esse solvenda, etiam iuxta Catholicos grave et mortale peccatum est. — Nonnulli putant, in citato loco non pronuntiatum fuisse a Christo, eum, *qui solverit unum de mandatis istis minimis*, excludendum a regno coelorum, sed in

(1) Hom. 16 in Matth.
(2) Matth. 12, 36.
(3) In allegata Homilia.
(4) L. 1 de Serm. Dom. in monte, c. 19.

hoc minimum fore, hoc est in minimo gloriae gradu. — Certum pariter est per regnum coelorum persaepe Ecclesiam in terris militantem intelligi; unde verba Christi etiam sic declarari possent. In Synagoga modo Pharisaei, externam solum iustitiam praedicantes, ut magni Doctores existimantur; sed in regno coelorum, qui non etiam internam iustitiam commendat, cuius praecepta minima videntur, minimus, nullus, imo reiiciendus erit. Quaecunque huius loci interpretatio ex his indigitatis recipiatur, nihil ex illo contra doctrinam catholicam inferri potest. Quod alterum locum attinet, certum est, de culpis minimis rationem reddendam, et debitum usque ad ultimum quadrantem persolvendum esse, sed aliud est ad calculum vocari, aliud pro minimo debito extremo plecti iudicio. Illud, non vero istud Christus affirmat; neque de iudicio universali, sed de particulari loquitur, in quo etiam pro levibus peccatis poenae purgatorii determinantur.

Obi. III. Quia Christus ad Petrum dixit: ***Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*** (1), Catholici inferunt, Apostolum tunc venialibus tantum peccatis inquinatum fuisse. Nihilominus autem Christus, ad eundem dixit: ***Nisi lavero te, non habebis partem mecum:*** ergo Petrus etiam per peccata venialia a regno coelorum excludendus fuisset, si Christus per lotionem eum non mundasset.

Resp. Mirum est, hunc locum nobis etiam illos obiicere, qui dicunt, peccata venialia eatenus solum admittenda esse, quatenus, licet ex se aeternam damnationem mereantur, praedestinatis tamen non imputentur. Qui haec effutiunt, Petrum tamen a numero praedestinatorum non excludunt; ergo admittere tenentur, Petro peccata, etsi levia, ita imputata fuisse, ut neglecta purgatione per lotionem, aeternam beatitudinem consecutus non esset; quamobrem falsa ipsorum sententia per propositam citati loci interpretationem invicte confutatur. — Nihil autem ex iisdem verbis Christi contra catholicam doctrinam inferri potest. Iuxta hanc enim etiam venialia peccata ingressum coeli tamdiu impediunt, quamdiu per poenitentiam, aut per ignem purgatorii deleta non sunt: Christus ergo hanc veritatem Petro patefecit, quod ad coelestem gloriam pervenire non possit, quamdiu animam peccatis venialibus inquinatam haberet. — Nonnulli putant, quod Petrus mortaliter peccasset, si Christo humilitatem et charitatem suam ostendere volenti pertinaciter restitisset, et quod ideo ei dictum sit; *Si non lavero*, etc. — Plures interpretantur: ***non habebis partem mecum*** in coena. — Nec incongrue dici potest, Christum ob praevisam trinam negationem prophetico modo dixisse: ***nisi lavero te, non habebis partem mecum***, quasi diceret: Petre! lotionem recusas, et nunc quidem lotus et mundus es, solis venialibus peccatis inquinatus; sed tempus veniet, quo tota anima tua immunda erit, et ***nisi lavero te, non habebis partem mecum.***

Obi. IV. Ss. Patres docent, per venialia peccata animam occidi et reatum poenae aeternae contrahi. *S. Basilius* (2) dicit: « Quis es, qui peccatum ullum cuiusmodi illud sit, leve audeas appellare, cum asseruerit Apostolus, quod per transgressionem legis Deum inhonoras? Si autem stimulus mortis non hoc est, aut illud, sed indefinite quodcunque peccatum, inclemens ille habendus est,

(1) Io. 13. (2) Reg. brev. q. 4.

qui obticet, non ille qui arguit: » ergo peccatum veniale eodem modo ut mortale stimulus, seu causa mortis est. Idem (1) scribit: « Primo quidem scire illud convenit, differentiam hanc maiorum, et minorum (peccatorum) nusquam in novo Testamento reperiri, siquidem una est, et eadem sententia adversus quaelibet peccata, cum Dominus dixerit. *Qui facit peccatum, servus est peccati:* » quibus verbis S. Doctor clare pronuntiat, distinctionem peccatorum in mortalia et venialia in N. T. non reperiri. — *S. Chrysostomus* (2) ait: « Peccata licet levia occidere et inducere contemptum Dei. » — *S. Augustinus* (3) haec habet: « Ista levia, quae dicimus, noli contemnere: si contemnis quando appendis, expavesco quando numeras. Levia multa faciunt unum grande: multae guttae implent flumen; multa grana faciunt massam. »

Idem (4) exclamat: « Vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam! » Et alibi (5) inquit: « Quis cum aliqua spe adipiscendae salutis aeternae de hac vita migraret, manente illa sententia, quod quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, nisi post paullulum sequeretur... superexaltat autem misericordia iudicium.» Ergo, etiam iuxta *S. Augustinum*, solum ex gratia et misericordia Dei fit, ut homines ob levia peccata, in quae facile labuntur, non damnentur. Idcirco Patres etiam veniale peccatum saepissime « malum gravissimum » vocant.

Resp. Citatis Ss. Patrum locis opponimus eorundem verba supra adlegata, in quibus fidem suam de peccatis ex natura sua venialibus clare profitentur. Ne ergo dicatur, maximos istos Doctores sibi ipsis contradixisse, admittendum est, loca hic citata non in sensu adversariorum esse intelligenda. Et sane Ss. Patres nil aliud docent, nisi quod omnes recte sentientes Catholici asserunt, scilicet peccata venialia ut offensas Dei esse graviora mala omnibus miseriis temporalibus, et cum summa cautione fugienda, quia licet ex se aeternam damnationem non mereantur, gratiam tamen imminuunt, fervorem spiritus hebetant, inordinatis passionibus vim addunt, et sic animam ad peccatum mortale disponunt, atque per se iam diras in purgatorio poenas merentur (6). Hoc clarius patet si singula Ss. Patrum obiecta loca rite explanentur. *S. Basilius* q. 4 aperte peccatum ideo tantum leve malum dici posse negat, quia Deum inhonorat; ideo autem non infert, quodlibet peccatum aeternis affici suppliciis, neque quodlibet peccatum mortem animae vocat, sed « stimulum mortis, » quam nempe peccatum mortale immediate causatur, veniale vero mediate accersit. Quae S. Doctor q. 293 profert, non possunt in sensu adversariorum exponi; alias etiam pro his nimium probarent; edicerent enim, maiora, et minora peccata in N. T. non distingui, cum tamen alia *festucae*, alia *trabi* (7), et alia *culici*, alia *camelo* (8) comparentur. Aliter ergo S. Doctoris verba intelligi debent, et ex contextu rectus eorum sensus facile colligitur. Respondet enim S. Doctor ad quaestionem, quomodo agendum sit cum illis, « qui cum maiora peccata de-

(1) Ibidem q. 293.
(2) Serm. de levium peccat. periculis.
(3) Tr. 1 in Ep. S. Ioann.
(4) L. 9 Confess. cap. ult.
(5) Lib. 2 de pecc. merit. et remiss. c. 3.
(6) Cf. Berti l. 21, c. 7, Obi.
(7) Matth. 7.
(8) Matth. 23.

clinent, minora perinde ac si nihil referat, committunt? » — Ad horum temeritatem coërcendam id unum negat, mortalis et venialis peccati differentiam in eo sitam esse, ut peccata mortalia dicantur vitanda, venialia vero non vitanda, sed S. Scripturas nos a quolibet peccato deterrere, tanquam a malo prae caeteris temporalibus fugiendo. — *S. Chrysostomus*, qui (1) distinctionem peccatorum mortalium et venialium in sensu catholico admittit, citatis verbis id tantum affirmat, quod venialia peccata hominem ad gravia disponant, et sic saltem remote animam occidant, seu spiritualem mortem producant: ita et nos dicimus, hominem ebrietati deditum, seu intemperantem seipsum occidere, quamvis etiam ob repetitas ebrietates non moriatur. Eodem modo *S. Augustinus* est intelligendus, dum (2) asserit, quod multa venialia peccata, quae negliguntur et non emendantur, ad mortale disponant, et in hoc sensu unum faciant grave peccatum non formaliter, sed dispositive iuxta Eccli. XIX: *Qui spernit modica, paullatim decidet:* L.9 Conf. cit. S. Doctor loquitur de acerbissimis poenis purgatorii. Nequis enim miretur, quod pro matre sua Monica oret, cuius sanctitatem antea adeo commendaverat, ait, iustorum vitam quantumvis laudabilem vix ac ne vix quidem, si divina misericordia removeatur, carere culpis venialibus, acerbissima purgatorii poena expiandis. Ultimi loci sensus est, neminem cum spe beatitudinis assequendae, mori posse, nisi sciret, Deum esse maxime misericordem, et ab eo peccatorum veniam speraret; quia ad damnationem aeternam sufficit unum grave peccatum, et nemo certo scit, se nullum unquam tale commisisse, aut si commiserit, illud sibi a Deo condonatum esse.

Obi. V. Per peccatum veniale offenditur Deus; sed quaelibet offensa personae infinitae habet infinitam malitiam, quod etiam Theologi catholici passim docent; ergo quodlibet peccatum veniale meretur aeternam damnationem.

Resp. Si haec argumentatio valeret, per ipsam etiam omnis peccatorum distinctio in graviora et leviora e medio tolleretur, quia in infinito gradus distingui non possunt: sequeretur ergo, omnia peccata aequalia esse, quod tum revelationi, tum rationi repugnat, et ipsi adversarii non admittunt. Dicendum propterea est, malitiam offensae non a sola dignitate personae, quae offenditur, sed etiam ex modo, quo offenditur, desumendam esse. Offensa Regis certe gravior est quam offensa plebeii hominis; sed nemo negabit, Regem quoque sive gravius, sive levius offendi: et sic etiam peccatum, quo Deus offenditur, ratione modi, quo offenditur, aut gravius, aut levius esse, et ideo aut aeternam, aut temporalem tantum poenam mereri potest. — Theologi catholici, qui peccato infinitam malitiam tribuunt, de mortali tantum loquuntur, in quo Deus per formalem contemptum deseritur, et finis ultimus in creatura reponitur; non autem idem de peccato veniali affirmant, in quo talis malitia non continetur. Imo non pauci Theologi, ut *Scotus*, *Suarez*, *Vasquez*, *L'Herminier* et alii omnino negant, peccato mortali malitiam infinitam tribui posse. Nam cum peccatum non sit nisi privatio debitae rectitudinis, sicuti infinita rectitudo ab homine exigi nequit, ita etiam eius privatio infinita esse non potest.

(1) In eadem Homilia, et alibi.

(2) Tr. 1 in Ep. Io.

Et si peccatum ut actio consideretur, quomodocunque haec perversa est, nunquam tamen infinita erit, quoniam homo finitus actus infiniti capax non est. Neque ideo peccatum mortale infinitum malum dici potest, quia per illud infinitum bonum, id est, Deus ipse perditur; non perditur enim nisi gratia et fruitio Dei, quae absque dubio maximum est bonum, sed in homine finito nunquam infinitam beatitudinem constituere potest, quapropter et huius amissio infinitum malum non est. Ideo saniores Theologi negant. peccati mortalis malitiam simpliciter infinitam esse, quamvis plerique admittant, eam secundum quid, obiective et extrinsece, nempe ratione personae infinitae offensae infinitam dici posse. Rectius forte diceretur, in sensu improprio praefatam malitiam infinitam nuncupari, quia tanta ac talis est, ut a ratione humana perfecte cognosci et commensurari non possit (1).

Obi. VI. Nulla poena etiam aeterna tantum malum est, quantum quaelibet levis Dei offensa: ideo Sancti docuerunt, oportere, ut quaelibet gravissima, etiam aeterna poena potius toleretur, quam vel minimum peccatum veniale committatur. Iustissime ergo etiam levis offensa Dei puniri potest per poenam aeternam, et ideo recte dicitur, peccatum veniale aeternam damnationem mereri, et ex sola Dei misericordia ab ista liberari.

Resp. In hac obiectione duo, quae sunt inter se distincta, confunduntur, nimirum obligatio hominis peccata etiam levia fugiendi, et tenor iustitiae in vindicandis culpis servandus. Certum est, hominem omnia potius mala perpeti, quam leve peccatum committere, debere, quia hoc Deum offendit, illa solum creaturas affligunt. Ast ob hanc obligationem hominis non perturbatur ordo iustitiae in peccatis puniendis servandus: sicuti enim peccata aut gravius, aut levius Deum offendunt, ita etiam maiorem, aut minorem poenam merentur, et sana ratio id nullo modo approbare posset, si pro levissimis culpis gravissimae poenae imponantur. Idcirco quamvis etiam leve peccatum maius malum sit quam poena mortis, absque dubio tamen, omnes illum principem iniustum dicerent, qui subditum ob leve mendacium iocosum morte mulctaret. — Verum equidem est, Deum nullis legibus subesse, nemini aliquid debere, et absolute loquendo etiam hominem innocentem annichilare posse. Quod si ideo admitteretur, Deum posse etiam peccatum veniale aeternis poenis afficere, certum tamen est, quod id non velit. Sicuti enim iam per lumen rationis cognoscimus, gravitati peccati gravitatem poenae respondere, ita hac de veritate multo magis certi reddimur per Revelationem, quae, ut probatum est, nos docet, poenas aeternas pro peccato mortali, et temporales pro veniali statutas esse. Deus ergo non vult ob peccatum veniale poenas aeternas infligere, et haec ipsa voluntas, pro diversitate peccatorum poenas diversas statuens, divina iustitia est (§ 48). Ergo iuxta tenorem iustitiae divinae, et non ex sola indulgentia, aut misericordia in sensu adversariorum peccatum veniale non meretur damnationem aeternam.

Obi. VII. Deus pro infinita sua sanctitate quodlibet etiam levissimum peccatum odisse debet: sicut autem odit peccatum, ita odit etiam homi-

(1) Cf. L'Herminier. Tract. de pecc. t. 6, p. 233; Berti L. 21, cap. 8; Th. ex Charmes Tr. de pecc. Diss. 2, cap. 4, concl. 2

nem, qui istud committit; nam *similiter odio sunt Deo impius, et impietas eius* (1). Certum ergo est, hominem etiam leviter peccantem a Deo odio haberi, quapropter ab ipso sublata est charitas, gratia et amicitia Dei, unde evidenter patet, etiam per peccatum veniale destrui charitatem, auferri gratiam sanctificantem, hominemque ut Dei inimicum damnationem mereri.

Resp. Haec difficultas, quae primo aspectu gravis videtur, facile solvitur, si rite attendatur, qua ratione Deus odisse dicatur. Cum enim Deus humanarum passionum expers sit, non iam adinstar hominum odium fovere potest. Sed sicut amare in Deo non est nisi bona largiri, ita odisse in Deo non est nisi bona negare, vel subtrahere, seu poenas infligere (§ 40). Admittimus ergo Deum etiam quodlibet levissimum peccatum odisse, quia nullum peccatum impunitum relinquit iuxta Matth. XII, 36, de omni verbo otioso *reddent rationem in die iudicii*. Sed sicut ipsi adversarii fatentur, peccata dari graviora et leviora, illaque maiores his poenas mereri, ita ipsa Revelatione duce recte dicimus, dari peccata mortalia et venialia, ac illa, non vero ista, gratiam sanctificantem auferre et aeternam damnationem mereri; quamvis non negemus, etiam peccata venialia iuxta statutum divinae iustitiae ordinem, gratias et favores coelestes imminuere, atque temporales poenas mereri. Et cum Deus in hoc sensu tum levissimum peccatum, tum hominem illud committentem oderit, seu puniat, satis patet, ob veniale tamen peccatum gratiam sanctificantem non auferri, et aeternae damnationis reatum non induci.

Obi. VIII. Qui pestem, aut mortem deliberate et advertenter sibi optat, peccat graviter contra charitatem: ergo etiam qui veniale committit, hoc ipso graviter peccat, quia gravissimum sibi damnum infert promerendo poenas purgatorii, et impediendo ad tempus visionem beatificam. Crescit argumentum, si consideretur, quod certo determinari nequeat, quale peccatum grave, quale veniale dicendum sit; nam ipse *S. Augustinus*, de hoc discrimine loquens (2), ait: « Quis sit iste modus, et quae sint ista peccata, quae impediunt perventionem ad regnum Dei..... difficillimum est invenire, definire periculosissimum: ego certe usque ad hoc tempus cum satagerem ad eorum indaginem pervenire non potui. » Ergo committens peccatum veniale semper se exponit periculo aeternae damnationis, et sic graviter peccat contra charitatem.

Resp. Ad proprium damnum praecavendum potest quis vel graviter, vel leviter obligari: graviter obligatur ad praecavendam inimicitiam Dei et aeternam damnationem, et leviter obligatur ad praecavenda damna ex peccato veniali secutura. Male ergo adducta comparatio applicatur. Nam poenae purgatorii et dilatio visionis beatificae respective ad Deum et vitam aeternam sunt leve aliquid, et damnum hoc ab homine per dolorem et congruam satisfactionem facile reparari potest: pestis vero et mors respective ad vitam, cuius homo non est dominus, sed usufructuarius, sunt quid gravissimum, nullaque arte reparari amplius potest damnum a morte illatum. Praeterea qui mortem, aut pestem inordinate sibi contrahit, agit contra legem Dei graviter ad vitae conservationem obligantem: praeceptum vero graviter obligans ad vitanda peccata venialia non datur: haec

(1) Sap. 14, 9.

(2) L. 21 de Civ. D. c. ult.

enim obligatio gravis esset noxia et imprudens; quia ad evitandum minus malum imponeret necessitatem moralem incurrendi malum absque comparatione maius, scilicet peccatum mortale et poenas inferni, eoquod moraliter impossibile sit, vitare omnia peccata venialia. Falsum etiam est, quod in obiectione dicitur, certo determinari non posse, quale peccatum mortale sit et quale veniale. Hac in re enim doctrina catholica nos satis certos reddit; sicuti enim iuxta omnes, blasphemia, homicidium, adulterium etc. sunt peccata ex natura sua mortalia, ita etiam iuxta omnes orthodoxos Theologos verbum otiosum, mendacium iocosum, levis impatientia etc. sunt peccata ex genere suo venialia. Ideo tantum, quia hinciude peccata mortalia ob imperfectionem actus fieri possunt venialia, et venialia ex natura sua ob varias rationes fieri possunt mortalia, in praxi seu subiective hincinde difficile est discernere, an mortale, an veniale peccatum commissum fuerit. Sub hoc respectu, ut multi putant, S. *Augustinus* affirmat, difficillimum esse invenire et definire periculosissimum, quale peccatum impediat perventionem ad regnum Dei, et quale non: iuxta contextum vero probabilius esse videtur, S. Doctorem (1) non tam de reatu culpae, quam potius de reatu poenae loqui, et de satisfactione, qua iste deletur, disserere, quia in toto capite illos impugnat, qui putant, per eleemosynas, orationes et intercessiones Sanctorum omnia peccata penitus remitti. Caeterum sicut omnes admittunt, officia erga Deum, et proximum, et seipsum dari, quamvis in illis determinandis non omnes concordent, ita etiam concedendum est, dari peccata ex natura sua venialia, quamvis in his circa quamlibet materiam determinandis, et a peccatis mortalibus distinguendis non omnes consentiant. Sapientissime etiam Deus hac in re nos in aliqua obscuritate reliquit, ita ut non semper peccata mortalia a venialibus distinguere valeamus, et satisfactionem etiam pro his praestandam accurate non cognoscamus. Id fit, ait S. *Augustinus* (2), « ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat... et ut studium in meliora proficiendi orationi instando vigilantius adhibeatur, et faciendi de mammona iniquitatis cura non spernatur. »

(1) L. c. (2) In eodem loco.

III. *De causa peccatorum actualium.*

§ 242. 1. Creatura quaelibet rationalis, et libera in optione boni et mali, est causa proxima et immediata peccati, dum legem transgreditur. Quoniam autem essentia peccati non consistit nisi in privatione boni, seu in absentia debitae rectitudinis; voluntas eatenus peccatum progignere dicitur, quatenus vel actum praeceptum omittendo, vel actum vetitum ponendo a debita rectitudine deficit, seu a lege aberrat. Ex hoc patet, peccatum, seu aberrationem a lege non causam positivam supponere, sed ex debitae activitatis, seu causalitatis defectu provenire. Egregie id ostendit S. *Augustinus* (3), dicens: « Nemo quaerat efficientem causam malae voluntatis, sed deficientem; non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio. Deficere namque ab eo, quod summe est ad id, quod minus est, hoc est incipere habere malam voluntatem. Causas porro effectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire tale est, ac si quispiam velit videre tenebras, vel

(3) Lib. 12 de Civ. D. c. 7.

audire silentium, quod tamen utrumque nobis notum est, neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures, non sane in specie, sed in speciei privatione. » Hoc idem docet *S. Thomas*, qui in peccato duo distinguit, nimirum materiale, seu ipsum actum, et formale, seu malitiam, inordinationem, vel difformitatem; qua distinctione supposita (1), ita disserit: « Peccatum est quidem actus inordinatus; ex parte igitur actus potest habere per se causam sicut et quilibet alius actus: ex parte autem inordinationis habet causam eo modo, quo negatio, vel privatio potest habere causam; » id illustrat exemplo, dicens: « Ad remotionem causae sequitur remotio effectus: sicut obscuritatis causa est absentia solis; » et, hoc ipsum ad peccatum applicans, concludit: « Provenit defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate. » Ideo tamen non negatur, quod etiam causae positivae dentur, quae efficiunt, ut voluntas a debita rectitudine deficiat, et a lege aberrans in peccatum incurrat. Id quoque docet *S. Thomas* dum (2) dicit, causam positivam posse esse causam negationis consequentis, « sicut ignis causando calorem ex principali intentione consequenter causat privationem frigiditatis. » Et in hoc sensu recte distinguuntur variae peccatorum causae, tum interiores, ut ignorantia, error, concupiscentia etc., tum exteriores, ut daemones, homines mali etc.: de variis huiusmodi peccatorum causis fusius agit Theologia moralis. Ad Theologiam dogmaticam solum spectat ostendere, quam falsum et blasphemum sit dicere, quod Deus sit causa, seu auctor peccati.

2. Quamquam per se manifeste pateat, causam peccati nec esse, nec fingi posse Deum O. M., quem Scripturae sacrae magnificum in sanctitate, sanctum in omnibus operibus suis disertissime pronuntiant; nihilo tamen secius homines perditissimi non defuerunt, quos non puduit ore blasphemo in orthodoxam hanc veritatem consurgere. *Simon Magus*, haereticorum omnium Patriarcha, Deum ea ratione peccatorum nostrorum causam esse dixit, quod talem naturam nobis dederit, quae non possit non peccare. Hinc *Vincentius Lirin.* (3) scribit: « Quis ante Simonem Magum, apostolica districtione percussum, a quo vetus ille turpitudinum gurges usque in novissimum Priscillianum continua et occulta successione manavit, auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum flagitiorumque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum? » - *Cerdonistae*, *Marcionitae*, *Manichaei*, eorumque propago *Priscillianistae* et *Albigenses*, primariam peccati causam Deum malum esse voluerunt. Impudentius iam saeculo secundo aberravit *Florinus*, qui, licet unum solummodo Deum eumque bonum admitteret, ausu tamen plusquam haeretico Deum fecit peccati auctorem, impugnatus a *S. Irenaeo* in libro specialiter edito, ut testatur Eusebius (4). Florinum secuti sunt Protestantium antesignani. Docuit siquidem *Lutherus*, Deum omnia bona et mala in nobis operari (5). Idem docuit *Melanchthon*, et asserere non erubuit, opus Dei proprium fuisse crimen Davidis perinde ac eius opus fuit Pauli vocatio (6). Docuit *Zwinglius*, hominem a Deo cogi ad peccandum. adulterium et homicidium opus esse Dei auctoris motoris et impulsoris (7).

(1) 1, 2, q. 75, art. 1. (2) L. c.
(3) Commonit. c. 24. (4) L. 5, H. E. c. 19.
(5) L. de servo arbitrio t. 2.
(6) Annot. in Ep. ad Rom. c. 8.
(7) Sermo de Provid. ad Philipp.

Docuit *Calvinus*, Deum non modo permittere, sed velle, decernere, praecipere peccatum; ac proinde quidquid satan in Iob, quidquid Semei contra David, quidquid contra Christum Iudaei moliti sunt, non solum permissu, sed decreto, iussu et imperio Dei facta esse(1). Verum equidem est, *Melanchthonem* errorem suum retractasse, et saltem *Lutheranos* ab eodem recessisse: ast negari nullo modo potest, a primis Protestantismi auctoribus et promotoribus vere traditum fuisse praefatum non minus vesanum, quam impium errorem, qui, ut optime observat Cl. *Möhler*, solus omnia longe superat, quaecunque in doctrina Catholicorum correpta fuerunt (2).

3. Quae § 44 de sanctitate Dei dicta sunt, satis ostendunt, Deum peccati causam, seu auctorem nullatenus esse. Ut autem clarius appareat, quantum illi, qui hoc affirmare non verentur, a doctrina Revelationis recedant, nonnulla hic *S. Scripturae*, *Ss. Patrum* et *Conciliorum* testimonia afferemus, praefato errori e diametro opposita. — *S. Scriptura* clarissime hac in re loquitur: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem* (3). *Odio est Deo impius, et impietas eius* (4). *Nemini* (Deus) *mandavit impie agere* (5). *Numquid voluntatis meae est mors impii? dicit Dominus* (6). *Numquid iniquitas apud Deum? absit* (7). *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra* (8). *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat* (9). Et I Io. III, 5 de Christo dicitur: *Ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis, qui in eo manet, non peccat*. Iuxta haec testimonia biblica non solum Deus ipse a peccato penitus immunis est, sed etiam in hominibus peccata non vult, verum odit et abhorret, tantumque abest, ut homines ad peccandum moveat, alliciat aut cogat, ut eos potius a peccatis liberet, praeservet, et ad sanctificationem strictissime obliget. — Recte ideo *Ss. Patres* sententiam eorum, qui Deum peccatorum auctorem constituunt, unanimi consensu reiiciunt et detestantur. *S. Iustinus* (10) ait: «Illud etiam docui, Deum non esse causam, cur ii, quorum peccata ante cognita sunt, sive Angeli, sive homines improbi efficiantur; sed sua quisque culpa tales sunt.» *S. Irenaeus* Florinum culpam Deo tribuentem sic insectatur: «Haec dogmata, Florine, ut parcissime ac levissime dicam, non sunt sanae doctrinae: haec dogmata dissentiunt ab Ecclesia, et in maximam impietatem eos coniiciunt, qui illis assentiuntur: haec dogmata nec ipsi quidem haeretici extra Ecclesiam positi proferre unquam ausi sunt.» *Eusebius*(11) ait: «Impius profecto iudicabitur, imo vero pessimus omnium, qui a Creatore universi alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur: unde sequitur, aut haec peccata non esse, aut peccandi causam in Creatorem referri.» *S. Basilius*(12) ita disserit: «Revera mente et prudentia privatus est, qui dicit Deum non esse. Consimilis vero huic est, et nihilo inferior dementia, qui dixit, Deum malorum esse auctorem. Aequale enim ipsorum peccatum esse iudico, propterea, quod utrique Deum esse negant; alter quidem omnino non esse dicens, alter vero non bonum esse decernens. Si enim malorum auctor est, nimirum

(1) L. I Instit. c. 18, § 14, et l. 2, c. 4, § 2. (2) Cf. Möhler, Symb. § 4. Klee, l. c. § 10, n. 3. (3) Ps. 44, 8. (4) Sap. 14, 9. (5) Eccli. 15, 21. (6) Ezech. 18, 23.

(7) Rom. 9, 14. (8) I Thess. 4, 3. (9) Iac. 1, 13. (10) In Dial. c. Tryph. (11) L. 6 praep. evang. c. 5. (12) In Hom. quod Deus non est auctor malorum.

non bonus est: quare, utrinque negatio Dei est. » *S. Gregorius Naz.* (1) inquit: « Deus nullo modo causa est mali, quippe natura bonus vitiumque eius (hominis) est, qui eligit. » *S. Chrysostomus* (2) scribit: « Nullus dicat: Deus nobis auctor malorum est. » *S. Epiphanius* (3) ita loquitur: « Absurdum est, malitiam Deo tribuere: divinae et ecclesiasticae Scripturae character hoc confitetur, Deum penitus alienum et impermixtum a malo esse: Deus enim nihil mali fecit, sed omnia valde bona. » *S. Ambrosius* (4) ait: « Deus operatur quod bonum est, non quod malum; » et (5): « Tu (o homo) ipse tibi es causa improbitatis, tu ipse dux flagitiorum tuorum, atque inventor criminum. Quid alienam naturam arcessis ad excusationem tuorum lapsuum? » — *S. Augustinus* (6) scribit: « Modus, quo traditus est homo in diaboli potestatem non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri iusserit, sed quod tantum permiserit. » Et (7): « Nullius culpae humanae in Deum referas causam. » Item l. 5 de Civ. D. (8): Deus « sicut omnium naturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malae quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quae ab illo est. » Et l. de praedest. Ss. (9). « Praedestinatio sine praescientia esse non potest: potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus... praescire autem potens est etiam, quae ipse non facit, sicut quaecunque peccata. » *S. Prosper* ad Capitula Gallorum (10) ita respondet: « Voluntas Dei nunquam vult nisi bona: praescientia autem et bona noscit et mala; sed bona, quae aut ipse facit, aut etiam ut nos faciamus imperat: mala autem, quae omnino ipse non facit, nec fieri suasit, aut impertit. » *S. Fulgentius* (11) ait: « Quia initium malae voluntatis superbia est, quae ex Deo non est, perspicue claret, non ex Deo esse hominibus interitum malae operationis..... Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non praedestinavit, quia homini eam daturus ipse non fuit: quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, praedestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit? Itaque peccare in hoc homo coepit, in quo a Deo discessit... Defectus ergo a summo bono ad infimum bonum, hoc est peccatoris proprium et voluntarium malum, quo malo seipsum perdit iniustus. Et huic malo auctor non est Deus, sed homo perversus. » — Cum Ss. Patribus consonant *Concilia: Arausicanum II* (12) dicit: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet*; et (13): *Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Eadem verba in can. 3 Concilii *Valentini* usurpata videmus. *Tridentinum* (14) ait: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit proprium eius non minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli; anathema sit.*

4. Deum non esse peccatorum,

(1) Orat. 1 in Iulian
(2) Hom. 20 in Acta Ap. (3) Haer. 66.
(4) L. de paradiso c. 15.
(5) L. 1 Hexaem. c. 8
(6) L. 13 de Trin. c. 12, n. 16
(7) L. 2 de pecc. mer. et remiss. c. 17, n. 27.
(8) Cap. 9. (9) Cap. 10. (10) Cap. 12.
(11) L. 1 ad Monimum c. 19.
(12) Cap. 23. (13) Cap. 25.
(14) Sess. 6, can. 6

quae ab hominibus committuntur, auctorem, seu promotorem, *ipsa ratio* sole clarius commonstrat. Nam *a*) peccatum est libera transgressio legis divinae: lex divina autem non est nisi Dei voluntas actum vel praecipiens, vel prohibens: quotiescumque ergo lex homini datur, Deus vult, ut homo libero suo utens arbitrio vel actum praeceptum ponat, vel actum prohibitum omittat. Ast, si Deus esset auctor, aut quomodocumque promotor peccati, necessario sequeretur, quod Deus eodem tempore et circa idem subiectum eundem actum simul vellet et non vellet, e. g. in lege prohibente Deus actum non vellet, quia eundem prohibet, et simul vellet, quia eundem causatur seu promovet. Talis autem contradictio in Ente simplicissimo et voluntate simplicissima a recta ratione metaphysico impossibilis cognoscitur; atque ideo sana ratio evidenter demonstrat, Deum peccati auctorem, seu promotorem esse non posse. *b*) Similis contradictio etiam intuitu hominum ex adversariorum sententia prodit. Nam, si Deus vellet hominem peccare, sequeretur aperta contradictio, hominem nimirum non peccare, quando peccat. Nam qui voluntatem suam cum divina voluntate conformat, non peccat, eoquod illa actio conformis sit voluntati divinae, quae est summa perfectionis regula: atqui peccatum committens conformaret suam voluntatem cum divina, quia iuxta *Calvinum* Deus vult ab illo committi peccatum: ergo qui peccatum committit, non peccat. Et qualis absurdorum congeries ex tali principio promanat! — Certe, si Deus vult perpetrari peccata, sequitur, eos, qui aliena diripiunt, vel adulteria et homicidia perpetrant etc., non tantum non peccare, sed et bene ac honeste agere: e contrario eos solos peccare, qui haec fieri prohibent; nam priores illi conformant se divinae voluntati, posteriores vero directe obsistunt, quia vetant ea fieri, quae Deus absolute vult fieri. Quis non videt, per talia principia omnem ordinem civilem et religiosum subverti? Certe ex schola *Calvini* nati sunt *Libertini*, qui contenderunt, peccatum nihil aliud esse, quam falsam opinionem: et, posito hoc principio, universa etiam tollitur oeconomia Redemptionis Christi, qui, si Deus peccatorum auctor est, non tam ad hominum peccata tollenda, quam potius ad sua opera destruenda venisset. — *c*) Peccatum, cum non sit quid positivum, sed defectus, seu privatio debitae rectitudinis, non efficientem, sed deficientem causam supponit: et sicut in Deo, Ente perfectissimo et infinito, nullus defectus, ita etiam nullum peccatum esse potest. Ex eadem ratione nullo modo dici potest, Deum in hominibus peccatum operari; nam defectus debitae rectitudinis provenit ex defectu debitae causalitatis; hic autem equidem in creaturis finitis, qui vires sibi datas non rite impendere, et ideo a debita rectitudine deficere possunt, locum habet; non autem in Deo, Ente omnipotenti, perfectissimo et infinito. Neque dicatur, Deum ideo, quia gratiam fortiorem, seu victricem non concedit, defectionis seu peccati causam esse: nam Deus, qui impossibilia non iubet, sufficientes vires ad legem servandam homini concedit; maiorem autem gratiam concedendi neque obligationem, neque motivum habet, quoniam bonitas eius externa a legibus et motivis penitus immunis est § 50, quapropter in Deo nunquam defectus debitae causalitatis cogitari potest. Tota ergo ratio peccati solum invenitur in homine a debita rectitudine culpabiliter deficiente.

Nota 1. **Mirum non est, multos iam extitisse qui errorem tum Revelationi, tum rationi apertissime contrarium defenderent**, et Deum peccati causam, seu auctorem dicerent. Id ex eo provenit, quia etiam plurimi extitere, qui liberum hominis arbitrium negarunt (§ 199, not. 1): hoc antem sublato, actiones non tam homini ex ineluctabili necessitate agenti, quam potius supremae causae omnia gubernanti, et ad omnia impellenti adscribendae veniunt. Idcirco quidquid liberum hominis arbitrium probat, ostendit etiam, Deum non esse causam peccati. Quicumque autem veram libertatem indifferentiae homini adiudicare renuunt, in Deum peccatorum causam refundere coguntur, quamvis id conceptis verbis profiteri vereantur.

Nota 2. Adversarii doctrinae catholicae multa S. Scripturae loca opponunt, quae si in sensu litterali proprio sumantur, Deum peccati auctorem asserere videntur. Ad huiusmodi autem difficultates biblicas solvendas generalia quaedam responsa praemittenda esse censemus. Et *primo* quidem textibus obiectis opponimus clarissima S. Scripturae testimonia, n. 3 citata, in quibus Deum peccata diligere, velle, causare, aut promovere omnino negatur. *Secundo* observamus certam regulam hermeneuticam esse, in S. Scripturae interpretatione a sensu litterali proprio recedendum esse, si ex isto aperte absurdum, aut contradictio cum aliis Scripturae locis sequeretur. Ipsi adversarii hanc regulam observant circa loca biblica, in quibus Deo oculi, aures, manus etc. adscribuntur. Atqui assertio, qua Deus auctor peccati constituitur, maximam in se continet absurditatem, et omnibus S. Scripturae locis contradicit, in quibus sanctitas Dei praedicatur; ergo loca, in quibus Deus causa peccati statui videtur, non in sensu litterali proprio, sed in improprio, seu figurato intelligenda sunt. Hanc regulam iam tradidit *S. Augustinus* (1), scribens: « Si praeceptiva locutio est aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficium iubens, non est figurata. Si autem aut flagitium aut facinus videtur iubere, aut utilitatem, aut beneficientiam vetare, figurata est. » - *Tertio* cum Cl. *Scipione Maffeio* (2) observandum est, duriusculas illas Scripturarum locutiones continuo emolliri, si quis noverit, hebraicos hos esse modos loquendi, qui aliud sonant, aliud significant; consuetudinem item omnia Deo tribuendi, tanquam causae primae, fecisse, ut Hebraei phrases adhiberent, quibus non raro Deo videantur adscribi ea, quae nonnisi ab hominum perversitate procedunt. Sapienter monet *S. Augustinus* (3): « Habet omnis lingua sua quaedam propria genera locutionum, quae, cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda. » Hebraicum idioma et syriacam dialectum, qui callent, optime norunt, quam asperos habeat loquendi modos, quamque ab eorum qui Occidentis plagas incolunt, cogitandi ratione alienos. Non suppetunt Hebraeis verba, quae certas explicent praecisiones, aut recte distinguant agere et pati: carent nonnullis temporibus, neque infrequenter tempus unum alteri surrogant: eodem utuntur vocabulo ad res affines quidem, at differentes: neque desunt iis verba et nomina, quorum significationes complures non diversae modo sunt, sed et oppositae. Expressiones saepe

(1) L. 3 de doctr. chr. c. 16.
(2) Hist. Theol. l. 1, c. 3.
(3) L. de vera Relig. c. 50.

adeo sunt hyperbolicae, ut ad litteram spectatae mutare videantur significatum; peccatum enim irremissibile idem interdum est, ac difficulter condonabile, odisse idem ac minus amare etc. Novum usque adeo Testamentum, tametsi maxima saltem ex parte hebraice scriptum non fuerit, Hebraismorum plenum est: tum quod V. T. effata saepe repetat, tum quod ab Hebraeis concinnatum sit. — His rite perpensis facile est, argumenta conterere, de quibus adversarii gloriantur; uti iam ex obiectionum confutatione patebit.

Obi. I. In Ss. Bibliis Deus dicitur operari malum. Isa. XLV, 5 etc. Deus inquit: *Ego Dominus... faciens pacem, et creans malum.* II Reg. XII, 11 etc. sic Davidem affatur: *Ego suscitabo super te malum e domo tua, et tollam uxores tuas de oculis tuis, et dabo proximo tuo... tu enim fecisti abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, et in conspectu solis.* Similia et in aliis sacris libris leguntur.

Resp. Cum in Ss. Litteris Deus dicitur malum operari, de malo agitur poenae, quod sapientissime a Deo ipso vel ad hominum virtutem perficiendam, vel ad culpam vindicandam ordinatur. Sic malum, quod iuxta Isaiam a Domino creatur, est malum poenae, Deus enim iustus est: culpae vero malum esse nequit; hoc quippe, cum aeternae legi adversetur, nequaquam a Deo fieri potest, quia sanctus est, ut in citatum locum *S. Hieronymus* observat. Haud absimili ratione difficultatem solvit *Tertullianus* (1) contra haereticos aevi sui eadem Isaiae verba illi opponentibus haec scribens: « Amplexi communionem vocabuli duas malorum species in ambiguitate turbantem, quia mala dicuntur et delicta et supplicia, passim volunt Deum conditorem intelligi malorum, ut malitiae auctor iniuste renuntietur. Nos autem, adhibita distinctione utriusque formae, separatis malis delicti et malis supplicii, malis culpae et malis poenae, suum cuique parti definimus auctorem: malorum quidem peccati et culpae diabolum: malorum vero supplicii et poenae Deum creatorem; ut illa pars malitiae deputetur; ista iustitiae mala condentis iudicia adversus mala delicta. De his ergo Creator profitetur malis, quae congruunt Iudici: quae quidem illis mala sunt, quibus rependuntur, caeterum suo nomine bona, quia iusta, et bonorum defensoria, et delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna. » — Neque obstat Regum historia, dum incestus Absalom auctorem Deum facere videtur. Nam, ut apposite inquit *S. Io. Damascenus* (2), « Scire illud attinet, in Scripturae more positum esse ut Dei permissionem ipsius actionem appellet. » Deus nempe nec imperavit, nec suasit, tantum scelus Absalomi, sed huius voluntatem ad tam enorme delictum iam inclinatam, quam cognovit, non cohibuit, sed publicum incestum fieri permisit ad puniendum Davidem.

Obi. II. Deus ab aeterno voluit et praedefinivit peccata hominum: id ex ipsa S. Scriptura constat; nam Gen. XLV, 8 ait Ioseph ad fratres, qui cum iniustissime vendiderant: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum;* et Gen. L, 9. *Nolite timere: Num Dei possumus resistere voluntati.* Ergo Iosepho persuasum fuit, fratrum odii, invidiae et iniquae venditionis Deum causam extitisse. Etiam in N. T. peccatum Iudaeorum Christum occidentium decreto adscribitur divino. Nam Petrus dicit: *Hunc definito con-*

(1) L. 2, c. Marc. c. 14.

(2) L. 4 de fide c. 20.

silio, et praescientia Dei traditum (Christum) *per manus iniquorum affligentes interemistis* (1). Et: *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus, et populis Israël facere, quae manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri* (2).

Resp. Ad hanc difficultatem e medio tollendam observandum est, generaliter in peccatis, quae fiunt contra proximum, tria reperiri, nimirum actionem malam vexantis, passionem illius, cui iniuria infertur, et effectum bonum, qui inde promanat: haec tria clare patent in exemplis allatis de venditione Iosephi, et crucifixione Christi. Iam si istae actiones considerentur ex parte agentium, sunt malae, et eas Deus nec vult, nec praedefinit, sed tamen praecognoscit, permittit, et pro infinita sapientia sua ad bonos fines dirigit: ideo eaedem actiones, si considerentur ex parte patientium et Iosephi, et Christi, et similium, qui has iniurias aequo animo ferunt, est opus virtutis a Deo volitum, et praedefinitum: idem dicendum est de bonis effectibus, ad quos praefatae actiones diriguntur. Et ex his facile cognoscitur, sub qua ratione praefatae actiones in S. Scriptura a Deo volitae et praedefinitae dicantur, nimirum non quatenus sunt peccata, quae a liberis hominum voluntatibus oriuntur, et a Deo solum cognoscuntur et permittuntur, sed quatenus in iustis virtutes, et merita generant, aut alios bonos effectus producunt. His praenotatis facile ostenditur, in allatis locis Deum nullo modo auctorem peccati constitui. Nam Ioseph non refert peccatum fratrum suorum ad voluntatem Dei, sed transitum suum in Aegyptum, quatenus ex illo magnum bonum secutum est; non enim dixit: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate* me vendidistis, sed *hic missus sum:* quasi diceret: vestri consilii non erat me exaltare, sed solius Dei, qui tamen vestro consilio usus est in bonum, unde dicit: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me* (3), ut salvos facerem multos populos alias fame morituros. — Alia porro verba: *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati?* minime denotant, fratres Ioseph divinitus fuisse compulsos ad malum; verum ad Ioseph tantum referuntur, de se in numero multitudinis loquentem et profitentem, se non posse absque culpa resistere Deo volenti, ut fratribus ignosceret. Hebraicus enim textus, cui consonat graecus et chaldaeus, ita habet: *Nolite timere, nam sub Deo ego sum*, id est, nolite putare, illatae iniuriae me ultorem futurum; Deum enim timeo et illi subiectus sum, ac ideo illum imitari eique obedire debeo. Cum igitur Deus occasione vestri criminis tanta bona mihi contulerit, non possum vobis irasci, ne ingratus erga Deum videar. Ita hunc locum exponunt *S. Chrysostomus* (4) et *S. Ambrosius* (5). Eadem est responsio quoad peccatum Iudaeorum Christum occidentium. Duo enim in passione Christi consideranda sunt; malitia nempe Iudaeorum, et immensa bonitas divina, quae voluit, ut lapsus Adae fieret per Christi necem reparatio. Malitiam Iudaeorum Deus nec velle, nec decernere potuit: hanc vero praenovit, eorumque crimen *definito consilio* permisit, hoc est, decrevit non impedire. Sic autem praevisa Iudaeorum iniquitate simulque permissa, positive

(1) Act. 2, 23. (2) Act. 4, 27.

(3) Gen. 50, 20 (4) Hom. 61 in Gen.
(5) De Ioseph c. 12.

atque absolute decrevit Omnipotens magnum pietatis opus, quo per Unigeniti sui cruciatus et mortem ab aeternae mortis vinculo genus humanum solveretur. En qua ratione Christi passio divinitus fuerit decreta. Hanc doctrinam praeclare proponit *S. Leo M.* (1) ita disserens: « Multum diversum, multumque contrarium est id, quod in malignitate Iudaeorum est praecognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi: nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris et tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit; nec praesciendo, quod faciendum esset, coëgit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret. »

Obi. III. Saepe in S. Scriptura Deus dicitur impellere ad peccatum sive moraliter illud iubendo, sive physice movendo voluntatem ad illud, aut utendo satana, vel hominibus tanquam instrumentis ad operandum illud. Sic II Reg. XVI. 10 ect., de Semei conviciis persequente Davidem dicitur: *Dominus praecepit ei, ut malediceret David... dimittite eum ut maledicat iuxta praeceptum Domini.* II Reg. XXIV, 1 legitur: *Addidit irasci furor Domini contra Israël, commovitque David in eis dicentem: vade, numera Israël, et Iudam;* et v. 10 ipse David fatetur, se in hac numeratione peccasse. III Reg. XXII, Deus dicit spiritui malo, qui promiserat, se decepturum Achab: *Decipies, et praevalebis, vade, et fac ita;* sequitur: *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum:* idem fere occurrit Is. LXIII, et Ezech. XIV. Christus ipse Io. XIII, Iudae nequissimam proditionem molienti dixit: *Quod facis, fac citius.* — Isa. X, Sennacherib rex Assyriorum dicitur: *Assur in manu Domini virga furoris, et baculus irae* contra Iudaeos; et cap. XIII: *Ego suscitabo contra vos Medos.* Ps. CIV: *Convertit cor eorum* (Aegyptiorum), *ut odirent populum suum.* III Reg. XI et XII rebellio Ieroboam contra Roboamum, et IV Reg. IX et X rebellio Iehu contra Achab dicitur a Deo fuisse. Quis iam negabit, in his, et similibus locis peccata hominum Deo ut auctori, seu impulsori adscribi?

Resp. Ad difficultates istas solvendas ante oculos habenda sunt, quae iam ab initio observata fuerunt, nimirum citatas et similes locutiones biblicas non in sensu litterali proprio, sed in improprio, tropico, seu metaphorico, et iuxta genium linguae hebraicae intelligendas esse. Imo cum *Bellarmino* (2) Theologi triplicem modum assignant, quo Deus dici potest hominem impellere et incitare in sensu tropico et figurato ad peccatum. Ac 1° quidem permittendo homines male agere, pravamque eorum voluntatem non impediendo. Cum enim sine permissione Dei nihil fieri possit, ea vero quae Deus omnium praescius permittere vult, certissime sint eventura, hoc ipso quod peccatum hominis non impediat, in sensu quodam tropico ac figurato dici potest homines ad peccatum impellere et incitare: sic etiam nos dicimur eos exponere, quos non tuemur; sic venator dicitur immittere canem in leporem, quamvis tantum laxet illum; sic in sacra Scriptura Deus dicitur abstulisse bona Iob et ipsum afflixisse, quamvis ex eadem Scriptura et serie huius historiae constet, Deum concessisse tantum diabolo facultatem quam pe-

(1) Serm. 16 de pass. Dom.

(2) L. 2 de amiss. grat. et statu pecc. c. 13.

tebat affligendi Iob; nec enim indigebat satan iussu, aut impulsu Dei, ut faceret id, ad quod ex odio in Iob adeo erat propensus. Similiter id, quod de *Semei* legitur, intelligendum est, nempe *Dominus praecepit*, i. e. permisit *ei ut malediceret David - iuxta praeceptum*, i. e. decretum permissivum, *Domini*. Convenit sane hic locus cum illo Marc. X, 4 etc., ubi Pharisaeis dicentibus: *Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere*, Christus reponit: *ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud*, per quod iuxta omnes nonnisi permissio intelligitur. — Etiam Davidem non Deus ad populum numerandum impulit, sed solum permisit, ut a satana ad hoc incitaretur; nam I Paral. XXI, 1 expresse dicitur: *Consurrexit satan contra Israël; et concitavit David, ut numeraret Israël:* neque hic locus pugnat cum II Reg. XXIV, 1; hic enim, ut observat *S. Hieronymus* (1), per furorem Domini nonnisi daemon significatur, qui divinae vindictae minister est. — Etiam verba III Reg. XXII, *decipies... vade, et fac ita*, non sunt accipienda praeceptive, sed permissive: non enim indigebat praecepto spiritus malignus, ut deciperet prophetas Achab, quippe qui se obtulerat immediate, ante dicens: *Ego decipiam... egrediar, et ero spiritus mendax in ore prophetarum:* attamen malam voluntatem exequi non poterat, nisi Deus permitteret. Cum ergo Deus dicit: *Egredere, et fac ita*, sensus est: non impedio, quin facias quod meditaris, sed permitto. Et sic *dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum* non suggerendo, sed permittendo mendacium, ut Achab puniretur, quia falsis vatibus praebuerat aures, postha-bito Michaea. Deum autem hunc regem Israël reapse decipi noluisse, certum omnino est, cum ipsum iam admonuerit per Michaeam deceptionis pseudoprophetarum, eique de futuro exitu belli contra Syros vera nuntiaverit. — Si Christus Iudae dixit: *quod facis, fac citius;* haec non sunt verba praecipientis, sed indicantis se scire, quid rei sit, et non impedientis, nec timentis; sed permittentis, quasi diceret: Scio quid moliris contra me, et quamvis possem impedire, non impedio tamen, nec timeo, sed permitto, ut illud cito exequaris. Nonnulli haec verba Christi referunt ad egressionem a coenaculo, quam Iudas proxime in mente habuit, et cum *S. Ambrosio* in illis agnoscunt verum praeceptum, quo Iudas a collegio Apostolorum expulsus fuit. Notandum quoque est, saepe in Ss. Scripturis modum imperativum poni pro tempore futuro, quod in Psalmis et Prophetis frequenter occurrit; et sic etiam verba Christi exponi possunt: *quod facis* facies *citius*, i. e. proditionem quam moliris, mox, imo iam hac nocte perficies; ubi dein non solum nulla ad peccandum incitatio, sed et divina praedictio occurrit. — 2° modo, quem indigitat *S. Thomas* (2), Deus dicitur praecipere mala opera et ad illa impellere non solum permissive, sed occasionaliter, quatenus aliquid homini proponit, concedit, aut circa illum vel interius, vel exterius agit, quod quamvis in se bonum sit, ac inductivum ad bonum, homo tamen propter suam malitiam perverse utitur ad malum, et inde sumit occasionem peccandi. Sic parentes dicuntur corrumpere filios, quibus ad bonum finem pecuniam tribuunt, qua autem illi ad mala opera abutuntur. Sic etiam cum lau-

(1) Comment. in Ep. ad Ephes. 2.

(2) Lect. 5 in Ep. ad Rom. c. 9.

damus aliquem, aut ei benefacimus coram eius inimico, qui inde magis invidet, dicimur causa huius maioris invidiae et ad illam impellere; et sic in S. Scriptura, quae usitato inter homines mori loquendi se accommodare consuevit, tropice Deus, cum facit aliquid, quod est de se bonum, ex quo autem homo ex propria malitia sumit occasionem peccandi, dicitur causa huius peccati, et ad illud impellere, occasionaliter nempe. Sic Deus, Isa. X, Regi Assyriae ad bonum finem fortem exercitum et magnas copias dedit, quibus ille ad debellandas alias gentes abusus est: huius malitiae Deus auctor non fuit, quamvis illam in iustam populorum punitionem permitteret; ideo Isa. X, 6 dicitur: *Contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia;* v. 7: *ipse autem non sic arbitrabitur, et cor eius non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor eius, et ad internecionem gentium non paucarum.* Sic pariter ex eo, quod Deus benefaceret populo suo, Aegyptii sumpserunt occasionem deterioris odii et maioris saevitiae in Iudaeos; quo sensu *S. Augustinus*, et *Theodoretus* intelligunt illud Ps. CIV: *Convertit cor eorum* (Aegyptiorum), *ut odirent populum suum.* — 3° modo Deus per tropum homines ad peccandum provocare dicitur, quatenus malas eorum volnntates et ad malum sua sponte iam determinatas ad unum potius malum faciendum, quam ad aliud inclinat, non solum permissive, sed etiam positive flectendo ad unum et detorquendo ab alio, — non quidem per actionem qua physice voluntates illas ad unum malum immediate moveat ac determinet, atque ab alio avertat (hic enim modus et humanam libertatem tolleret et Deum peccati faceret auctorem), sed occasionaliter, id est, unius peccati occasionem permittendo, alterius vero removendo; aut immittendo, v. gr., bonam aliquam cogitationem, ex qua homo malus occasionem sumit unum malum potius volendi, quam aliud, huic potius nocendi, quam alteri etc. De isto modo disserens *Hugo Victorinus* (1), ait: « Potest ergo voluntas mala in se corrumpi et resolvi per proprium vitium, quod ei aliunde non datur, sed non potest velle extra se praecipitari, nisi qua ei via aperitur. Et qui praecipiti qua vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinat non impellendo, sed permittendo et non tenendo; nec auctor illi est ruendi, sed incedendi ordinator. » Iuxta hunc triplicem modum facile omnia loca biblica, in quibus peccata hominum Deo adscribi videntnr, ita in sensu catholico exponentur, ut clare appareat, Deum peccati auctorem nullatenus esse. Notandum denique est, nonnullos textus ab adversariis citari, qui ad rem non sunt, cum ibi de veris peccatis sermo non sit. Id dicendum est de rebellione *Ieroboam* et *Iehu;* nam ex ipsa S. Scriptura *S. Augustinus* (2) probat, Ieroboam et Iehu in illa defectione non peccasse, fuisseque utrumque legitimum regem, ab ipso Deo electum. Idem dicendum est de Osea cap. 1 qui non fornicari, sed ad legitimam uxorem accedere iubetur; eiusque filii ideo tantum *filii fornicationum* dicti sunt, quia populi israëlitici infidelis symbola esse debuerunt.

Obi. IV. Deus in Ss. Scripturis dicitur hominum mentes excaecare, eorum corda indurare, ut bonum operari nec velint, nec possint; imo dicitur etiam eos errare facere, et tradere in reprobum sensum: ergo est pec-

(1) L. 1 de Sacr., P. 5, c. 29

(2) L. 17 de Civ. Dei c. 21 et 22.

catorum causa. Plurima loca id probant: Ex. VII Deus de Pharaone dicit: ***Ego indurabo cor eius;*** cap. IX legitur: ***Induravit Dominus cor Pharaonis;*** Deut II: ***Noluit Sehon rex Hesebon dare nobis transitum, quia induraverat Dominus spiritum eius;*** Ios. XI: ***Domini sententia fuerat, ut indurarentur;*** Isaias c. LXIII exclamat: *Quare errare nos fecisti, Domine, a viis tuis: indurasti cor nostrum, ne timeremus te?* Idem c. VI, v. 10 dicit: *Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude; ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* In N.T. Ioannes c. XII, citans hunc locum, dicit: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum.* Paulus Rom. I de Ethnicis ait: *Tradidit eos in reprobum sensum, ut faciant, quae non conveniunt,* etc., et ibid. c. IX, v. 18: *Deus, cuius vult miseretur, et quem vult indurat.* Ergo Deus ipse causa est, ex qua fit ut homines in peccata ruant.

Resp. Loca S. Scripturae, quae testantur, Deum excaecare et obdurare homines in malo, cum distinctione sunt intelligenda. Deus enim excaecat quidem, et obdurat *improprie* et *negative*, iuste deserendo, cum prius ab homine deseratur: idque fit, dum in poenam peccati quis meretur, ut Deus gratiam, quam nemini debet, illi deneget, mentisque caecitatem in eo permittat, et cordis duritiam. *Proprie* autem, ac *positive* Deus non excaecat, nec obdurat homines malitiam eis tribuendo, sed isti iustissimo iudicio a gratia relicti praeter Dei voluntatem ex propria malitia magis magisque a recta via aberrant, in reprobum sensum et in maxima scelera ruunt. Hanc esse praefatorum textuum legitimam interpretationem solidis argumentis probari potest. Nam *a*) id patet ex ipso Scripturarum contextu, quae causam illius indurationis magis tribuunt ipsismet hominibus, quam Deo. Sic ipsi Pharaoni tribuitur cordis induratio Ex. VIII: *Videns Pharao, quod data esset requies, ingravavit cor suum, et non audivit eos sicut praeceperat Dominus;* et c. IX, *Videns Pharao, quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum, et ingravatum est cor eius:* ergo cum legitur: *Induravit Dominus cor Pharaonis,* hoc unum indicat, derelictum esse a Deo Pharaonem, quem decreverat non amplius movere et flectere, adeoque a Deo non fuisse induratum nisi *negative* et *permissive*. Similiter Chananaei per idololatriam, et alia scelera seipsos excaecarunt, et obdurarunt, unde iusto Dei iudicio derelicti, et puniti fuere. Isaias in citato cap. LXIII, v. 10 iam declaravit, quare Deus Israëlitas errare, et indurari permiserit: ait enim: *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum Sancti eius, et conversus est eis in inimicum.* Is. VI, 10 ponitur imperativus pro tempore futuro, et sensus verborum est: Praedic eos excaecandos, atque indurandos esse, occludent enim Iudaei sponte ac propria malitia oculos mentis, ne quo forte casu videant veritatem: aures data opera obturabunt, ne audiant veritatem (1). In eodem sensu Io. XII, verba Isaiae applicantur, et in Iudaeis impleta monstrantur: non autem voluntati, aut actioni divinae, sed propriae Iudaeorum malitiae excaecationem, et indurationem adscribendam esse, patet ex verbis Christi, Io. XV, 22: *Excusationem non ha-*

(1) V. Tirin. in h. l.

bent de peccato suo. Paulus Rom. 1, v. 20 etc. clare ostendit, Ethnicos potuisse, sed non voluisse Deum cognoscere, et ex propria culpa in foedam idololatriam prolapsos esse, atque ideo v. 26 Deum illos tradidisse in passiones ignominiae, id est, eos gratia sua deseruisse, ac permisisse, ut inordinatas suas passiones sequerentur. Idem Apostolus Rom. II, 5 optime declarat, indurationem ab ipso homine perverso produci, ait enim: *Benignitas Dei ad poenitentiam te adducit, secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor thesaurizas tibi iram.* — *b*) Deum non aliter excaecare, et indurare quam negative, et permissive, etiam Ss. Patres docuerunt. *Origenes* (1) dicit: « Hoc modo intelligendum est Deum tradere quos tradit, non quia ipse tradat aliquem, sed eo quod derelinquit indignos. » *Clemens Alex.* (2), citans Is. VI, 10, et verba Christi Matth. XIII, *In parabolis loquor eis, ut videntes, non videant*, haec observat, non quod eis Dominus tribuat ignorantiam (sic enim sentire est nefarium), sed quod eam, quae inerat, prophetice arguerit. » *S. Gregorius Nyss.* (3) scribit: « Sic oportet illud dictum Apostoli intelligere, eos nimirum, qui Deum non cognoverunt, ignominiae passionibus traditos esse, et induratum a Deo fuisse tyrannum Aegypti, non quia divina voluntas duritiem in animum eius induxerit, sed quia cum ipse vitiose vivere maluerit, non suscepit rationem, qua induratum in vitio cor permollitur. » *S. Augustinus* Ep. 194 (4) ad Sixtum inquit: « Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam; » ad Simplic. (5) dicit: « Obduratio Dei est nolle misereri; nec ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum, quo sit melior, non erogatur. » Et (6) ad illa verba: *propterea non poterant credere* etc., ita disserit: « Dicitur nobis: Si non potuerunt credere. quod peccatum est hominis non facientis quod non potest facere? » et respondet: « Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, et non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Evangelium: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias; excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum?* — Hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit. Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus, et per Prophetam praenuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt » (7).

Nota 3. Quamvis S. *Augustinus* mentem suam in sensu catholico clarissime expresserit, tamen adversarii pro sua sententia tanti Doctoris auctoritate abutuntur. Sic citant eius verba ex l. de grat. et lib. arbitr. c. 21, ubi sicut bonas, ita et malas hominum actiones Dei operationi adscribere videtur; ait enim: « Operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen iusto. » Ast haec verba adversariis non favent; significant enim, Deum voluntates hominum *positive* in bonum inclinare, in malum *negative* tantum. Id autem praestat Deus non

(1) Hom. 2 in Iudic. (2) L. 1, Strom.
(3) L. de vita Mosis. (4) (Al. 105).
(5) L. 1, q. 2. (6) Tract. 53 in Ioann.
(7) Cf. S. Chrysostom. Hom. 3. in Ep. ad Rom. S. Gregorium M. l. 25, Mor. cap. 12 et 13, S. Isidorum l. 2 de summo bono c. 19, S. Io. Damasc. l. 4, de fide orth. c. 20. S. Thomas 1 2. q. 79, art. 3.

tribuendo malitiam, nec voluntatem in bonum inclinatam pervertendo, sed non impediendo, ut voluntas vitio proprio ad malum propensa in illud feratur, semperque miro providentiae ordine dirigendo malum ipsum in bonum. Hanc esse mentem Augustini luculenter patet ex l. 5 de Civ. D., c. 8 et 9, et alibi. Et si S. Doctor in Enchir. (1) dicit: « fieri posse, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona, » non iam asserit, Deum velle peccatum, sed solum observat, contingere posse, ut ex malitia homo illud idem velit, quod Deus ex voluntate bona decernit; cuius rei ibidem exempla subministrat; e. g. Deus vult bona voluntate aliquem mori, forte etiam ex singulari misericordia, ne mutato per malitiam intellectu eius aeternam incurrat damnationem; contingere autem potest, ut plane idem mala voluntate cupiat homo vel ex studio vindictae, vel ad capiendam eius haereditatem: et sic omnino verificatur dictum Augustini, quin Deus malae voluntatis auctor constituatur. Denique si S. Doctor c. Iulian.(2) videtur negare, Deum solum deserendo tradere in reprobum sensum, et si videtur asserere, ipsum hac in re etiam potentiam suam exercere; observandum est, Augustinum in controversiis cum Pelagianis solum quaestionem de modo, quo Deus homines in reprobum sensum tradit, declinare velle, quod ex eius verbis patet: « Quaeris inaniter, quomodo Deus intelligendus sit tradere multum laborans, ut ostendas eum tradere deserendo. Sed quomodolibet tradat, propter hoc (praecedens peccatum) tradidit, propter hoc deseruit, et vides eius traditionem qualemlibet et quomodolibet intelligas, quae consecuta sint. » Praeterea autem ostendit, Deum hac in re etiam potentiam suam ostendere, dum hominum voluntatibus libere, et per se malis utitur ad providentiae suae consilia exequenda: ideo ib.(3) post varia huiusce rei citata exempla subdit: « Facit haec (Deus) miris et ineffabilibus modis, qui novit iusta iudicia sua non solum in corporibus hominum, sed et in ipsis cordibus operari, qui non facit voluntates malas, sed utitur eis ut voluerit, cum aliquid inique velle non possit » (4).

(1) C. 101. (2) L. 5, c. 3. (3) C. 4.

Nota 4. Sophismata, quibus adversarii ratione abutentes doctrinam catholicam impugnant, facile diluuntur.

Obi. I. Cum peccatum, ait *Zwinglius*, sit transgressio legis, Deus autem nulli legi subiiciatur, potest idcirco pro libitu velle peccatum in creaturis easque ad lapsum compellere, quin ulla peccati labe inquinetur. Imo Deus hac in re bene operari dicendus est, quia ad bonum finem peccata producit. Convenientissimum enim est Deo, ut omnes suas perfectiones, et praecipue suam misericordiam et iustitiam manifestet; ast utramque non potest manifestare, nisi adsint peccatores, quibus vel indulgentiam concedat, vel poenas infligat. Ergo Deus debet velle et efficere peccata, ut magnitudinem misericordiae, et iustitiae suae manifestet, et gloriam suam promoveat.

Resp. Deum, ut ens a se et supremum legislatorem nulli legi subesse, certissimum est: sed aeque certum est, Deum ut ens simplicissimum et infinite perfectum sibi contradicere non posse. Sibi autem contradiceret, si legem ferendo vellet, ut actus ab homine vel ponatur, vel omittatur, et si causando peccatum circa eundem

(4) Cf. Herminier T. 6 de pecc. p. 262.

hominem, vellet ut actus a se praeceptus omittatur, vel actus a se prohibitus ponatur. Cum vero talis contradictio in Deo metaphysice impossibilis sit, pari ratione metaphysice impossibile est, Deum esse auctorem peccati. Praeterea tum ex Revelatione, tum ex ratione cognoscimus, iuxta legem aeternam, quae non est nisi immutabilis voluntas Dei, non esse facienda mala, ut eveniant bona; ergo eadem certitudine cognoscimus, immutabiliter Deum nunquam ad bonum finem opus quoddam malum perficere velle. Nimis profecto contortum de divina omnipotentia et sapientia conceptum habent, qui putant, Deum more hominum ad finem, quem vult, obtinendum mediis indigere, et quandoque nonnisi per iniqua media intentum suum assequi posse. Aliter omnino Deus concipiendus est, qui mediis non indiget, et dum liberrime media applicat, haec volendo et applicando apta et bona reddit, unde de medio iniquo, seu de peccato ad bonum finem adhibito sermo esse nequit (§ 43). Falsum quoque et blasphemum est, Deum peccata causari, et peccatores producere debere, ut misericordiam et iustitiam suam in istis manifestet. Nam etsi nulla creatura in culpam lapsa fuisset, Deus tamen misericordiam suam apertissime demonstrasset creaturas liberas et finitas a lapsu praeservando, easque plurimis beneficiis cumulando: iustitiam etiam suam manifestasset coronando bene merentes et promissiones suas adimplendo: quinimo iustitiam vindicativam luculenter ostendisset comminando praevaricatoribus legis acerbissima supplicia. Quamvis enim nulla creatura, utpote singulari Dei gratia a peccatis praeservata vindicem Dei manum esset experta, ob infinitam tamen Dei minantis et loquentis potentiam et auctoritatem, nullus dubio locus fuisset, Deum et scelera omnia execrari, et de his, si quae patrarentur, iustissimas poenas exacturum esse. Itaque omnino falso asseritur, Deum ad bonum finem nempe ad suarum perfectionum manifestationem peccata in creaturis velle et efficere debere. Imo hunc nobilem finem Deus in sententia adversariorum nunquam consequi posset. Nam si peccata non a libero hominum arbitrio, sed a causalitate divina repetenda forent, Deus in peccatoribus neque iustitiam, neque misericordiam manifestaret; nam peccata ab hominibus virtute divina, cui resistere nequeunt, patrata imputari non possunt: et si Deus nihilominus illa puniret, non ostenderet suam iustitiam, sed similis esset tyranno, qui vult et promovet aliorum delicta, ut possit in iis puniendis libidinem suam explere. Ideo *S. Fulgentius* (1) scribit: « Iustitia iusta non erit, si ad puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur: quin potius maior erit iniustitia, si lapso Deus tribuat poenam, quem stantem praedestinasse dicitur ad ruinam. » Quod si etiam Deus peccata condonet, haec ipsa quoque misericordia crudelis dicenda foret, quae prius vulnera infligit, ut illa postmodum sanet. Ex his patet, quam absurda sit sententia adversariorum. Certe solum in doctrina catholica, quae a culpabili liberi arbitrii abusu peccata repetit, misericordia et iustitia divina clarissime manifestantur, dum Deus peccatoribus vel per gratiam suam benigne concessam poenitentibus indulget, vel impoenitentibus debitas poenas infligit (2).

Obi. II. Deus, ut omnes admittunt,

(1) L. 1 ad Monim. c. 22.

(2) Cf. Möhler Symbol. § 4.

est causa omnium entium contingentium, atque ideo etiam omnium actionum, quae ponuntur; atqui peccatum est quid contingens, seu actio, quae ponitur: ergo Deus est causa peccati.

Resp. Ad hanc difficultatem solvendam Theologi catholici communiter respondent, in peccato duo esse distinguenda, nimirum *materiale*, seu physicam actionis entitatem, et *formale*, seu ipsius actionis deformitatem, seu aberrationem a lege, et dicunt, Deum esse causam praefatae actionis materialiter, non autem formaliter sumptae. Dum autem hanc distinctionem explicant, et concursum Dei ad actiones malas determinant, in varias sententias abeunt. Nonnulli cum *Durando* (1) negant immediatum Dei concursum ad causarum secundarum effectus, et ideo contendunt, Deum in genere causae physicae mediate tantum ad peccatum concurrere, quatenus confert homini liberum arbitrium, hoc est, bene, vel male agendi potentiam. Sed haec sententia, quae causalitatem divinam nimium restringit, et rectis divinae providentiae conceptibus opponitur, merito a plerisque reiicitur. — Aliter idcirco cum *Bellarmino* (2) censent Societatis Iesu Theologi plures, iuxta quos Deus non uti causa particularis et determinata, sed tanquam causa universalis et physice indifferens ad unam, vel alteram actionem cum homine non per praeviam praemotionem, sed simultanee concurrit: ex quo inferunt, Deum in entitatem actionis influere quidem ut causam, non vero in malitiam peccati. Huiusmodi porro generalis ac indifferens Dei concursus, quo quisque pro libero arbitrio uti posset in bonum, ab homine determinatur ad malum, adeo ut actio mala suum esse specificum recipiat ab humana voluntate, et ab ea veluti a causa particulari procedat. — Ulterius progrediuntur *Thomistae* docentes, Deum per praemotionem physicam, id est, per applicationem potentiae suae concurrere ad omnes creaturarum actus, etiam ad illos, in quibus peccati ratio invenitur. Nullatenus autem ideo cum Novatoribus Deum peccati auctorem constituunt, quoniam docent, voluntatem creatam a Deo praedeterminari tantum ad *materiale*, nempe ad solam physicam entitatem actus mali, non vero ad *formale*, quo nomine moralem ipsius deformitatem atque malitiam intelligunt. Ut vero distinctio ista rite intelligatur, notandum est, quod iuxta principium *S. Augustini* et *S. Thomae* (§ 238), peccatum formaliter sumptum non sit ens positive existens, sed privatio debitae rectitudinis, et quod talis privatio non positivam, seu efficientem, sed solum negativam, seu deficientem causam supponat (§ 242, n. 1): sicuti autem in Deo, qui est actus purissimus, nec ex parte essentiae, nec ex parte voluntatis et operationis defectus esse potest; ita in hac sententia luculentissime patet, Deum peccati auctorem nec esse nec dici posse. Praeclare genuinam Thomistarum doctrinam proponit Cl. *Billuart* (3), ubi dicit: « Deum, quantumvis physice praemoveat ad actum peccati, non tamen attingere malitiam, sed ab ea praescindere, quia praemovet ad actum peccati motione generali in ordine physico ut primum principium efficiens, ideoque attingit solum in eo, quod est effectus et entitatis physicae; malitia autem non

(1) In 2 Sent. dist. 1, q. 5.

(2) Disput. tom. 4 Controv. 2 Generali lib. 2, cap. 5, et 18.

(3) Tom. 1 de Deo, diss. 8, art. 5.

est aliquod ens, nec pertinet ad ordinem physicum, sed defectus, privatio, merum nihil; consequenter non oritur a principio efficiente physice, sed deficiente moraliter, quod est creata voluntas quatenus est ex nihilo. Id variis exemplis illustratur; sic anima, movens et praemovens tibiam curvam, est causa totius motus, non est tamen causa defectus claudicationis, qui in solum defectum, seu curvitatem tibiae refunditur. Sic peritus scriptor, aptans calamum, est causa bonae dispositionis calami, non tamen defectuum, quibus subiicitur calamus. Sic idem peritus scriptor, movens et dirigens manum discipuli, est causa perfectionis, quae reperitur in scriptione, non tamen defectuum in quos labitur discipulus, dum se subtrahit a directione magistri. Sic dum peritus artifex movet machinam artificiosissime constructam, iuxta omnes regulas artis, si in ipso usu et exercitio incidat aliquis defectus ortus ex parte materiae, tribuitur machinae et non ipsi artifici, licet quidquid est boni, et artificiosi tam in machina, quam in motu ipsi tribuatur. » Ita laudatus auctor ostendit, Deum per praemotionem physicam concurrere quidem ad omnes actiones in se bonas, non vero ad defectus, qui in illis contingunt, et solum a deficiente voluntate humana originem habent, et Deum ideo nullo modo esse, aut dici posse causam seu auctorem peccati. — Alias difficultates solvit idem in tr. de peccatis (1). Notandum porro est, plures difficultates, quae huc spectant, in decursu Theologiae, et praecipue in tractatu do providentia divina solvendas esse.

(1) Diss. 5 art. 9 (Cf. Sardagna 1. 4, art. 2, Controv. 2).
(2) Sap. 14, 9. (3) Ps. 5, 6 etc.

IV. *De effectibus peccatorum actualium.*

§ 243. Sicut iam primum a protoparentibus commissum peccatum gravissimis poenis castigatum fuit (§ 213, et seq.); ita etiam mortalia posterorum peccata funestissimos effectus producunt, de quibus breviter aliqua dicenda sunt.

1. Primarius peccati mortalis effectus est *amissio gratiae sanctificantis*, unde fit, ut homo ex iusto fiat iniustus, ex amico Dei inimicus eiusdem. Id sacra Scriptura testatur, dum dicit, Deum peccatores odisse, spernere, ab iis recedere, separari etc. Sic dicitur: *Odio sunt Deo impius, et impietas eius* (2). *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos: odisti omnes, qui operantur iniquitatem* etc. (3). *Sprevisti omnes discedentes a iudiciis tuis, quia iniusta cogitatio eorum* (4). *Abominatio est Domino via impii; qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo* (5). *Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam* (6). *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius, ne exaudiret* (7). *Exspectatio Israël Domine: omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum* (8). Ezech. XVIII, 4: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur*; dein, magna enumerans scelera, interrogat: *Quod si... et fecerit unum de istis. . numquid vivet? non vivet; cum universa haec detestanda fecerit, morte morietur, sanguis eius in ipso erit* (9). Dan.: *Omnis Israël praevaricati sunt legem tuam, et declinaverunt ne audirent vocem tuam, et stillavit super nos ma-*

(4) Ps. 118, v. 118. (5) Prov. 15, 9.
(6) Eccli. 12, 7. (7) Isa. 59, 2.
(8) Ierem. 17, 13. (9) V. 10 et 13.

ledictio, et detestatio, quae scripta est in libro Moysi servi Dei, quia peccavimus ei (1). Osee: *Vae eis, quoniam recesserunt a me; vastabuntur, quia praevaricati sunt in me* (2). Ib.: *Vae eis, cum recessero ab eis* (3). — Christus, cum dixisset, in unione cum ipso, quae fit per gratiam, bona opera perfici posse, postea subiungit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet* (4). Paulus ait: *Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem, et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent* (5); et: *Deus reddet unicuique secundum opera eius;* v. 8: *Iis, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, et indignatio* (6). — Apoc.: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti: memor esto itaque, unde excideris; et age poenitentiam* (7). Ib.: *Scio opera tua, quia nomen habes, ut vivas, et mortuus es* (8), nempe spiritualiter. Ita S. Scriptura ostendit, hominem per peccatum mortale gratiam sanctificantem et vitam spiritualem amittere, ac odium et inimicitiam Dei incurrere. Hoc idem unanimi consensu docent *Ss. Patres*, qui sat frequenter peccatum grave mortem animae et inimicitiam Dei appellant, ac distinctionem peccatorum in eo reponunt, quod mortalia peccata gratiam sanctificantem auferant, animam occidant et inimicam Dei constituant, non autem venialia. Haec est etiam, et fuit semper doctrina catholicae Ecclesiae; et ideo *Concilium Tridentinum* (9) dicit: *Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis; aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis, peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit.* De fide ergo credendum est, non solum per infidelitatem, sed etiam per alia peccata mortalia gratiam divinam amitti.

2. Alter peccati effectus est *reatus culpae*, seu *macula*, quae animam inquinat, et adhuc in ea superest, licet iam praeterierit actus peccati. Ex peccato actuali maculam sequi in anima peccatoris, patet ex Ss. Litteris, quae peccatum proprio nomine maculam appellant, aut similibus terminis exprimunt. Sic legitur: *An parum vobis est, quod peccastis in Beelphegor, et usque in praesentem diem macula huius sceleris in nobis permanet* (10)? *Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus* (11). *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion* etc. (12). *Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo?... qui ingreditur sine macula* (13). *Beatus vir, qui inventus est sine macula* (14). *Asperges me hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor* (15). *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* (16). Consonant hac in re Ss. Patres et Theologi recentiores, cum hoc tamen discrimine, quod veteres id, quod post actum peccati in anima remanet, *maculam* nominaverint; recentiores vero *peccatum habituale* nuncupare soleant. Idem colligitur ex modo loquendi apud Patres Tridentinos usitato, nam Sess. V, can. 2 hominem dicunt per inobedientiam *inquinatum;* can. 4 aiunt, infantes per baptisma *mundari, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt;* can. 5 anathema pro-

(1) 9, 11. (2) 7, 13. (3) 9, 12.
(4) Io. 15, 6. (5) Rom. 1, 18.
(6) Cap. 2, v. 6. (7) 2. 4 etc. (8) 3, 1.
(9) Sess 6 can 27 (10) Iosue 22. 17.

(11) Ier. 2, 22. (12) Isa. 4, 4.
(13) Ps. 14, 1, etc. (14) Eccli. 31.
(15) Ps. 50.
(16) Ezech. 36. 25.

nuntiant dicentibus, per baptisma peccatum *tantum radi*, *aut non imputari*, quod manifeste supponit, aliquam esse peccati maculam, quae vere tolli debet per baptisma. — Difficultas est, quid sit eiusmodi macula, quae remanet in peccatore, et per quam, actu peccati praeterito, aliquis dicitur peccator, donec per poenitentiam iustificetur. Hac de re tres potissimum recensendae sunt Theologorum sententiae. *a*) *Scotus* et *Durandus* docent, maculam peccati nibil aliud esse, quam reatum, seu obligationem ad poenam, quatenus anima post actum peccati commissum manet obiectum irae Dei ad poenam debitam hominem destinantis. Ast haec sententia merito reiicitur. Nam ista ordinatio ad poenam sive activa, sive passiva est a Deo, bonum est enim iustitiae peccatorem puniri: macula autem non est a Deo. Imo si Deus statuisset, nullam poenam inferre peccatis, esset adhuc macula. Neque ideo quis est peccator, quia est dignus poena, sed contra est dignus poena, quia est peccator. Adducta Scoti et Durandi sententia, aperte damnata videtur a *Pio V*, *Gregorio XIII* et *Urbano VIII* in 56 propositione baiana, quae sic sonat: « In peccato duo sunt, actus et reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad poenam: » itaque admittendum est, maculam peccati praeter reatum poenae in anima manere. *b*) Iuxta *S. Thomam*, macula non est aliquid positivum, sed consistit in privatione quadam nitoris animae in ordine ad suam causam, quae est peccatum. Id explicat (1) S. Doctor, et (2) dicit: « Macula non est aliquid positive in anima, nec significat privationem solam, sed significat privationem quandam nitoris animae in ordine ad suam causam, quae est peccatum; et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt, et est simile de umbra, quae est privatio luminis ex obiecto alicuius corporis; et secundum diversitatem corporum obiectorum diversificantur umbrae. » Deinde (3) ostendit, cur et quamdiu macula maneat in anima, dicens: « Macula peccati remanet in anima etiam transeunte actu peccati, cuius ratio est, quia macula, sicut dictum est, importat quemdam defectum nitoris propter recessum a lumine rationis, vel divinae legis; et ideo quamdiu homo manet extra huiusmodi lumen, manet in eo macula peccati; sed postquam redit ad lumen rationis et ad lumen divinum, quod fit per gratiam, tunc macula cessat. Licet autem cesset actus peccati, quo homo discessit a lumine rationis, vel legis divinae, non tamen statim homo ad illud redit, in quo fuerat, sed requiritur aliquis motus voluntatis contrarius primo motui, sicut si aliquis sit distans alicui per aliquem motum, non statim cessante motu fit ei propinquus, sed oportet, quod appropinquet rediens per motum contrarium. » Iuxta hanc doctrinam, *Thomistae* communiter dicunt, quod macula peccati mortalis sit privatio nitoris gratiae, seu, quod idem est, ipsiusmet gratiae, connotans peccatum actuale praecedens, a quo causatur (4). Huic sententiae opponi solet, quod privatio nitoris gratiae, seu ipsius gratiae sanctificantis sit peccati poena, non ipsum peccatum; quod per primum mortale peccatum gratia sanctificans iam penitus amittatur, unde explicari nequit, qualis per subsequentia peccata macula producatur, et denique quod omnes mortaliter peccantes eadem specifice peccati macula forent inquinati, quia omnes totam gratiam san-

(1) 1 2, q. 86, a. 1. (2) Ad 3. (3) Art. 2.

(4) V. Billuart Tr. de pecc. Diss. 7, a. 2, § 2

ctificantem perdunt, et hac privati in tenebris esse dicendi sunt; unde similitudo de diversa pro varietate obiectorum umbra ad rem non esse videtur. — c) Ideo nonnulli cum *Martinez* dixerunt, maculam esse positivum *habitum*, seu inhaerentem ad malum vehementem inclinationem: ast perperam; nam habitus in sensu declarato repetitis actibus inducitur, culpae autem macula uno tantum. Alii cum *L'Herminier* putant, maculam esse qualitatem aliquam per peccatum productam, quae animae inhaeret; sed nova quaestio oritur, quaenam sit haec qualitas? et hanc citatus auctor haud explicat. Demum alii docent, maculam esse ipsam deformitatem voluntatis a Deo aversae et ad creaturas inordinate conversae, quae deformitas in anima manet, donec debitam rursus rectitudinem acquirat. Cl. *Berti* (1) hanc suam sententiam sequenti illustrat comparatione: « Rectum teneo bacillum, sed flexile, cuius pulcritudo est, rectissimum esse. Illud inflecto, ut a recto declinet; atque flexione ista quandam contrahit deformitatem ipsi inhaerentem, etiam dum flectentem manum retraxero. Possum illud facile ad priorem rectitudinem flexione opposita revocare. Si tamen semel atque iterum detorqueam, efficitur in bacillo pronitas quaedam ad curvitatem, ut vix in rectum dirigi valeat, et si dirigatur, iam summa facilitate denuo contorquetur. In quo exemplo laboriosum non est deprehendere, quale discrimen intersit inter flexionem manuum mearum, virgae curvitatem et facilem ad obliquum regressionem; flexio enim illa praeteriens actus est; curvitas persistens in bacillo deformitas; illa denique facilitas vitium actibus repetitis productum. — Humana itaque voluntas potest ad bonum atque ad malum a libero arbitrio inclinari. Eius honestas et decor est rectam esse, scilicet a lege aeterna nullatenus detorqueri. Dum pravo motu liberi arbitrii avertitur a summo bono, et ad fluxa bona convertitur, contorta redditur et difformis. Nequit ad formam nitoremque pristinum reduci, nisi sancta dilectione recta iterum fiat, et aversa a bonis commutabilibus conversa ad bonum incommutabile. Si tamen cupiditati obsequens, frequenter a summa aequitate declinet fruendo utendis, et creatis bonis amore inhaerendo, induit quandam perversitatis proclivitatem, ut facile in nequitiam recidat, postquam pio animi conatu recta evaserat. Atque haec Augustinianae doctrinae penitus cohaerere, arbitror ex dictis manifestissimum. Motus ergo ille liberi arbitrii inclinans voluntatem ad malum, est actus peccati; deformitas permanens in voluntate quoadusque iterum convertatur in summum bonum, est peccati macula et labes; facilitas illa magna et ad iniquitatem propensio est peccati habitus, seu peccandi consuetudo. Ita fit, ut praetereunte peccati actu persistat macula, et perseveret deleta macula habitus. » — Notandum est, quod etiam *S. Thomas* ab hac declaratione non dissentiat, quia ipse quoque maculam ab inordinata erga creaturas inclinatione repetit; nam (2) cum dixisset, maculam in spiritualibus dici ad instar maculae in corporalibus, quae oritur, si corpus nitidum ex contactu alterius corporis nitorem suum perdit, uti dum vestis oleo inficitur, postea ita pergit: « Est autem quasi quidam animae tactus, quando inhaeret aliquibus rebus per amorem: cum autem peccat, adhaeret rebus aliqui-

(1) Lib. 21, cap. 6.

(2) 1, 2, q. 86, art. 1.

bus contra lumen rationis et divinae legis: unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, macula animae metaphorice vocatur. »

3. Tristissima sunt alia quoque *spiritualia damna*, quae homini per peccatum mortale inferuntur. *Primo* enim opera bona et meritoria, quae homo in statu gratiae perfecerat, per subsequens lethale peccatum mortificantur, ita ut si impoenitens moriatur, nullam pro illis mercedem in altera vita obtinere possit. Id S. Scriptura clare docet, ubi dicitur: *Si conversus iustus a iustitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem... in peccato suo morietur, et non erunt in memoria iustitiae eius quas fecit* (1); et: *Si autem averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem... omnes iustitiae eius quas fecerat non recordabuntur* (2), id est, intuitu mercedis et aeternae gloriae tales erunt, ac si nunquam adfuissent. Ideo *Ss. Patres* frequenter deflent infelicitatem illius, qui post vitam bene peractam in lethale peccatum ruit, et sic omnia perdit. Communis est etiam Theologorum catholicorum doctrina, opera bona, in statu gratiae peracta, per peccatum lethale quoad meritum extingui et mortificata manere, donec per poenitentiam reviviscant. *Secundo* homo, per peccatum gratia sanctificante privatus, omnino incapax est ad opera bona in ordine supernaturali et meritoria pro vita aeterna perficienda. Id docet conceptis verbis Christus, dicens: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis* (3); nempe nisi per charitatem, seu gratiam sanctificantem mihi uniti fueritis. Ideo Paulus ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (4). Idem colligitur ex *Concilio Tridentino*, quod (5) docet, *nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam, promeretur*: ergo multo minus gloriam, quae est gratia consummata. Nunquam satis idcirco sancti Doctores calamitatem illius deplorare possunt, qui in statu peccati perseverat: ex iis, quae patitur, et ex iis, quae operatur, nil pro aeterna vita lucratur. *Tertio* propter peccatum mortale, praecipue si quis diu in isto perseveret, idem iteret, et vocationi, qua benignitas Dei ad poenitentiam eum adducit, resistat, frequenter gratiae actuales, quibus intellectus illuminatur, et voluntas ad bonum movetur, denegantur, seu subtrahuntur, ex quo fit, ut homo efficaci Dei auxilio destitutus facile tentationibus succumbat et in alia gravia peccata ruat. In hoc sensu peccatum dici solet poena alterius peccati. Non tamen Deus, quamvis ut Iudex poenas infligat, auctor peccati est; quoniam ipse non vult peccatum, nec istud aliquo modo positive causatur, sed ex iusto iudicio vult beneficii indebiti, scilicet gratiae denegationem, seu subtractionem, ex qua praeter, imo contra voluntatem divinam alia peccata sequuntur. Ita intelligi debent Ss. Litterae, Ss. Patres et Theologi, dum unum peccatum alterius poenam vocant, id solum indigitantes, quod ob peccata gravia actuales gratiae subtrahantur. Sic de Gentilibus, Deum non agnoscentibus et idola colentibus, dicitur: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria*

(1) Ezech. 3, 20. (2) Ibid 18, 24.
(3) Io. 15, 4. (4) 1 Cor. 13, 2, etc.
(5) Sess. 6, cap. 8.

cordis eorum in immunditiam (1): *propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae* (2): *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt* (3). II Thess.: *De iis qui pereunt*, eo *quod charitatem veritatis non receperunt*, dicitur: *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio* (4). *S. Basilius* (5) ait: « Saepenumero propter praecedentem in animo alicuius impietatem Deus loco supplicii ea fieri permittit, quae flagitiosissima sunt. » *S. Augustinus* (6) ait: « Quod desit adiutorium, sine quo in bono permanere non possunt, in poenam peccati esse, ac proinde iuste corripi et a Deo puniri: » et l. 5 c. Iulian. (7) scribit: « Cum dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur: a quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est: et fit ei peccatum consequens praecedentis poena peccati. » *S. Prosper* (8) haec habet: « Qui dicit, quod per potentiam Deus homines in peccata compellat, merito reprehenditur... Qui autem tam profundae impietatis sunt, ut extra remedium correctionis habeantur... non a Deo incrementa iniquitatis accipiunt, sed per semetipsos deteriores fiunt, quia relinqui a Deo... propter praecedentia peccata meruerunt, ut eis peccatum sit ipsa etiam poena peccati. » *S. Gregorius M.* (9) dicit: « Aliquando est simul peccatum, et poena peccati; quia ex crescente caecitate ex retributione prioris culpae generatur, ut quasi iam quaedam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. » *S. Thomas* (10) inquit: « Sunt causae inclinantes ad peccatum, passiones, tentationes diaboli et alia huiusmodi, quae quidem causae impediuntur per auxilium divinae gratiae, quae subtrahitur per peccatum; unde cum ipsa subtractio gratiae sit quaedam poena, et a Deo, ut supra (11) dictum est, sequitur, quod per accidens etiam peccatum, quod ex hoc sequitur, poena dicatur, et hoc modo loquitur Apostolus Rom. 1 » (Cf. § 242, Obi. IV).

4. Pro peccatis lethalibus graves etiam *poenae temporales* a Deo infligi solent. Has Deus frequenter in S. Scriptura peccatoribus minatur. Lev. XXVI, 15 etc. Deus ita loquitur: *Si spreveritis leges meas... visitabo vos velociter in egestate, et ardore, qui conficiat oculos vestros... corruetis coram hostibus vestris... dabo vobis coelum desuper sicut ferrum, et terram aeneam... non proferet terra germen, nec arbores poma praebebunt... immittam bestias agri, quae consumant vos, et pecora vestra... percutiam vos septies propter peccata vestra..... inducam super vos gladium ultorem foederis mei... mittam pestilentiam in medio vestri..... urbes vestras redigam in solitudinem* etc. (12). *Multa flagella peccatoris* (13). *Iustitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum* (14). *Malignitas evertet sedes potentum* (15). *Mors, sanguis, contentio, et rhomphaea, oppressiones, fames et contritio, et flagella super iniquos creata sunt, haec omnia et propter illos factus est cataclysmus* (16). *Malos male perdet* (17). *Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (18).

(1) Rom. 1, 24. (2) Ib. v. 26.
(3) Ib. v. 28. (4) 2, 10.
(5) Sent. mor. Reg. 11, c. 4.
(6) L. de corret. et grat. c. 10. (7) C. 3.
(8) Resp. ad Cap. Gallor. n. 11.
(9) Hom. 11. (10) 1 2, q. 87, art. 2.
(11) Q. 79, art. 3.
(12) Cf. Deut. 28, 15 etc. (13) Ps. 31, 10.
(14) Prov. 14, 34. (15) Sap. 5, 24.
(16) Eccli. 40, 10. (17) Matth. 21, 41.
(18) Rom. 2, 9.

— Tremendis hisce minis facta penitus respondent. Effectus enim et poena peccati fuit universalis aquarum exundatio, quae, excepta familia Noë, mortales omnes a facie terrae delevit (1), Sodomorum succensio (2), primogenitorum caedes in Aegypto (3), demersio Pharaonis in mari rubro (4). Eadem ex causa interfectos noscimus viginti duo millia hominum ex filiis Israël vitulo profanum cultum tribuentibus in deserto (5): murmurantem populum ignitis serpentibus afflictum (6); viginti quatuor millia de plebe fornicante cum Madianitis ore gladii percussos (7). Generatim Israëlitae, quotiescunque a lege divina recesserunt, iuxta Moysis vaticinium, graves poenas experti sunt (v. Th. gen. § 99 et seqq.). Etiam aliorum populorum calamitates peccatis actualibus adscribuntur, ut Chaldaeorum excidium (8), ruina Moabitarum (9), onus Syriae ac Idumaeae (10), contritio exercitus Sennacherib (11). — In N. T. Ierosolymorum eversio, et universae gentis iudaicae per totum orbem dispersio ac desolatio perpetuum monumentum manet, ostendens ad quantam miseriam temporalem homines propter peccata redigi possint. *Ss. Patres* etiam tum publicas suorum temporum calamitates, tum privatorum hominum aerumnas peccatis actualibus adscribere non dubitarunt, uti ex operibus *S. Basilii*, *S. Chrysostomi*, *S. Hieronymi*, *S. Augustini*, *Salviani* et *S. Bernardi* abunde colligitur.

5. Inter lugubres peccatorum actualium effectus merito etiam *conscientiae remorsus* recensentur. Hos post nefarium fratricidium expertus est *Cain* delicti sui memoria vehementer exagitatus, vagus et profugus in terra, nullibi requiem inveniens, et undique mortem sibi inferendam timens (12). Simile quid omnes experiuntur, qui per peccata sibi inimicum reddunt Omnipotentem. Nam, ait Iob IX, 4: *Quis restitit ei, et pacem habuit?* — Semper verificatur id, quod legitur: *non est pax impiis, dicit Dominus* (13). Et certe, impii timoris, et confusionis causam in proprio sinu circumferunt, *testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus* (14). Quanta vero sit remordentis conscientiae poena, *Ss. Patres* disertis verbis declarant. *S. Chrysostomus* (15) inquit: « Ita se habet peccatum, ut priusquam fiat et ad opus perveniat, obtenebret et decipiat mentem: postquam autem consummatum fuerit, manifeste nobis suam absurditatem proferat et ostendat. Unde brevis illa et absurda voluptas continuum menti dolorem inserit conscientiaeque fiduciam aufert, atque illum, qui succubuerit, confusione perfundit. » *S. Ambrosius* (16) quaerit: « Quae poena gravior, quam interioris vulnus conscientiae? et (17) scribit: Gravior adversarius nobis culpa est nostra, quae sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat laetos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis adstringimur, sine venditore venditamur. » *S. Gregorius M.* (18) dicit: « Inter multiplices animae tribulationes et innumerabiles afflictionum molestias, nulla maior est, quam conscientia delictorum. » *S. Isidorus* (19): « Nulla poena gravior mala conscien-

(1) Gen. 6 et 7. (2) Gen. 19. (3) Ex. 12. (4) Ex. 14. (5) Ex. 32. (6) Num. 21. (7) Ib. 25. (8) Is. 13. (9) Is. 15. (10) Is. 23, et 34. (11) Is. 37.

(12) Gen. 4. (13) Is. 48, 22. (14) Rom. 2, 15. (15) Hom. 20 in Gen. c. 4. (16) In Ps. 7. (17) In Ps 37. (18) Ap. Segneri Quadr. Praed. 24. (19) Ib

ia. » *S. Bernardus* (1): «Nulla poena maior mala conscientia.» Etiam inter Ethnicos fuerunt, qui hoc idem cognoverunt et confessi sunt. *Plautus* (2) exclamavit: «Nihil est miserius, quam animus criminis conscius.» — *M. T. Cicero* (3) asserit, furias non meras fabulas esse, sed in impiis vere inveniri qui animi male conscii perturbationibus agitantur, nam: « hae sunt impiis assiduae, domesticaeque furiae. » *Seneca* (4) scribit: « Prima et maxima est poena peccantium peccasse. »

6. Gravissimae poenae peccatoribus *in altera vita* infliguntur. Duplex ipsos ibi dirissima poena expectat, *poena damni* et *poena sensus*. Illa consistit in privatione visionis Dei caeterorumque bonorum omnium, quae coelestem beatitatem constituunt. Poena sensus ea est, qua per ignem aeternum aliosque sensibiles cruciatus in inferno torquebuntur animae simulque corpora damnatorum. De utraque poena S. Scriptura nos certos reddit. Paulus inquit: *Iniqui regnum Dei non possidebunt* (5) etc. Similiter, cum mortalia peccata enumerasset, adiungit: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (6). Matth. XIII, 49 etc. legitur: *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium*. In extremo iudicio Deus reprobis dicet: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius* (7); *Et ibunt hi in supplicium aeternum* (8). — Sed de his poenis peccatorum aeternis, uti etiam de spiritualibus peccati damnis alibi fusior sermo erit instituendus.

Nota 1. Peccatum veniale tam funestos effectus sicut mortale non producit. Illud enim, ut probatum est § 239 - § 241, gratiam sanctificantem non tollit, seu charitatem habitualem non extinguit, quia peccans venialiter a fine suo ultimo, qui Deus est, non avertitur; peccans autem mortaliter finem suum ultimum in creatura reponit: propterea *S. Thomas* (9) dicit: « Peccatum veniale habet deformitatem per hoc, quod importat deordinationem circa ea, quae sunt ad finem, peccatum autem mortale habet deformitatem per hoc, quod importat deordinationem respectu ultimi finis. » Ex hoc principio S. Doctor (10) concludit, peccata venialia, quamvis multiplicentur, per se tamen non constituere peccatum mortale. Quod enim est inferioris ordinis, quantumvis augeatur intra suum ordinem, non potest attingere ad id, quod est superioris ordinis; sic quantumvis perficiatur argentum in suo ordine, non potest attingere naturam auri: atqui actus venialis est inferioris ordinis in esse moris ad peccatum mortale, istud enim est aversivum ab ultimo fine, non illud: ergo idem numero manens in esse moris, non potest fieri mortale. Haec veritas illustrari potest exemplo duorum hominum, qui propositum concipiunt peregrinandi ad limina Apostolorum: qui, mutato consilio, Constantinopolim pergit, exhibet mortaliter peccantem; qui autem saepius quidem in via sistit, aut leviter a via deflectit, sed tamen semper Romam pergendi intentionem retinet, repraesentat venialiter peccantem; et sicut hic propter breves moras, aut leviores deflexiones a fine suo non deficit,

(1) Ap. Segneri Quadr. Praed. 24.
(2) Ap. eundem. (3) Pro Sexto Roscio.
(4) Ep. 9. c. 7. (5) 1 Cor. 6. 9.

(6) Gal. 5, 21. (7) Matth. 25, 41.
(8) Ib. v. 46. (9) 1 2, q. 88, a. 5.
(10) Ibid. a. 4 et q. 7. de malo a. 3.

ita homo uti non per primum, non per secundum, non per tertium, ita nec per subsequentia peccata venialia a fine suo ultimo aberrat, et ideo nec gratia sanctificante, seu charitate privatur, nec reatum poenae aeternae incurrit, quae in infinitum distat a poena temporali, quam meretur peccatum veniale. Idem Ecclesiae auctoritate confirmatur; nam Ecclesia docet, necessario confitenda esse omnia mortalia peccata, non venialia, etiamsi multiplicata: alioquin cum nescitur, quousque debeant esse multiplicata, ut faciant unum mortale, statim ac quis plura commisisset, teneretur in dubio confiteri, quod est falsum et contra praxin Ecclesiae. Imo, cum in c. *Tres sunt* de poenit. dist. 1, in glossa diceretur, peccata venialia multiplicata constituere mortale, haec glossa auctoritate pontificia deleta est tanquam erronea (1). — Ideo tamen non negatur, peccata venialia fieri posse mortalia, si versentur circa materiam, quae simul coniungitur, et per repetitos actus ad talem quantitatem pervenit, ut constituat peccatum mortale, quod fit in furtis minutis multiplicatis: eodem modo peccatum ex genere suo veniale ex aliis rationibus, aut circumstantiis mortale fieri potest, quod ostenditur in Theologia morali. Certum porro est, peccata venialia etiam per se tristes effectus producere. Quamvis enim peccatum veniale nitorem gratiae non auferat, nec in sensu stricto in anima maculam producat, tamen, ut ait *S. Thomas* (2), « dicitur maculam inducere in quantum impedit nitorem, qui est ex actibus virtutum. » Praeterea peccatum veniale charitatis fervorem minuit, inordinatas passiones nutrit et auget, speciales gratias favoresque divinos animae subtrahit, et sic hominem ad peccatum mortale disponit. Ideo dicitur: *Qui spernit modica, paullatim decidet* (3). Ex eadem ratione Ss. Patres fugam peccatorum venialium fidelibus inculcant, ne in gravia peccata praecipitentur. Nam, ait *S. Augustinus* (4): « Quodlibet peccatum veniale spiritualem animae vigorem debilitat. » *S. Gregorius* (5) inquit: « Si parva peccata vitare negligimus, insensibiliter seducti sensim maiora perpetramus » (Cf. § 241, n. 1 et Obi. 4ª). — Etiam poenas temporales pro peccatis venialibus infligi, colligitur ex verbis Christi: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii* (6); non autem esset ratio reddenda, nisi etiam esset poena infligenda. S. Scriptura idem etiam per exempla commonstrat; iuxta communem enim sententiam, uxor Lothi et Bethsamitae per curiositatem, Moyses per diffidentiam, Oza arcam sustentans, Ezechias thesauros ostendens etc., peccata venialia commiserunt, pro quibus autem graves poenae temporales a Deo inflictae sunt. Denique animae peccatis venialibus in egressu ex hoc mundo inquinatae diris purgatorii poenis afficiuntur, donec ab omni labe mundatae coelestis gloriae participes fiant: qua de re alibi sermo recurret.

Nota 2. Per peccatum mortale charitatem extingui, Catholici fatentur. *Lutherus* autem et *Calvinus* contenderunt, non solam charitatem, sed etiam fidem ac spem per mortale peccatum amitti, et ideo distinctionem fidei formatae et informis deriserunt. Cum iisdem etiam consensit *Quesnellus*. Ast falsitas huius sententiae

(1) V. Billuart de peccat. diss. 8, a. 3.
(2) 1 2, q. 89, a. 1.
(3) Eccli. 19.
(4) Ser. 144, de temp.
(5) L. 10 Mor. c. 14.
(6) Matth. 12, 36.

iam ex eo patet, quia iuxta clara Scripturae testimonia in Ecclesia etiam peccatores dantur (Th. generalis § 279); qui autem fidem amittunt membra Ecclesiae esse desinunt (ib. § 280). Io. XII, 42 legitur: *Ex principibus multi crediderunt in eum* (Christum); *sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* I Cor. XIII, 2 Paulus dicit: *Si habuero fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Iac. II, 14: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* — Ergo fides consistere potest seiuncta a charitate. Hinc *Concilium Tridentinum* (1) ait: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* — Etiam spes per peccatum mortale non sicut charitas amittitur. Nam dicitur: *Fili! peccasti? non adiicias iterum: sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur* (2). Ergo spes non amittitur per quodlibet peccatum, alias peccator non posset rogare Deum, ut remittat sibi peccata, siquidem de venia obtinenda desperaret. Exemplum spei in peccatore proponit S. Scriptura de Manasse, *qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, et egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente: et exaudivit orationem eius* (3) etc. Spem in peccatoribus ut dispositionem ad poenitentiam agnoscunt Ss. Patres: *Clemens Alex.* (4) ait: « Fides est prima ad salutem inclinatio, postea timor et spes et poenitentia. » *S. Augustinus* (5) inquit: « Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. » *Clemens XI* (6) damnavit sequentes Quesnelli propositiones: 57: « Totum deest peccatori quando deest spes; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. 58: Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas. »

Nota. 3. Pro salutari monito merito hic referuntur verba Eccli. XXI, 2. — *Quasi a facie colubri fuge peccata: et si accesseris ad illa suscipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum.* Ut divina haec admonitio sedulo observetur, funesti peccatorum tum mortalium, tum venialium effectus serio considerandi, et a Sacerdotibus populo frequenter proponendi sunt. Nullum damnum, nullum dolorem, nullam persecutionem ita pertimescere oportet, ut peccatum: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* (7)?

(1) Sess. 6, can. 28. (2) Eccli. 21, 1.
(3) 2 Par. 33, 12-13. (4) L. 2 Strom.
(5) Ser. 27. (al. 20) de verbis Apost.
(6) In Bulla Unigenitus.
(7) Matth. 16. 26

SECTIO II.

DE PROVIDENTIA DIVINA

Nexus et momentum doctrinae.

§ 244. 1. Deus omnia, quae contingenter existunt, ex nihilo et in tempore creavit. Haec autem rerum universitas iam ferme per sex annorum millia subsistit, variis praecipue ex parte creaturarum rationalium, Angelorum et hominum, vicissitudinibus subiecta. Quaeritur ergo, quaenam sit Dei relatio ad mundum per tot iam saecula perdurantem? Cui quaestioni ei Revelatio et ratio re-

spondent, Deum totius Universi non solum creatorem, sed et providum conservatorem et gubernatorem esse. Nam, ait *Theodoretus* (1), « absurdissimum foret, creasse quidem illum omnia dicere...eorum autem quae fecit, nullam curam gerere et creaturam negligere. » Similiter *Salvianus* (2) inquit: « Quid tam furiosum est, quam ut aliquis, cum Deum creatorem omnium non neget, gubernatorem neget, et cum factorem esse fateatur, dicat negligere quae fecit?— quasi vero haec ei faciendorum omnium cura fuerit, ut negligeret, quae fecisset... cum in ipso humano genere nullus sit fermo hominum tam hebes, qui ad hoc aliquid agat, atque perficiat, ut perfecta non curet. » Itaque dogmata de creatione et providentia divina tam arcte inter se connexa sunt, ut alterum sine altero demonstrari nequeat. Quicunque credit, Deum creasse, etiam credat necesse est, Deum providere; et qui vicissim credit, Deum providere, eum quoque credere oportet, Deum creasse.

2. Quantum intersit hominis divinam providentiam prope cognoscere, et quam arcte haec cum Religione et vitae honestate cohaereat, pulcre admodum explicat *M. T. Cicero*, cuius verba christiano homine digna hic integra referimus; ait nempe(3): « Sunt Philosohi, et fueruut, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem deos; quorum si vera senteutia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? Haec enim omnia pure, ac caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Si autem dii nec possunt nos iuvare, nec volunt, nec omnino curant, nec quid agamus animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit; quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul et sanctitatem et religionem tolli necesse est, quibus sublatis, perturbatio vitae sequitur et magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas generis humani, et una excellentissima virtus iustitia tollatur. » Hoc idem confirmat *S. Augustinus*, qui (4) scribit: « Si non praesidet divina providentia rebus humanis, nihil est de religione satagendum. » Et sane - sublata providentia divina, nullae pro peccatis poenae timendae, nulla pro virtutibus praemia speranda sunt, incassum Deus colitur, inutiliter preces funduntur, nulla in tribulationibus consolatio haberi, nullum supernum auxilium obtineri potest, et sic ab infelici genere humano omnis religio, omnis moralitas, omnis securitas, omnis spes et animi tranquillitas aufertur. Ex quibus abunde patet, quanti momenti sit doctrina de providentia divina, quae idcirco cum magna sedulitate 1° *in tractatione dogmatica* declaranda et probanda, et 2° *in tractatione polemica* contra adversariorum obiectiones et calumnias defendenda est.

CAPUT I.

TRACTATIO DOGMATICA DE PROVIDENTIA DIVINA

§ 245. Cum praecipua Theologiae dogmaticae munera sint, veritates fidei explicare et comprobare; dicen-

(1) De haeret. fab. l. 5, a. 10.
(2) L. 4 de Gubern. n. 9.

(3) L. 1 de nat. deor. § 1.
(4) L. de utilitate credendi c. 16.

dorum ratio postulat, ut 1° *divinae providentiae recta notio* evolvatur, 2° *eiusdem existentia* comprobetur, ac praeterea in specie de eiusdem partibus, seu actibus, quibus, iuxta nostrum concipiendi modum, absolvitur, nimirum 3° *de rerum creatarum Conservatione*, et 4° *Gubernatione* disseratur.

ARTICULUS I.

Divinae providentiae notio.

§ 246. Ut quis rectam sibi divinae providentiae notionem comparet, non sufficit, ut genuinam *eiusdem definitionem* sciat, sed omnino opus est, ut ipsius quoque *attributa*, seu *praerogativas* probe cognoscat, ex quibus regulae desumendae sunt, in divinae providentiae consideratione, explicatione et defensione caute observandae.

I. *Definitio providentiae divinae.*

§ 247. 1. Providentia, si vocis etymon spectetur, iuxta aliquos idem sonat ac *praevidentia*, seu antecedens futuri cognitio; et hoc sensu providentia Dei ab eius praescientia non distinguitur, de qua iam actum est; iuxta alios vero providentia significat *visionem*, quae velut ab excelso rerum cacumine cuncta prospicit, aut habitam a longe rerum cognitionem. Sic *Boëtius* (1): « Providentiam » appellari vult non quasi « praevidentiam, » sed « quod porro a rebus infimis constituta quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. » Satis porro manifestum est, nomen providentiae etiam in hac significatione non satis accurate de Deo enuntiari, qui non eminus, seu a longe omnia prospicit, sed immensus cunctisque rebus intime praesens est. Quamobrem dum de providentia divina agitur, non tam ad vocis etymologiam, quam potius ad ipsam rem, quae per vocem designatur, attendendum est.

2. Providentia divina, de qua hic agendum est, ita describitur a *Boëtio* (2): « Providentia est ipsa illa divina ratio in summo omnium principe constituta, quae cuncta disponit...... quae cum in ipsa divinae intelligentiae puritate conspicitur, *providentia* nominatur; cum vero ad ea, quae movet, atque disponit, refertur, *fatum* a veteribus appellatum est, ut sit fatum inhaerens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quaeque nectit ordinibus. » Ex hac providentiae divinae descriptione constat, eam duo amplecti, scilicet rerum omnium ordinem, seu dispositionem in mente divina, atque ordinis illius, seu dispositionis certam in tempore executionem. – Cum hac declaratione concordat *S. Thomas*, iuxta quem (3) providentia est « ratio ordinis rerum in finem in mente divina existens. » Idem autem (4) distinguens actum divinum et huius actus effectum, dicit: « Ad curam duo pertinent, scilicet ratio ordinis, quae dicitur providentia; et dispositio et executio ordinis, quae dicitur gubernatio: quorum primum est aeternum, secundum temporale. » Abstinet S. Doctor a vocabulo *fati*, per quod multi non liberam Dei operationem, sed ineluctabilem necessitatem, et quidem talem intellexerunt, cui etiam divinae actiones subiectae sint. — Breviter providentia divina definiri potest: cura Dei de rebus creatis, aut cum *Seneca* (5): « aeterna ars cuncta temperantis Dei. » Fusior autem definitio haec a recentioribus Theologis exhibetur: Providentia divina est continua ac omni-

(1) L. 5 de Consol. prosa 6.
(2) L. 4 de Consol. prosa 6.
(3) I, q. 22, art. 1.
(4) Ibidem ad 2.
(5) Ep. 71, n. 18.

potens Dei actio, quae mundum universum et singula, quae in eo sunt, conservat atque sapienter, secundum uniuscuiusque naturae et status convenientiam, curat et regit ad ipsorum bonum nominisque sui gloriam (1).

3. Recta divinae providentiae notio in Deo tum intellectus, tum voluntatis actum supponit. Necesse enim est, ut intellectus non solum res intueatur, sed etiam finem, in quem ordinantur, cognoscat, et media sciat, per quae ad finem dirigantur: praeterea autem etiam requiritur, ut voluntas finem praefigere et apta ad hunc promovendum media applicare decernat. Hunc duplicem actum innuit *S. Cyrillus Alex.* (2), dum Deum appellat « inspectorem universorum et curatorem. » Et in sexta Synodo in Epistola ad Agathonem Constantinus Pogonatus dicit: « Ipse (Deus) novit futura, et sic quae nobis conducibilia sunt, pro bona sua voluntate perficit. » Equidem *Hugo Victorinus* tria ad providentiam divinam pertinere dicit, nimirum « intellectum dirigentem, voluntatem imperantem et potentiam exequentem. » Sed cum potentia exequens non sit nisi ipsa voluntas omnipotens, recte ad duos actus providentia divina restringitur, sicuti generatim Deus omnia per intellectum et voluntatem operari dicitur. Istos duos actus etiam *S. Thomas* in providentia divina agnoscit; scribit enim (3): « Providentia est in intellectu, sed praesupponit voluntatem finis. Nullus enim praecipit de agendis propter finem, nisi velit finem. » Ipse Christus cum de Dei Patris sui providentia sermonem haberet, eamque Apostolis suis commendaret, duo illa clare expressit, scilicet actum intellectus, seu scientiam, dicens: *Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis* (4), et actum voluntatis, seu bonitatem, cum dixit: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester coelestis dabit spiritum bonum petentibus se* (5)?

(1) Cf. Klüpfel l. 1, § 89.
(2) L. 10 in Io. (3) 1, q. 22, a. 1 ad 3.

II. *Attributa providentiae divinae.*

§ 248. Homines, de aliis curam gerentes eosque gubernantes, multis arduisque laboribus occupantur, et non paucas leges ac regulas observare tenentur, a quibus deflectentes imprudenter, aut etiam male agere convincuntur: imo quamvis cum magna diligentia et rectitudine procedant, nihilominus hinciude finem, quem intendunt, non assequuntur, et felici negotiorum suorum successu orbantur. — Nimis porro facile contingit, ut notiones, quae de humana providentia in mente versantur, saltem ex parte ad divinam quoque transferantur, et ut tali modo rectus huiusce conceptus obscuretur et perturbetur. Magni proinde momenti est, ut sedulo perpendamus, quantum divina providentia ab humana distet: id vero adsequimur, providentiae divinae, quae est actus intelligentiae volentisque Dei, *attributa*, seu *praerogativas* attente considerantes.

1. Divina providentia *in uno simplicissimo actu* consistit, quem cum nos uno obtutu perspicere non valeamus, eundem in multiplices actus mente nostra dispescimus, et quasi per partes consideramus. Etiam duo actus superius indigitati, scilicet actus intellectus et actus voluntatis in Deo non realiter, sed virtualiter distinguuntur: quamobrem *S. Thomas* cum dixisset (6), providentiam esse in intellectu et praesupponere voluntatem finis, post pauca subiungit:

(4) Matth. 6, 32. (5) Luc 11, 13.
(6) 1, q. 22, art. 1 ad 3.

« Et tamen si providentia ex aequali respiceret voluntatem et intellectum divinum, hoc esset absque detrimento divinae simplicitatis, cum voluntas et intellectus in Deo sint idem, ut supra dictum est »(1). — Eodem modo nos quidem actum creationis, actum conservationis et actum gubernationis distinguimus; sed in Deo isti actus realiter non distinguuntur, sed sunt unus simplicissimus actus. Cum enim Deus ita tempori non sit subiectus, ut ne duo quidem momenta in ipso distingui queant, etiam actus sibi invicem succedentes in illo cogitari non possunt. Praefata ergo actuum distinctio petitur ab obiectis, seu a creaturis, quae aut esse incipiunt, aut existentiam suam continuant, aut ad fines suos diriguntur: haec vero omnia Deus uno, simplicissimo et simultaneo actu perficit.

2. **Divina providentia** *liberrima, et omnino independens est.* Homines enim saepe ad curam de aliis habendam obligantur; Deum autem quis ad exercendam providentiam suam obligavit? *aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei* (2)? — Certe sicut Deus liberrimus fuit in rerum contingentium creatione, ita et liberrimus est in earundem conservatione et gubernatione. Neque Deus, utpote ens a se, primum et independens legibus, aut regulis subest, quas in exercenda providentia sua observare teneatur; sed ipsemet creaturis leges imponit, quae non aliunde bonae, sanctae et iustae sint, nisi quia liberrima voluntas divina illas statuere decrevit. Itaque minus solide in declaranda et vindicanda divina providentia procedunt, qui imprimis summas et aeternas leges (e. g. legem parsimoniae, seu minimi medii, legem continuitatis etc.) (3) statuunt, quas divina sapientia utpote sibi consonans observare teneatur; et qui deinde, Deum has leges in mundi gubernatione actu observare, laboriosa indagine ostendere conantur. Tota istiusmodi argumentationis vis infringitur, si iuxta rectae rationis principia adseveratur, divinam sapientiam legi, quam ipsamet naturae praescripsit, subiectam esse non posse.

3. Divina providentia *efficacissima* et *omnipotens* est, quia ad omnes prorsus creaturas spirituales et materiales, maximas et minimas extenditur, universasque absque temporis et laboris dispendio conservat et gubernat. Recte igitur de Deo provido dicitur, quod de Deo creante scriptum est: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (4); uno nempe et simplicissimo divini intellectus et voluntatis actu sicuti creatio, ita et conservatio et gubernatio perficitur. Neque de summa divinae providentiae efficacia dubitari potest, cum Deus ipse dicat: *Omnis voluntas mea fiet* (5); et Rom. IX, 19 scriptum sit: *Voluntati eius quis resistet?* — Deus praeterea, ut effectum in mundo producat, et creaturas ad finem iisdem praefixum perducat, nullatenus causis intermediis indiget, sed has, quas liberrime eligit, ipsemet idoneas et efficaces reddit. Imo non raro fit, ut Deus ad omnipotentiam suam ostendendam per media, quae limitatae hominum menti infirma, inepta, aut etiam contraria videntur, maximos stupendosque effectus producat; sicut Paulus dicit: ***Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi,*** *et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non*

(1) I. q. 19, art. 1 et 3. (2) Rom. 11, 35.
(3) V. Ant. Rosmini Theodicaea Lib. 3.

(4) Ps. 148, 5. (5) Is. 46, 10.

sunt, ut ea, quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius (1).

4. Ex providentia divina praesertim *infinita Dei sapientia* resplendet. Hanc profecto non satis admirari possumus tum nobilissimum finem perpendentes, toti Universo praefixum (§ 141), tum efficacissima media considerantes, quibus finis ille totalis ubique obtinetur, ita, ut etiam ipsi inimici Dei, quamvis inviti, luendo poenas gloriam divinam promovere cogantur. Singulae quoque creaturae sapientissime a Deo ad fines suos partiales diriguntur: et si isti quandoque non obtineantur, iterum laudanda est Dei gubernantis sapientia, quae ignobiliorem finem negligit ad nobiliorem promovendum. Merito igitur, providentiam divinam considerantes, cum Propheta regio incessanter exclamamus: *Magnus Dominus noster, et magna virtus eius; et sapientiae eius non est numerus* (2).

5. Providentia divina simul *iustissima* et *benignissima* est praedicenda. Iustitiam suam Deus gubernans manifestat, dum peccata punit et actus bonos remunerat: misericordiam suam ostendit, dum peccatores tolerat, ad poenitentiam vocat, iisque delicta condonat: imo immensam bonitatem exerit, dum creaturis suis, praecipue rationalibus, indebita dona tum naturalia tum supernaturalia larga manu impertit. Imo S. *Thomas* (3) docet, in omnibus operibus Dei esse misericordiam et iustitiam. Deus enim, ait, « quidquid in rebus creatis facit, secundum convenientem ordinem et proportionem facit, in quo consistit ratio iustitiae. Et sic oportet in omni opere Dei esse iustitiam. Opus autem iustitiae, semper praesupponit opus misericordiae, et in eo fundatur; » quia in qualibet creatura aliquid invenitur, quod ei indebite est concessum. « Et sic in quolibet opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicem eius. Cuius virtus salvatur in omnibus consequentibus, et etiam vehementius in eis operatur, sicut causa primaria vehementius influit quam causa secunda. Et propter hoc etiam ea, quae alicui creaturae debentur, Deus ex abundantia suae bonitatis largius dispensat, quam exigat proportio rei. Minus enim est, quod sufficeret ad conservandum ordinem iustitiae, quam quod divina bonitas confert, quae omnem proportionem creaturae excedit. » Dein (4), solvens propositam sibi ex damnatione reproborum, et ex iustificatione impiorum obiectionem, ita disserit: « Quaedam opera attribuuntur iustitiae; et quaedam misericordiae, quia in quibusdam vehementius apparet iustitia, in quibusdam misericordia. Et tamen in damnatione reproborum apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum. Et in iustificatione impii apparet iustitia, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit. » Et sane cum omnia, quae Deus efficit, ad finem totalem referantur, et efficax voluntas Dei tum ipsa iustitia, tum ipsa bonitas sit, facile intelligitur, in cunctis Dei operibus iustitiam et misericordiam inveniri: unde legitur: *Universae viae Domini misericordia, et veritas* (5). (Cf. § 52).

6. Providentia divina mente nostra limitata longe excelsior, et *incomprehensibilis* est. Multa quidem in hac rerum universitate fieri con-

(1) 1 Cor. 1, 27 etc.
(2) Ps. 146, 5.
(3) 1. q. 21, art. 4.
(4) Ad 1.
(5) Ps. 24, 10.

spicimus, ex quibus Dei gubernantis sapientiam, iustitiam et bonitatem luculentissime cognoscimus, ita ut rectissime dicatur: *Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus et divinitas* (1). Ast quia neque consilia Dei perscrutari, neque integrum rerum creatarum nexum et ordinem perspicere, neque generatim supremi et infiniti Numinis operationes comprehendere possumus; necessario contingit, ut persaepe nobis satis manifestum non sit, *quomodo* Deus in creatarum rerum, ac praecipue in rationalium entium gubernatione, sapienter, iuste ac misericorditer procedat, et ut proinde providentia divina finitum nostrum intellectum excedens, et incomprehensibilis recte dicatur. — Veritatem istam frequenter *Ss. Patres* inculcant. *S. Gregorius Naz.* (2) asserit, dum a nobis divina providentia carpitur, defectum non in divina rerum creatarum gubernatione, sed imbecilli nostra in mente inveniri; ait enim, congrua similitudine utens: « Nos similes nauseantium sumus, et vertigine laborantium, qui inverti, ac moveri omnia putant, cum ipsimet invertantur. » *S. Chrysostomus* (3) inquit: « Si hominis artificium homo imperitus assequi minime potest, multo magis impossibile est, ut immensam Dei providentiam intelligat mens humana. » Idem (4) temeritatis arguit eos, qui curiosius inquirunt, « quare hoc? ad quid hoc? unumquodque enim utile est, etsi nos rationem ignoremus, » et cum dixisset (5), prospera et adversa esse a Deo, subiungit: « ambo enim Deus utiliter fecit, et haec quidem revelavit, illa vero abscondit tuae consulens saluti... Non fecit quippe omnia incognita, ne dicas esse mundum sine providentia: non permisit vero tibi cognita esse omnia, ne cognitionis magnitudo te in superbiam extollat. » *S. Paulinus*(6) scribit: « Si quae sunt in arcanis statutorum eius (Dei) altiora sensibus et cogitationibus nostris, etiam si rationem eorum consequi et colligere non possumus, tutius tamen nobis est, magis occultas esse rationes, quam nullas credere. Quia non ambigendum, omnia Dei opera, etsi nobis non sint perspicua, tamen esse consulta. » *Titus Bostrensis* apud *S. Ioannem Damascenum* (7) ita disserit: « Non oportebat, ut videtur, pervia omnibus esse divinorum operum argumenta; neque sermone ac comprehensione omni maiorem mentem penitus esse manifestam hominibus: quandoquidem Regis etiam hominis, et magistratus interdum pleraque sunt occulta consilia adeo, ut quod geritur, obscurum sit qua ratione geratur. Quocirca mirum non est, si homines non omnino capiunt rationem divinae administrationis, quibus conveniens est absque ulla curiositate cedere ac quiete sese continere, nec inexplicabili gubernationi illi resistere. » *Nemesius* (8) de providentia disserens, scribit: « Si consentaneam unicuique in re qualibet, et propriam oportet illam esse; est autem infinita particularium differentia; erit etiam infinita congruentis illius providentiae ratio. Si infinita est, nobis erit ignota. Quamobrem par non est, nostram inscitiam ad rerum curae ac providentiae subversionem transferre. » Quotiescumque ergo intelligere non valemus, cur Deus ali-

(1) Rom. 1, 20. (2) Orat. 16.
(3) Serm. daemones non gubern. mund. n. 5.
(4) Hom. 12 ad Antioch. de stat.
(5) N. 3. (6) Ep. ad Silvium, n. 3.
(7) In Eclogis lil. K. Tit. 22.
(8) L. de nat. hom. c. 44.

quid faciat, aut permittat, cum Apostolo exclamare debemus: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius*(1)!

ARTICULUS II.

Providentiae divinae existentia.

§ 249. Providentiam divinam vere existere, seu Deum de omnibus, quae in mundo spirituali et materiali extant, sive magna, sive parva illa sint, curam gerere, talis veritas est, quae etiam per rationem cognosci et probari potest, sed multo luculentius per divinam Revelationem nobis manifestatur. Idcirco eandem *argumentis biblicis*, *ecclesiasticis*, et *philosophicis* comprobamus.

1. *Argumenta biblica.*

§ 250. 1. S. Scriptura V. et N. T. clarissimis et gravissimis sententiis divinam providentiam adstruit, quae de omnibus curam gerit. Ps. CII, 19 dicitur: *Dominus in coelo paravit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur;* ideo etiam omnes creaturae ad laudandum Deum excitantur; *Benedicite Domino omnia opera eius; in omni loco dominationis eius* (2); omnia ergo dominationi, curae et regimini Dei subiiciuntur. *Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius* (3); *Regnum tuum regnum omnium saeculorum: et dominatio tua in omni generatione, et generationem. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (4); quibus verbis dominationis seu providentiae divinae sicut amplitudo, et maiestas, ita et suavitas, iustitia, et sanctitas exhibetur. Hanc agnoscens pia Iudith ita ad Deum precatur: *Tu fecisti priora, et illa post illa cogitasti: et hoc factum est, quod ipse voluisti. Omnes enim viae tuae paratae sunt, et tua iudicia in tua providentia posuisti* (5). Prov. XV, 3 legitur: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos;* in quae verba *Salvianus* (6) dicit: « Ecce habes praesentem, ecce intuentem, ecce in omni loco cura ac provisione vigilantem. Idcirco enim et bonos ab eo considerari et malos dixit, ut probaret scilicet nihil ab eo negligi, quem ostenderet universa rimari. » Ecclesiastae V, 5, quanta sit impietas divinam providentiam negantis ostenditur his verbis: *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam: neque dicas coram angelo: non est providentia; ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* — In libro Sapientiae luculentissima divinae providentiae testimonia habentur: *Pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter illi cura est de omnibus* (7). *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* (8); negari autem non potest, eum de omnibus curam gerere, qui omnium mensuram, numerum et pondus determinat: ideo *S. Augustinus* (9) inquit: « Nos Catholici Christiani Deum colimus, a quo omnia bona sunt seu magna, seu parva; a quo est omnis modus, seu magnus, seu parvus; a quo omnis species, seu magna, seu parva; a quo omnis ordo, seu magnus, seu parvus; » et *S. Bonaventura*(10) in citatum locum ita disserit: « Per hoc quod additur: in certo *pondere*, *numero*, *et mensura*, ostenditur, quod creatura est effectus Trinitatis creantis, sub triplici genere causalitatis: efficientis,

(1) Rom. 11, 33. (2) Ib. v. 22.
(3) Ps. 144, 9. (4) Ib. v. 13 et seq.
(5) C. 9, 45 (6) L. 2 de Gubern. Dei n. 1.
(7) Sap. 6, 8. (8) Ib. 11, 21.
(9) L. de natura boni c. Manich. c. 3.
(10) Breviloq. P. 2, c. 1.

a quo est in creatura unitas, modus et mensura; exemplaris, a quo est in creatura veritas, species et numerus; finalis, a quo est in creatura bonitas, ordo et pondus. » Ibidem legitur: *Tanquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram. Sed misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia quae sunt: et nihil odisti eorum, quae fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti* (1). Quod si Deus omnia diligit, ergo etiam omnibus providet: diligere enim in Deo idem est ac benefacere, seu bona tribuere (§ 40, n. 1). Sap. XII, 13 dicitur: *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.* — Eccli. I,8: Sicut creatio, ita et providentia Deo adscribitur his verbis: *Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus.* Ibid. legitur: *In unamquamque gentem praeposuit rectorem: et pars Dei Israël facta est manifesta. Et omnia opera illorum, velut sol in conspectu Dei: et oculi eius sine intermissione inspicientes in viis eorum. Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei*(2).-Prophetae extraordinario modo missi, supernaturali virtute praediti, hominibus mandata, consilia et iudicia Dei annuntiantes maxime conspicui, sunt divinae providentiae testes. Passim in eorundem libris eventus omnes non solum prosperi, sed et adversi, ut grandines, fulgura, agrorum sterilitas, morbi, bella, etc., Deo operanti adscribuntur, sine cuius voluntate et ordinatione nihil in orbe terrarum contingere potest. Sic dicitur: *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum: ego Dominus faciens omnia haec*(3). Amos quaerit: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* (4). — Daniel inquit: *Sit nomen Domini benedictum a saeculo et usque in saeculum: quia sapientia et fortitudo eius sunt. Et ipse mutat tempora et aetates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam* (5).

2. In N. T. providentia divina clarissime praedicatur. Cristus ait: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (6); quibus verbis ait S. *Augustinus* (7): «Dominus continuationem quamdam operis eius, qua universam creaturam continet, atque administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi, si diceret, *et nunc operatur*, ubi non esset necesse, ut operis continuationem acciperemus; aliter autem cogit intelligi, cum ait: *usque nunc*, ex illo scilicet quo cuncta cum conderet operatus est. » Porro divinus Redemptor, dilectionem inimicorum commendans, Patrem suum etiam indiguis hominibus continuo beneficia conferentem, tanquam exemplum proponit, quoniam ipse est *qui solem suum oriri facit super bonos, et malos; et pluit super iustos, et iniustos* (8). Imo divinam providentiam prorsus nihil fugere, Deumque de omnibus etiam minimis rebus curam gerere, luculentissime patet ex verbis Christi: *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt* (9). Quomodo pressius

(1) Sap. 11, v. 23 etc. (2) 17, 14 etc.
(3) Is. 45, 6 etc (4) Amos 3, 6.
(5) Dan. 2 20 (6) Io. 5, 17.

(7) L. 4 de Gen. ad litt c. 12.
(8) Matth 5, 45. (9) Matth. 10, 29 etc.

declarari potuisset. Deum universa ordinare, et sine eius voluntate nil contingere posse? ideo *Theophylactus* (1) dicit: « Evidentem scientiam et providentiam indicans, dicit capillos nostros ipsos numeratos esse.» — Io. 1, 4, postquam dictum fuit omnia per Verbum facta esse, additur: *in ipso vita erat* etc.; quibus verbis *S. Chrysostomus* (2) indicari dicit perennem et inexhaustam vim divini Verbi ad res omnes creatas et infinito plures tum procreandas, tum conservandas, quemadmodum lux, quamvis innumerabili hominum multitudini luceat, nihil de splendore suo minuit; « ita, ait, Deus, etsi decies mille tales esse mundos oporteat, idem manet sufficiens omnibus, non tantum ad illos producendos, sed etiam ad conservandos postquam fabricati sunt. Etenim *vitae* vocabulum hoc loco non solum procreationem significat, sed etiam providentiam, qua illum in statu suo continet. » — Praestantissimus locus est Act. XVII, 24 etc., ubi Paulus in Areopago docet, Deum non solum omnia condidisse, sed et omnia conservare et gubernare; ait enim, Deum non indigere aliquo *cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia; fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora et terminos habitationes eorum:* et cum dixisset, Deum non esse longe ab unoquoque nostrum, addit: *in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus;* in quae verba ita praeclare disserit *S. Augustinus*: (3) « Illud, quod ait Apostolus, — liquide cogitatum quantum humana mens valet, adiuvat hanc sententiam, qua credimus Deum in iis, quae creavit, indesinenter operari. Neque enim tanquam substantia eius sic in illo sumus, quemadmodum dictum est, quod habeat vitam in semetipso, sed utique cum aliud simus, quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur. Et hoc est opus eius quo continet omnia, et quo eius sapientia pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter: per quam dispositionem *in illo vivimus, movemur et sumus.* » Idem argumentum prodit ex eiusdem Apostoli verbis: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (4), « quibus ostendit, ait *Origenes* (5), principium subsistendi rerum omnium in eo quod dicit: *ex ipso;* conservationem autem, cum ait: *per ipsum;* finem denique, cum dicit: *in ipsum.* » — Similiter Deus dicitur: *portans omnia verbo virtutis suae* (6), « hoc est, inquit *S. Chrysostomus* (7), gubernans; et quae concidunt, fovens ac conservans. Etenim conservare mundum non minus est, quam condere. Sed si quid dicendum est admiratione dignum, etiam maius est. Nam creare est e nihilo quippiam producere; conservare vero ea, quae facta sunt, est in nihilum abitura continere, et invicem pugnantia coniungere. Denique S. Petrus, divinam providentiam profitetur, et fideles, ut cum humilitate et confidentia se illi committant, exhortatur, dicens: *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* (8).

(1) In h. l. (2) Hom. 5 in Io.
(3) L. 4 de Gen. ad litt. c. 12.
(4) Rom. 11, 36. (5) L. 6 c. Celsum.
(6) Hebr. 1, 3.

II. *Argumenta ecclesiastica.*

§ 251. 1. Constantem et universalem Ecclesiae fidem de providentia

(7) Hom. 2 in Ep. ad Hebr.
(8) 1 Ep. 5, 6-7.

divina *Ss. Patres* contestantur. *Athenagoras* (1) ita loquitur: « Quicumque Deum ut creatorem universi profitentur, eius sapientiae et iustitiae etiam omnium operum conservationem et gubernationem adscribere ac credere debent, in coelo et in terra nihil cura et regimine destitui, sed providentiam Creatoris ad omnia entia invisibilia et visibilia, parva et magna extendi: nam omnes creaturae providentia indigent Creatoris. » *S. Theophilus Ant.* (2) scribit: « Sicut anima in homine non conspicitur, sed ex motu corporis cognoscitur, ita Deus corporeis oculis videri nequit, sed per suam providentiam suaque opera cognoscitur et videtur. Nam quemadmodum qui navim ordinate in mari procedentem et ad portum appellentem videt, sine dubio credit, in ipsa rectorem adesse qui eam gubernat: ita etiam Deus pro rectore omnium rerum habendus est, quamvis oculis carneis videri non possit, quoniam incomprehensibilis est. » *S. Irenaeus* (3) inquit: « Si quis interroget nos, si omnis numerus omnium, quae sunt facta et quae fiunt scitur a Deo, et si secundum illius providentiam unusquisque eorum eam, quae secundum se est, accepit quantitatem: — confitemur, quia nihil omnino horum, quae facta sunt, et quae fiunt, et fient, Deum fugit; sed per illius providentiam unumquodque eorum et habitum, et ordinem, et numerum, et quantitatem accipere, et accepisse propriam, et nihil omnino vane fieri, sed cum magna aptatione, et consonantia sublimi; et esse admirabilem rationem, et vere divinam, quae possit huiusmodi et discernere, et causas proprias enuntiare, etc. » *Clemens Alex.* (4) ait: « Manifesta (est) divina providentia ex aspectu omnium, quae videntur effectum, quae arte constant et sapientia; » et (5) addit: « Constat iam, supplicium magis, quam confutatione mereri illum omnem, qui providentiam esse non putat, ac revera esse atheum. » Idem sentit *Tertullianus* Marcionem (6) ita perstringens: « *Nemo te* sustinebit, improvidentiam adscribentem Deo ei, quem Deum non negans, confiteris et providum. » Eodem argumento Epicurum urgebat *Lactantius* (7), dicens: « Quid repugnantius dici possit, non video (nempe Deum esse et non providum). Etenim si est Deus, utique providens est ut Deus: nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi et praeterita teneat, et praesentia sciat, et futura prospiciat. Cum igitur providentiam sustulit, etiam Deum negavit esse: cum autem Deum esse professus est, et providentiam simul esse concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest. » *Origenes* (8) ait: « Verbum universa pervadit, ut ratione omnia fiant, non homine tenus, sed usque ad ea, quae minima videntur et a natura gubernantur. » *S. Gregorius Naz.* (9) providentiam divinam esse dicit: « totam hanc universitatem continentem et colligantem; quoniam eundem providentia sua moderari oportet omnia, qui condidit, » ne velut navis procella subvertatur, et in nihilum recidat. *Dionysius* (10) inquit: « Omnia, quae sunt, providentia fruuntur, quae manat e supersubstantiali et causa omnium divinitate. Non enim essent, nisi entium essentiae et principii res illae participes forent. » *S. Ambrosius* (11) contra divinae providentiae

(1) L. de resurrect. n. 18
(2) L. I ad Autol. n. 5.
(3) L. 2 adv. haer. c. 26, n. 3
(4) L. 5 strom. n. 1. (5) Ibidem 1. 6.
(6) L. 2, c. 24. (7) L. de ira Dei c. 9.
(8) L. 6, c. Celsum. (9) Or. de amore pauperum. (10) De coel. Hierarch. c. 4.
(11) L. 1 de Officiis c. 13.

adversarios ita argumentatur: « Quis operator negligat operis sui curam? quis deserat et destituat, quod ipse condendum putavit? Si iniuria est regere, nonne est maior iniuria fecisse, cum aliquid non fecisse, nulla iniustitia sit; non curare, quod feceris, summa inclementia? » — *S. Hieronymus* equidem (1) circa homines specialem, circa caetera vero animantia generalem tantum providentiam admittere, imo et negare videtur, Deum scire « quot nascantur culices, quotque moriantur, - quanti pisces in aqua natent etc., » verum absit, tantum Doctorem Deo omniscientiam abnegasse, sed scientia, quam negat, non est cognitio simplex, sed provida et cum amore studioque peculiari coniuncta notitia: ideo in fine dicit nos iniuriam nobismetipsis inferre, « *eandem* rationabilium et irrationabilium providentiam esse dicentes: » ergo solum benevolam illam et paternam scientiam et providentiam quam Deus erga homines exercet, insectis et caeteris animantibus denegat. Mentem suam melius exprimit S. Doctor in Epist. 3 ad Heliod., dicens: « Ut creatorem non in coelo tantum miramur et terra, sole et oceano, elephantis, camelis, equis, leonibus, sed et in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis et istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora quam nomina, eandemque in cunctis veneramur solertiam: ita mens Christo dedita aeque et in maioribus et in minoribus intenta est, sciens etiam pro verbo otioso reddendam esse rationem. *S. Augustinus* (2) ita praeclare loquitur: « Voluntas Dei est prima, et summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de invisibili et intelligibili summi imperatoris aula aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam praemiorum atque poenarum, gratiarum et retributionum in ista totius creaturae amplissima quadam immensaque republica. » *S. Prosperus* (3) ita canit: « Omnem autem hanc molem mundi, qui condidit, ipse et regit; utque nihil non ortum sumpsit ab illo, sic nihil est, quod stare queat, factore remoto. » —*S. Fulgentius* (4), providentiam Dei etiam ad minima pertingentem summae bonitati adscribens, ait: « Nisi summe bonus esset, non se gubernandis rebus quoque minimis praestitisset. » *S. Cyrillus Alex.* (5) rationes eorum, qui divinam providentiam negant, confutans, ita concludit: « Superest igitur ut et possit et velit Deus rebus nostris prospicere: quod si vult et potest, perspicuum est, iis illum providere. » *Theodoretus* (6) dicit: « Ecclesia non solum Creatorem novit universorum Deum, verum etiam curatorem et administratorem gubernatoremque universorum. Absurdissimum enim foret, creasse quidem illum omnia dicere... eorum autem, quae fecit, nullam curam gerere et creaturam negligere. » Idem decem conscripsit de providentia sermones in quibus eam egregie declarat, probat atque defendit. *Salvianus* quoque octo exaravit de gubernatione Dei libros, et l. 1, n. 1 dicit: « Sicut navigans gubernator nunquam manum suam a gubernaculo, sic nunquam penitus curam suam Deus tollit a mundo; ac sicut ille et auras captans et saxa vitans, totus sit simul tam corporis, quam cordis officio operi

(1) In Habac. cap. 1.
(2) In Sent. Prosp. Sent. 58.
(3) In carm. de providentia.
(4) De fide c. 3.
(5) L. 2 c. Iulian
(6) Haer. fabul. l. 5, art. 10.

suo deditus, ita (certum est) Deum nostrum ab universitate omnium rerum nec munus dignantissimae visionis avertere, nec regimen providentiae suae tollere, nec indulgentiam benignissimae pietatis auferre. » Et l. 3, n. 1 ait: « Regit cuncta, quae fecit. » *S. Gregorius M.* (1) de Deo scribit: « Mundum per se ipsum regit, quem per seipsum condidit, nec eget alienis adiutoriis ad regendum, qui non eguit ad faciendum. »

2. Ecclesia suam de providentia divina fidem tum theoretice, tum practice ostendit. Semper enim aversata est et damnavit errores illorum, qui male de Dei gubernatione sentientes aut fatum admittebant (2), aut malum principium, seu daemonem pro suo arbitrio res immutare, vel regere posse asserebant (Cf. § 186, n. 3). Huc spectat etiam celebris Constitutio Sixti V (3) contra artem astrologiae iudiciariae exercentes, in qua summus Pontifex inter alia dicit: « Solus ipse, qui vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt, omnia praesentia et ante oculos posita habet; solus denique omnia et singula, quaecunque totius temporis decursu et saeculorum aetatis futura sunt, ab omni aeternitate novit et admirabili providentia disposuit. » Ecclesia porro providam Dei de omnibus curam in sua Liturgia frequenter laudat; sic (4) ait: « Omnipotens, sempiterne Deus, qui coelestia simul et terrena moderaris, » et (5): « Deus, a quo bona cuncta procedunt, » et (6): « Deus, cuius providentia in sui dispositione non fallitur. » Ecclesia etiam eandem fidem practice profitetur, dum in omnibus necessitatibus ad Deum recurrit, ab ipso petens, ut noxias tempestates, bella, pestilentias, etc. removeat, et vel serenitatem aëris, vel pluviam congruentem, pacem, sanitatem, rectitudinem mentis et alia profutura concedat, et dum pariter omnia bona corporalia et spiritualia obtenta Dei largientis bonitati adscribit, ipsique gratias agit. — Cum Ecclesia catholica hac in re consentit Ecclesia schismatica graeca, quae in Concilio Hierosolymitano, anno 1672 habito, can. 5 ita loquitur: « Credimus res omnes a divina providentia gubernari; Deum vero mala praescire et permittere, eorum tamen, quae mala sunt, haudquaquam esse provisorem, uti nec opificem. Haec porro divinae secreta providentiae mirari debemus, non excutere. »

III. *Argumenta philosophica.*

§ 252. 1. Deum de omnibus, quae creavit, curam gerere eadem conservando et gubernando, etiam ratio per varia argumenta probare potest. *a)* *Plato* illud probavit *ex attributis divinis*, nempe ex Dei *omnipotentia et summa bonitate*; ita enim (7) argumentatur: Si Deus, neglectis minoribus, in solis occupatur maioribus, ideo fit, vel quia omnibus administrandis par esse mens illius ac potestas nequit; vel quia non vult, tametsi potest. Neutrum autem Deo convenit. Nam si non potest, fit hoc duarum causarum ex altera. Aut enim non omnia novit, ut singulis consulat; aut si sciat, non tamen innumeris rebus eodem momento gubernandis vim habet idoneam. Horum prior procul abest a Deo, quia certum est, « Deum nosse, et intueri, audisseque omnia, nec eum latere rem ullam earum, quae sensu, aut scientia percipiuntur. » Sed et vis infinitae cognitioni

(1) L. 24. Mor. c. 26.
(2) V. Concil. Bracar. I. can. 9 et 10.
(3) In c. Coeli, et Terrae Creator etc.
(4) In Orat. pro Dom. 11 p. Epiph.
(5) In Or. pro Dom. 5, p. Pascha.
(6) In Or. pro Dom. 7 p. Pentec.
(7) L. 10 de legibus

par et gubernandis omnibus idonea suppetit, quoniam manifestum est, « posse Deum omnia, quorum potentia inest in mortalibus et immortalibus. » Quodsi Deus omnia potest, et tamen non omnibus prospicit, dicendum erit, ipsi convenientem ad hoc voluntatem et bonitatem deesse, quod est longe quam superiora duo absurdius et indignius Deo, cui turpis ex eo labes imponitur vel malignitatis, invidentiae, vel negligentis et delicati fastidii. Utrumque vero abest ab infinita bonitate et eadem actuosissima; imo quae tota quanta est, nihil nisi actus est. Quia ergo Deus bonus est, ait idem *Plato* (1), et « ei, qui bonus est, nulla in re quavis inest unquam invidia, » certe de omnibus curam gerit, neque, ut addit (2), « mortalibus opificibus deterior est, qui opera sua, quanto meliores fuerint, tanto elaboratiora, perfectioraque, sive parva, sive magna eadem arte perficiunt. »

2. Solidissimum argumentum petitur ex ***Omniscientia divina*** (§ 30). Deus enim omnia entia creata, sive magna, sive parva et minima illa sint, eorundem subsistentiam, vires, motus, actus, et quidquid circa illa contingit, perfectissime cognoscit. Ast Deus non cognoscit res, quia sunt, sed res sunt, quia illas cognoscit, seu scientia Dei non est dependens a rebus contingentibus, sed est harum efficax causa (Cf. § 29, n. 2). Sicuti ergo Deus omnia cognoscit, ita etiam omnia efficit, seu omnibus providet, eadem conservando et gubernando. Ideo *Salvianus* (3) dicit: « Videamus nunc, an qui respicit regat, cum utique ipsa ratio aspiciendi causam in se habeat gubernandi: quia non ad hoc respicit, ut cum adspexerit, negligat, qui scilicet per idipsum non negligere intelligitur, quia respicere dignatur. » Et *S. Thomas* (4) divinam providentiam probat, dicens: « Deus omnia cognoscit, et universalia et particularia. Et cum cognitio eius comparetur ad res sicut cognitio artis ad artificiata (ut supra (5) dictum est), necesse est, quod omnia supponantur suo ordini, sicut omnia artificiata subduntur ordini artis. »

3. Divinam praeterea providentiam ipsa *Dei immensitas* persuadet. Utitur hoc argumento *Salvianus* (6), dicens: « Pythagoras philosophus, quem quasi magistrum suum Philosophia ipsa suscepit, de natura, ac beneficiis Dei disserens, sic locutus est: « Animus per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia, quae nascuntur, animalia vitam capiunt. » Quomodo igitur negligere mundum Deus dicitur, quem hoc ipso scilicet satis diligit, quod ipsum se per totum mundi corpus intendit? » — Quam ad rem confert illud plurimum, quod sic Deus est ubique, ut otiosus ac nihil agens esse nequeat, cum Deus ubique ut vivens et agens sit concipiendus (§ 27). Agit autem intelligentia utique et voluntate, qui sunt providentiae fontes. Hinc *Cyrillus Alex.* (7) inquit: « Virtutem et potestatem Deo dignam esse - ubique esse. » *S. Augustinus* (8) hac de re ita praeclare loquitur: « Deus mundo infusus fabricat, et non recedit aliquo, non extrinsecus quasi versat molem, quam fabricat. Praesentia maiestatis facit, quod facit; praesentia sua gubernat, quod fecit. » Ac merito *S. Thomas* (9) dicit: « Deum inesse rebus omnibus, sicut agens adest ei in quod agit. »

(1) In Timaeo. (2) L. 10 de legibus.
(3) L. 2 de Gubern. n. 2.
(4) 1, q. 22, art. 2, 0 in fine.
(5) Q. 14, a. 6 et 11.
(6) L. 1 de Gubern. n. 1.
(7) Tract. 2 in Ioann.
(8) Tr. 2 in Ioann.
(9) 1, q. 8, art. 1.

4. Sicut de existentia Dei, ita etiam de providentia divina *universalis* semper fuit, et est *hominum persuasio*. Hanc *Tertullianus* (1) probat ex naturali timore, quem omnes post commissum delictum sentiunt, quoniam Deum, quem propitium vellent, sibi iratum credunt. Eandem commonstrat *Clemens Alex*. ex eo, quod homines subitis in casibus et periculis oculos ac manus in coelum erigant, indeque opem ac praesidium arcessant, ac saepe in variis vitae discriminibus in has voces erumpant: « Deus videt omnia, et Deo commendo, et Deus reddet, et Deus iudicabit »etc. (2). Recte igitur *Nemesius*(3) scribit: « Necessitate aliqua compulsi statim ad divinum Numen precesque confugimus, velut natura ipsa sine cuiusquam institutione nos ad Dei implorandam opem trahente. Atqui nequaquam ad id, quod natura fieri non posset, natura ipsa nullo docente nos induceret. Etenim in repentinis tumultibus ac erroribus citra electionem et deliberationem ullam Deum inclamamus. Porro id omne, quod quamcumque rem naturaliter sequitur, firmam habet demónstrationem, cui contradici nequeat. » — Ipsa Gentilium superstitio praefatam persuasionem contestatur. Divinam enim providentiam non negarunt, quamvis circa modum illius turpissime aberraverint. Cum enim Revelationis lumine destituti non intellexerint, quomodo ab uno Deo totum Universum gubernari possit, eandem gubernationem inter plures deos diviserunt ita, ut Iovem coeli et terrae, Neptunum maris, et Plutonem inferorum gubernatores dicerent, hisque et alios deos adderent, qui de negotiis singularibus, uti de bellis, de scientiis et artibus, de negotiationibus, de febribus etc. curam gererent. Intime ergo ipsis persuasum fuit, divinitus omnia gubernari, quamvis in hoc aberraverint, uti *S. Augustinus* (4) de Varrone observat, quod ea, quae unius Dei omnipotentis et sapientissimi providentia regit, « selectis diis distribuere laboraverint. » Melius autem, teste *Clem. Alex*. (5), senserunt « philosophiae studio dediti » et quidem « barbarae, » hoc est, claro S. Revelationis lumine destitutae, et ad talem tamen persuasionem pertingenti, « ut invisibili, soli, praepotenti ac solertissimo, summo optimorum quorumque principio providentiam attribuerent. » — *Pythagorae*, *Platonis* et *Tullii* effata iam citata sunt. « *Stoici*, ait *Salvianus* (6), Deum gubernatoris vice intra id, quod regit, semper manere testantur. Quid potuerunt de affectu et diligentia Dei rectius religiosiusque sentire, quam ut eum gubernatori similem esse dicerent? Hoc utique intelligentes, quod sicut navigans gubernator nunquam manum suam a gubernaculo, sic nunquam penitus curam suam Deus tollit a mundo. » — Divinam providentiam asseruerunt et defenderunt etiam *Hierocles*(7), *Chalcidius* (8), *Iamblicus* (9), *Ammonius*(10), *Atticus* (11), *Plotinus* (12), *DiogenianusPeripateticus*(13), et alii. Recte igitur de communi hoc consensu testimonium ferens *Salvianus*(14) dicit: « Omnes etiam Religione expertes, vi ipsa et quadam necessitate compulsi, et sentiri omnia a Deo, et moveri, et regi dixerunt. » Ex tanto autem consensu omni iure infertur,

(1) L. de testim. animae c. 2.
(2) V. I. 5 Strom. (3) De nat. hom. c. 44.
(4) L. 7 de Civ. Dei c. 29. (5) L. c.
(6) L. c. (7) L. de Fortuna et usu deorum.
(8) Ad Timaeum Platonis.
(9) Segm. 8 de Myst. Aegypt.
(10) In l. Aristot. de interpret.
(11) Ap. Euseb. l. 15 de praep. c. 4.
(12) Ap. S. August. l. 10 de Civ. D. c. 14.
(13) C. Chrysippum. (14) L. c.

sanam hominis rationem de divinae providentiae existentia dubitare non posse (Cf. Th. gen. § 31, n. 2). Quodsi nonnulli, immerito se Philosophos appellantes, et extiterunt, et existunt, qui divinam providentiam agnoscere recusant, vis argumenti idcirco non infringitur, sicuti vis oculorum ex eo non negatur, quod nonnulli caeci, lumen solis non videntes, inveniantur.

Nota. Argumentum philosophico-theologicum etiam inferri potest *ex fine mundi totali*, qui in eo consistit, ut omnia divinas perfectiones manifestent et gloriam Dei promoveant. Nam: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (1); et quia finem totalem omnia promovent, dicitur: *Plena est omnis terra gloria eius* (2) (Cf. § 141). Ast ideo tantum omnia, quae sunt in mundo, et omnia, quae fiunt in terra, gloriam Dei promovent, quia Deus omnia conservando et gubernando infinitas suas perfectiones manifestat, quod, seclusa providentia, propugnari non posset. Magni idcirco momenti est, ut de conservatione et gubernatione rerum in specie agatur, et quomodo Deus in actibus istis perfectiones suas manifestet, quantum fas est, ostendatur.

ARTICULUS III.

De divina rerum omnium conservatione.

§ 253. Conservatio est opus Dei externum, seu actus divinae providentiae, quo Deus res universas tum quoad substantiam earundem, tum quoad facultates et vires agendi, quas naturis singulis in creatione indidit, in statu suo sustentat, ut per certum temporis spatium, prout sapientiae ipsius visum est, esse pergant. - Haec conservatio a nonnullis continuata creatio dicitur; sed minus adaequate, ut observat Cl. *Klee* (3); nam in creatione ex nihilo res ad existentiam vocantur, in conservatione autem ea, quae iam sunt, ne in nihilum redeant, impediuntur. Caeterum sicut creatio, ita et conservatio actum Dei positivum importat, quod facile intelligitur, si perpendatur, nos tantum varios in Deo actus distinguere, a Deo autem creationem et conservationem uno eodemque simplicissimo actu perfici. Praeterea, iuxta nostrum concipiendi modum, creatio quidem unico actu, seu simplici verbo *fiat!* absolvitur; conservatio autem continuatam operationem exigere videtur: sed probe notandum est, Deum tempori subiectum non esse, atque ideo sicut creationem, ita et conservationem sine temporis dispendio uno omnipotentis et liberrimae voluntatis divinae actu perfici, et solum effectus, seu creaturas, quae conservantur, temporis mutationibus et vicissitudinibus subiici; ex quo etiam apparet, Deum, qui agit, a creaturis in quas agit, infinite distinctum esse.

I. *Conservationis existentia.*

§ 254. Omnia, quae a Deo creata sunt, ab eodem etiam conservari, iam ex iis patet, quae de providentia divina in genere dicta sunt. Ast haec eadem conservatio specialibus quoque argumentis probari potest.

1. *S. Scriptura* satis clare docet, omnium rerum creatarum substantiam, vitam, viresque a Deo conservari. Iob. XII, cum v. 9 dixisset: *Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit?* v. 10 addit: *In cuius manu anima omnis viventis, et spiritus universae carnis hominis:* per *manum* vero ipsa operatio divina intelligitur, qua vita hominis sustentatur. Firma, et ordinata visibilis

(1) Prov. 16, 4. (2) Is. 6, 3.

(3) De Deo P. 2, l. 1, c. 3, § 1.

mundi existentia omnipotentis Dei virtuti adscribitur: Ps. XCII, 1 etc.: *Dominus regnavit, – etenim firmavit orbem terrae, qui non commovebitur.* Ps. CII, 5: *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi.* Ps. CXVIII, 90 etc.: *Fundasti terram et permanet. Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi*, id est omnipotentis voluntatis tuae ordinationi subiecta sunt. Ps. CXLVIII, 6 de iis, quae a Deo facta dicuntur, additur: *Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi, praeceptum posuit, et non praeteribit.* Deus etiam dicitur animalibus necessaria ad vitae conservationem alimenta praebere. Ps. CIII, 10 etc.: *Qui emittis fontes in convallibus; inter medium montium pertransibunt aquae. Potabunt omnes bestiae agri: exspectabunt onagri in siti sua. Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra: producens foenum iumentis, et herbam servituti hominum: ut educas panem de terra, et vinum laetificet cor hominis etc.* v. 27 etc.: *Omnia a te exspectant ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum* (i. e. halitum tuum vivificantem) *et creabuntur, et renovabis faciem terrae* (1). — Divinitus omnia conservari debere, ut esse pergant, clare dicitur Sap. XI, 26: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* — Is. XLII, 5: *Dominus Deus creans coelos, et extendens eos: firmans terram, et quae germinant ex ea; dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam.* Ier. X, 12 etc. in oppositione ad deos gentium, qui nil efficere possunt, de vero Deo dicitur: *Qui facit terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit coelos. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum, et elevat nebulas ab extremitatibus terrae; fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis.* – Deum de omnibus et praesertim de hominibus curam gerere, et quae ad conservationem vitae necessaria sunt, paterna bonitate suppeditare, praestantissimo modo Christus docet his verbis: *Ne solliciti sitis animae* (i. e. vitae) *vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: et corpus plusquam vestimentum? Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei* (2)? — Paulus de Deo ita loquitur: *Qui in praeteritis generationibus... non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra* (3). Idem Apostolus scribit: *Ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (4); idest, omnia, ut

(1) Cf. Ps. 140, 15, 16. Ps. 146, 8 etc. Iob 38, 41. (2) Matth. 6, 25 etc.

(3) Act. 14, 15 etc. (4) Col. 1, 17.

ait *Theophylactus* (1), « in ipso consistunt tanquam in fundamento: sic et primogenitus est creaturae tanquam fundamentum. Hoc autem non eandem cum rebus conditis essentiam significat, sed quod omnia in ipso ferantur, moveanturque. » Denique dicitur, sperandum esse *in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum* (2).

2. *Ss.* Patres conservationem divinam non solum profitentur, sed etiam creaturis, ne in nihilum relabantur, prorsus necessariam dicunt. *Lactantius* (3) ait: « Natura, remota providentia et potestate divina, prorsus nihil est: » *S. Gregorius Naz.* (4) dicit: « Quonam modo universa haec rerum moles vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum naturam protulisset atque conservaret? » — *S. Chrysostomus* (5) ita loquitur: « Non solum creaturam produxit Deus, sed productam etiam fovet, et conservat. Sive tu Angelos dixeris, sive Archangelos, sive coelestes virtutes, sive visibilia omnia et invisibilia, haec illius providentia fruuntur; ac si eius efficientia destituautur, abeunt et diffluunt, ac pereunt. » *S. Hieronymus* (6) scribit: « Sciamus, nos nihil esse, nisi, quod donavit, in nobis ipse servaverit. — Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum .... (Deus) semper largitor, semper donator est. Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit. » *S. Augustinus* (7) dicit: « Sic credamus, aut si possumus, etiam intelligamus, usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant. » *S. Cyrillus Alex.* (8) ita de Deo disserit: « Cuncta vivificat, cum secundum naturam vita sit, omnium opifex, proprietatis suae vim inexplicabili ratione iis infundens. Non enim aliter conservari, et in eo, quod sunt, retineri poterant ea, quae ortum a nihilo sortita sunt. Alioquin statim ad propriam naturam, hoc est, nihilum rediissent, nisi necessitudine ipsa, quam cum eo, quod est, habent, ortus sui naturam superarent. » — *S. Gregorius M.* (9) inquit: « Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret. »

3. *Ex ratione* quoque probari potest, omnia a Deo conservari. Nam quidquid extra Deum existit, contingens est. Entia autem contingentia rationem suae existentiae sufficientem non in semetipsis, sed in Deo, prima et aeterna omnium rerum causa, habent (Th. gen. § 28). Quidquid ergo sunt et habent, sive dum esse incipiunt, sive dum esse pergunt, solum a prima earundem causa, seu ab Ente absoluto recipiunt. Res enim quaeque, cum condita est, non ideirco entis contingentis naturam exuit. Quare si germana eius spectetur conditio, indifferentiam semper retinet ad existendum, vel secus. Quidquid enim interna existendi necessitate non fruitur, id ut ad existentiam inchoandam, sic etiam ad protrahendam per se minime sufficit. Quamdiu igitur perstat, aliunde ad existendi perseverantiam indiget determinari. Nec vero audiendus est, qui diceret, causam determinationis eius in ipsa creatione reponi, quae rem primum eduxit e nihilo. Nam effectus creationis plene exhauritur in hoc, quod res condita

(1) In h. l. (2) 1 Tim. 6, 17.
(3) L. 3 Instit. c. 27. (4) Or. 34 (al. 2).
(5) Hom. de paralit. sub finem.
(6) Ep. 133 ad Ctesiph. n. 6.
(7) L. 5, de Gen. ad litt. c. 20, n. 40.
(8) Lib. 9 in Ioan.
(9) L. 16 Mor. c. 37, n. 45.

semel extiterit. Unde quod deinceps maneat, id aliam rationem sufficientem requirit. Nec dici potest producta existentia seipsam continuare; in ea enim nihil est, quod huius continuationis sit causa. Ut enim possibilitas actualem existentiam per se non fert, sic prima rei productio et existentia eiusdem permansionem sibi non vindicat. Primum enim existendi instans cum posterioribus nulla necessitate connectitur, optimeque concipitur, rem gigni, nec tamen praeter unum instans superesse. Non igitur in ipsa, sed in Deo ratio insequentis durationis eius quaerenda est. Quapropter omnino oportet, ut ad influxum quemdam supremae causae revertamur, qui quidem sit a mera creatione diversus, et veluti eius actionis continuatio sine intermissione protracta cogitetur (1).

II. *Conservationis modus.*

§ 255. 1. Cum de explicando modo agitur, quo contingentium rerum conservatio perficitur, non una est omnium sententia. Alii enim *positive* id fieri aiunt et *directe*, quatenus Deus iugi quodam influxu res conditas in existentia retineat; alii vero *negative* duntaxat, omnique actionis positione summota, quoniam ad rerum conditarum perseverantiam oppido sufficere arbitrantur, si Deus illas non demolitur. Quare sententia superior *conservatio positiva*, posterior *negativa* nominatur. Hanc defendit *D. Klee* (2), quamvis aliquam Dei curam, seu actionem positivam necessariam dicat, ne res in elementa sua diffluant, quod praecipue de homine lapso et morti subiecto adseverat. Ast plerique Theologi et Philosophi *conservationem positivam* propugnant, et quidem omni iure: nam ipsa S. Scriptura operationi divinae omnium conservationem adscribit, ideo Deus dicitur *firmare terram*, *nutrire animalia*, *vestire lilia*, *dare vitam, et inspirationem*, *et omnia* etc. Ss. Patres quoque conservationem ut actionem divinam proponunt, qua cessante, omnia in nihilum relabuntur. Ratio ipsa huic sententiae suffragatur, nam si res creatae virtutem in sua existentia permanendi habent, illam utique a Deo habent, qui eam cognoscit et vult, et cognoscendo ac volendo efficit; atque in hoc ipsa conservatio consistit, quae non ita concipienda est, quasi Deus adinstar hominum tempori subiectorum actus singulis momentis iteret, cum omnia uno et simplicissimo actu perficiat (§ 248, n. 1). Certum equidem est, Dei solius esse sicut creare, ita et annihilare: sed, iuxta nostram sententiam, Deus rem annihilat, cum ab eius conservatione cessat: iuxta oppositam vero sententiam, annihilatio Deo agente fit, ac propterea admittitur divinae omnipotentiae actus, qui nihilum efficit, quod est absurdum, nam actio, cum reale aliquid ac positivum sit, pro termino nihilum habere nequit (3).

2. Cum vires rebus creatis inditae contingentes sint, ipsae quoque a Deo conservari debent, et etiam dum in actum transeunt, Dei influxu carere non possunt. Influxus iste *concursus divinus* dici solet, quem in omnibus entium creatorum actionibus inveniri, omnes Theologi et Philosophi de Deo recte sentientes admittunt, sed tamen in eodem explicando non conveniunt. Nam qui negativam tantum conservationem adstruunt, etiam solum *mediatum* Dei concursum ad rerum crea-

(1) V. M. Liberatore Instit. Log. et Metaph. Lib. 2, Pars 3, c. 3, art 1 n. 19.
(2) L. c. § 3

(3) V. Liberatore l. c. S. Thom. 1, q 104, art. 3, in c.

iarum actiones admittunt; aiunt enim, entia per vires a Deo acceptas actiones ponere posse, quae tamen influxui divino adscribendae sunt, quia Deus virium auctor est: addunt plerique, qui huic sententiae adhaerent, Deum invigilare ne vires concidant, aut in actione ponenda impediantur: concipiunt itaque isti mundum ut horologium, quod per structuram, quam artifex illi dedit, conservare se quidem per aliquod tempus potest, sed in quo vitia et impedimenta suboriri possunt; quamobrem artifex adesse debet, qui vitia corrigat et impedimenta tollat. Ast qui sententiam de positiva rerum conservatione amplectuntur, *immediatum* quoque Dei ad entium creatorum actiones concursum propugnant. Neque de hoc dubitare licet: cum enim Deus omnia cognoscat, et cognoscendo efficiat, certum est, Deum etiam ad omnes actiones, quas universas novit, immediate concurrere. Nullatenus autem ideo causae secundariae e medio tolluntur, aut verae et propriae entium creatorum, vel etiam liberae creaturarum rationalium operationes negantur. Nam Deus cognoscit et vult causas secundarias, per quas effectus producantur: imo Deus vult, ut causae secundariae modo naturae suae consentaneo operentur: tantum ergo abest, ut concursus iste divinus veram, propriam, aut etiam liberam causarum secundariarum operationem tollat, ut potius eandem efficiat. Et quoniam Deus secundarias causas adesse vult per quas effectus producantur, ad istos mediate concurrere dici potest. Ideo *S. Thomas* (1) dicit: « Ad providentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum provisarum in finem, et executio huius ordinis, quae gubernatio dicitur. Quantum igitur ad primum horum Deus immediate omnibus providet, qui in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum, et quascunque causas aliquibus effectibus praefecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos, unde oportet, quod ordinem illorum effectuum in sua ratione praehabuerit. Quantum autem ad secundum, sunt aliqua media divinae providentiae, quia inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet » (2).

3. A Theologis distingui solet conservatio *individuorum*, et conservatio *specierum*. Nonnulla enim individua a primordiis mundi ad finem usque, saltem quoad substantiam, in eodem semper statu permanent, ut Angeli, sol, luna, astra etc. Alia entia ita in hoc mundo versantur, ut non semper in suo statu, seu in sua vegetandi, aut vivendi conditione perseverent, sed ad fixum duntaxat breveque tempus, quo elapso intereunt, ut aliis locum cedant, qualiter fit in plantis, arboribus, animalibus, hominibus etc. Actio ergo divina, qua fit, ut huiusmodi entia, quamvis individua, successive pereant et evanescant, tamen semper in mundo inveniantur, *conservatio specierum* nominatur. Hanc Deus perficit per causas secundarias, seu per vires naturae inditas, ac praecipue per seminalem propagationem, quae in plantis et animalibus locum habet. Quod vero hominum conservationem attinet, notandum est, corpora quidem humana ex virili semine produci, animas autem humanas immediate a Deo creari § 195 (3). Porro animae humanae, cum quoad substantiam corrumpi non possint, sed

(1) 1. q. 22, art. 3. (2) Cf. . q. 104 a. 2.

(3) Cf. Dieringer Dogm. cath. § 40.

immortales sint, ad conservationem entium individuorum non immerito referuntur, et ad eandem etiam corpora humana intuitu futurae resurrectionis pertinent. Caeterum etiam reliqua entia materialia ex eo, quod corrumpantur, pereant et evanescant, non tamen annihilantur, sed in sua elementa resolvuntur, quae a Deo conservantur. Nam iuxta S. *Thomam* res creatae neque secundum ordinem naturalem, neque per miraculum in nihilum rediguntur. Ait enim (1): « Creaturarum naturae hoc demonstrant, ut nulla earum in nihilum redigatur. Quia vel sunt immateriales, et sic in eis non est potentia ad non esse; vel sunt materiales, et sic saltem remanent semper secundum materiam, quae incorruptibilis est, utpote subiectum existens generationis et corruptionis. Redigere etiam aliquid in nihilum non pertinet ad gratiae manifestationem, cum magis per hoc divina potentia et bonitas ostendatur, quod res in esse conservat, unde simpliciter dicendum est, quod nihil omnino in nihilum redigetur. »

Nota 1. In conservatione specierum divina omnipotentia et sapientia ex eo quoque elucet, quod inter innumera eandem speciem constituentia individua nunquam perfecta aequalitas inveniatur, sed similitudo, quae speciem manifestat, cum dissimilitudine, quae individuum discernit, coniuncta sit. Concinnam hanc rerum naturalium varietatem iam veteres Philosophi observarunt et admirati sunt. *Seneca* in quadam Epistola (2) scribit: « Inter caetera, propter quae mirabile divini artificis ingenium est, hoc quoque existimo, quod in tanta copia rerum nunquam in idem incidit; etiam, quae similia videntur, cum contuleris, diversa sunt; tot facit genera foliorum, nullum non sua proprietate signatum; tot animalia, nulli similitudo cum altero convenit. » Praesertim vero, ut observat *Nemesius* (3), varietas humanorum vultuum magnum est divinae providentiae argumentum, quoniam in eum finem facta est illa, ut se homines mutuo cognoscerent. Nam nisi certis lineamentis ac diversitate formarum distincti invicem forent, mira in convictu quotidiano et humana societate perturbatio sequeretur. Imo nulla inter ipsos commercia fieri possent, eaque res ingentium malorum et immanium scelerum, atque internecionis omnium esset occasio, si neque coniuges se mutuo discernerent, nec amicus ab hoste discerneretur, neque liberi parentes, neque hi filias ab externis, aut uxoribus suis signo ullo distinguerent. Scelerati denique ac facinorosi impune quidvis facerent, cum illa communi omnium similitudine ac confusione delitescerent. Quod et *Iulius Firmicus* (4) his verbis aperit: « Consideremus conciliationem generis humani, et retractando inveniemus quam nefaria, quam impia poterant illic scelera committi, si cunctorum una facies populos illos aequa similitudinis formatione confunderet. Ad sororem frater deceptus similitudine quasi maritus intraret, traheretque alius contracti impudentia alieni iuris uxorem. Alii de filio erratici contentionis conflictatione certarent; alii nescirent, qui essent illi, qui sibi paullo ante servierant. Alter, ingenuis natalibus natus, quasi servus, ex confusa similitudine obstinati ducentis errore traheretur, nisi uniformem istam colorum similitudinem maxima

(1) 1, q. 104, art. 4.
(2) Ap. Rosmini Theodic. n. 610.
(3) De nat. hom. c. 12.
(4) L. 1 Astron. c. 4.

vultuum dissimilitudo variaret » (1).

Nota 2. Inter conservationis et concursus divini obiecta non postremum locum obtinet *vita* hominis, quam Deus moderatur, regit et sustentat usque ad certum tempus, quo ab hac conservatione cessat, eiusque nutu anima a corpore separatur. Tempus hoc aeterno Dei decreto stabilitum esse, dubitare non licet. Nam Iob legitur: *Breves dies hominis sunt, numerus mensius eius apud te est: constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt* (2). Certum equidem est, hominem quandoque iuxta naturalem suam constitutionem longiorem vitam ducere posse, et hanc aut per proprias culpas, aut per iniqua aliorum consilia, aut per infortunia breviorem reddi. Ast nihilominus semper vita hominis statuto apud Deum tempore finitur: Deus enim omnia ab aeterno praevidens perversarum actionum, quae in se omnino liberae sunt, effectus et infortunia aut permittit, aut impedit, prout hominem iuxta aeternum decretum aut vita privare, aut in ista conservare vult. Ideo David, paratas vitae suae insidias cognoscens, ait: *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meae. Eripe me de manu inimicorum meorum* (3). Et si ob reverentiam parentibus praestitam (4), ob preces (5), ob confidentiam (6), aut alias virtutes hominis vita protrahitur, mors tamen eiusdem, iuxta aeternum Dei decretum, sequitur, quod cum praedictorum meritorum praevisione conceptum est. Quam in rem *S. Gregorius M.* (7), exponens verba Iobi XIV, 5, ita egregie loquitur: « Nulla, quae in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura praesciens ante saecula decrevit, qualiter per saecula disponantur. Statutum quippe iam homini est... quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivat. Nam etsi annos quindecim Ezechiae Regi ad vitam addidit omnipotens Deus; cum eum mori permisit, tunc eum praescivit esse moriturum..... Nec tamen Propheta Dei fallax, qui ei dixerat: *morieris tu, et non vives*, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur: nec dominica statuta convulsa sunt, quia ut ex largitate Dei anni vitae crescerent, hoc quoque ante saecula praefixum fuit: atque spatium vitae, quod inopinate foris est additum, sine augmento praescientiae fuit intus statutum. Bene ergo dicitur: *Constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt.* »

(1) Cf. Petav. de Deo l. 8, c. 3, n. 6. Staudenmayr t. 3, § 84, n. 12, etc. Dogm. christ.
(2) 14, 5. (3) Ps. 30, 15 etc.
(4) Ex. 20, 12. (5) Is. 38, 2-21.
(6) Ps. 90, 16. (7) L. 12, Mor. c. 2. n. 2.

ARTICULUS IV.

De divina creatarum rerum gubernatione.

§ 256. Gubernatio est actio divina, qua Deus entia creata, contingentia et a sua essentia prorsus distincta iuxta liberrima et sapientissima sua consilia ad determinatum finem disponit ac dirigit. Finis iste supremus est manifestatio infinitae Dei perfectionis, seu gloria Dei, ad quam promovendam omnes creaturae, earundem vicissitudines ac eventus, Deo gubernante, collimant (§ 141). Quoniam autem Deus praecipue ab entibus rationalibus, quales sunt in hoc mundo homines, agnosci, coli et amari vult; idcirco ad hanc moralitatem promovendam divina sapientia ea, quae sunt et fiunt in mundo, ordinat et dirigit (§ 141, nota 1). Hunc in finem Dei gubernatio etiam efficit, ut reliquae creaturae fines particu-

lares sibi praefixos attingant, vel quandoque etiam non attingant, si id ad nobiliorem finem conducat.

Nota. Recte Theologi affirmant, gubernationem divinam, quam solam veteres providentiam appellare consueverunt, consistere in actu intellectus ordinantis et voluntatis decernentis; nam gubernatio duo includit, nempe ordinem rerum et ordinis voluntatem, seu executionem. Ordo ac dispositio rerum ad intellectum pertinet, ordinis autem electio et executio ad voluntatem: ita facile conciliantur in speciem contrariae nonnullorum ex Ss. Patribus sententiae, quorum aliqui providentiam appellant scientiam, aliqui autem voluntatem. Certe enim Patres intellectui providentiam adscribentes, actum voluntatis supponunt, et illam voluntati tribuentes, actum intellectus, seu scientiam non excludunt (1).

I. *Gubernationis existentia.*

§ 257. Argumentis generalibus ad divinam providentiam probandam allatis sequentia adiungi possunt, quae specialius divinam creatarum rerum gubernationem ostendunt.

1. *S. Scriptura* tota in eo versatur, ut nobis demonstret, Dominum huius mundi simul rectorem et gubernatorem esse, cuius iuribus subiiciantur, et cuius sapientia ad finem suum disponantur omnia. Praecipue in libro Sapientiae omnipotens, benignissima et sapientissima Dei gubernatio laudatur. Cap VIII, v. 1 legitur de sapientia divina: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, i. e. cum omnipotente virtute et maxima bonitate omnia moderatur, regit, et ad fines suos perducit. Ibid.: *O quam bonus, et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus* (2)... *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos* (3); in quae verba ita disserit *Salvianus* (4): « Ecce habes iugiter disponentem Deum, iugiter gubernantem: quamvis in isto Scripturae loco non gubernatio tantum sacra, sed etiam dignitas declaretur humana; in hoc enim, quod ait: *Disponis nos*, vis divinae gubernationis, in hoc autem quod *cum magna reverentia* culmen humanae ostenditur dignitatis. » Ibidem: *Tua - Pater providentia gubernat: quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam, ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiamsi sine arte aliquis adeat mare* (5). Prov.: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius* (6); *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur* (7). — Divinam gubernationem David praedicat, dicens: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuae ibi me collocavit... Deduxit me super semitas iustitiae propter nomen suum. Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua, et baculus tuus* (i. e. pastoralis tua directio, et protectio) *ipsa me consolata sunt* (8). Idem: *Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (9); in quae verba ait *Salvianus* (10): « Vides absque dubio, quia non potes queri quod non aspiciat etiam iniustos Deus; quia intelligis, generalem quidem esse in omnes Domini visionem; sed

(1) V. Tournely de Deo q. 21, a 2 in fine.
(2) C 12, 1.
(3) Ib. v. 18.
(4) L 2 de Gub n. 2.
(5) 14. 3 etc.
(6) 16. 9.
(7) Ib. v. 33
(8) Ps 22, 1 etc
(9) Ps. 33, 16, etc.
(10) L. c. n. 1.

meritorum fieri disparilitate diversam. Boni quippe aspiciuntur, ut conserventur, mali ut disperdantur.» In multis Psalmis, praesertim in 103, 104, et 144, complura enumerantur singulatim, quae Deus ordine invariabili et admirando dirigit secundum praescriptos fines ad conservationem, et salutem universi. Quomodo Deus bona et mala, quae fiunt ab hominibus, attendat, et ex eorundem intuitu faustos et infaustos eventus ordinet, graphice describitur Ierem. XVIII, 6, etc.: *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël. Repente loquar adversum gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversum eam; ago et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Et subito loquar de gente, et de regno, ut aedificem, et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, poenitentiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei.* Quibus verbis Deus humano modo (§ 40, n.4) loqui dignatur, ostendens, se ad hominum moralitatem promovendam, et ad sanctitatem, iustitiamque suam manifestandam ita mundum gubernare, ut ob peccata poenas, ob bona autem opera praemia rependat. — In N. T. Deus ut benignissimus omnium gubernator proponitur, qui *Solem suum oriri facit, et pluit* (1), ut terra congruos fructus producat; et animalia *pascit*, et herbas *vestit* (2), ut finem sibi praefixum assequantur. Praecipue autem in novo foedere divina sollicitudo describitur, homines ad moralitatem, et felicitatem perducendi. Ideo Deus comparatur *patrifamilias* (3), qui vocat operarios in vineam suam, et post exantlatum laborem condictam mercedem largitur: comparatur *homini* (4), qui servis suis varia dona impertitur, « post multum vero temporis, ut ait *S. Gregorius M.*, bene operantes pro apportato lucro remunerat, servum vero a bono opere torpentem damnat. » Comparatur *pastori* (5), qui cognoscit oves suas, proprias oves vocat nominatim, ante eas vadit, a lupis defendit, errantes quaerit, inventas imponit in humeros suos gaudens (6), omniaque facit (7) ut vitam habeant, et abundantius habeant. Denique ubique Deus ut benignissimus *Pater* exhibetur, qui hominum filiorum suorum indigentias cognoscit (8), de illis specialem curam gerit (9); orantes exaudit (10): *Et dat Spiritum bonum petentibus se* (11).

2. *Ss. Patrum* testimoniis § 251 allatis sequentia addi possunt. *Minucius Felix* (12) inquit: «Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum tamque perspicuum, cum oculos in coelum sustuleris, et quae sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? » *S. Basilius* (13) ait: « Nullibi deest providentia, nullibi gubernatio Dei. Ab oculo, qui nunquam clauditur, omnia conspiciuntur. Ubique Deus praesens, et unicuique viam ostendit, ad prosperum finem conducentem.» *S. Augustinus* (14) scribit: «Illum Deum colimus, qui naturis a se creatis et subsistendi, et movendi initia finesque constituit; qui rerum causas habet,

(1) Matth. 5, 45. (2) Matth. 6, 25, etc.
(3) Matth. 20, 1, etc. (4) Matth. 25, 14.
(5) Io. 10, 11, etc. (6) Luc. 15, 4.
(7) Io. 10, 10. (8) Matth. 6, 32.
(9) Ib. v. 26. (10) Ib. v. 7.
(11) Luc. 11, 13. (12) Octav. n. 17.
(13) Hom. 7 in Hexaem. n. 5.
(14) L. 7 de Civ. Dei c. 29.

novit atque disponit, qui vim seminum condidit... qui bellorum quoque ipsorum, cum sic emendandum et castigandum est genus humanum, exordiis, progressibus finibusque moderatur; qui huius mundi ignem vehementissimum et violentissimum pro immenso naturae temperamento et creavit et regit; qui solem fecit corporalium clarissimum luminum, eique vim congruam et motum dedit; qui ipsis etiam inferis dominationem suam potestatemque non subtrahit; qui terram fundavit, atque foecundat; qui fructus eius animalibus hominibusque largitur; qui causas non solum principales, sed etiam subsequentes novit atque ordinat; qui lunae statuit motum suum; qui vias coelestes atque terrestres locorum mutationibus praebet, » etc. Memoratu dignissima sunt etiam verba eiusdem Doctoris relata in sent. S. Prosperi (1): « Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de invisibili et intelligibili summi Imperatoris aula aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam praemiorum atque poenarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturae amplissima quadam immensaque republica. » *Leo M.* (2) haec habet: « Deus... sic terrae foecunditatem ab initio dedit, sic pariendorum fructuum leges in quibusque germinibus et seminibus ordinavit, ut nunquam sua instituta desereret, sed in rebus conditis benigna conditoris administratio permaneret. » *S. Io. Damascenus* (3) ita disserit: « Solus Deus natura bonus est et sapiens. Igitur quatenus est bonus, providet; qui enim non providet, non est bonus. Nam et homines et bestiae propriorum foetuum providentiam habent naturali quodam instinctu, et qui non providet, vituperari solet. Quatenus autem sapiens est, optime rebus prospicit. »

(1) Sent. 58. (2) Serm. 16, n. 1. (3) L. 2 de Fide c. 29. (4) L. de vera Relig. c. 46.

3. Deum omnia gubernare, varios, qui in mundo contingunt, eventus ad implenda sua consilia ordinare, et in omnibus, praecipue vero in impiorum punitione ac in proborum protectione et remuneratione divinas suas perfectiones manifestare, *ex historia* optime cognoscitur, quam commendat *S. Augustinus* (4), dicens: « Quoniam divina providentia non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano tanquam publice consulit; quid cum singulis agatur, Deus, qui agit, atque ipsi, cum quibus agitur, sciunt. Quid autem agatur cum genere humano per historiam commendari voluit. »

a) In periodo patriarchali Deus iam primis hominibus praeceptum dedit, et cum hoc transgressi essent, poenas dictavit; ut autem nihilominus finem suum consequi possent, Messiam, seu Redemptorem promisit (Th. generalis § 105). – Cum autem omnis caro corrupisset viam suam, Deus, scelerum vindex, humanum genus per diluvium delevit, ex quo intemeratam *Noëmi* familiam eripuit, per quam genus humanum conservaretur, et verus Dei cultus ac fides in Messiam propagaretur. Invalescente iterum morum corruptione, polytheismo quoque et idololatriae iuncta, Deus *Abrahamum* elegit, ac rectam fidem colentium patrem constituit, quem ex patria eductum variis equidem tribulationibus probavit, sed et magnis benedictionibus replevit ita, ut *Salvianus* (5) illius vitam considerans,

(5) L. 1 de guber. D. 8.

diceret: « In cunctis istis, quae memoravimus, num Deus non est et inspector, et invitator, et ductor, et sollicitus, et sponsor, et protector, et munerator, et probator, et sublimator, et ultor, et iudex? — Inspector quippe est, dum ex omnibus unum elegit, quem meliorem vidit; invitator, dum vocat; ductor, dum ad ignota perducit; sollicitus, dum ad ilicem visitat; sponsor, dum futura promittit; protector, quia inter gentes barbaras protexit; munerator, quia locupletavit; probator, quia tentari asperis voluit; sublimator, quia potentiorem omnibus fecit; ultor, quia eum de adversariis ultus est; iudex, quia dum ulciscitur, iudicavit. » Historia Iosephi Aegyptiaci, qui per ea media, quae ipsum in infimum servitutis et miseriae statum redigere videbantur, iuxta Dei consilia iam longe antea praenuntiata, usque ad thronum exaltatus fuit, ideo conscripta esse merito creditur, ut admirabiles divinae gubernationis viae hominibus manifestentur. Ipse Ioseph tristes vitae suae sortes divinae providentiae adscripsit, paventibus suis fratribus dicens: *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum... ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum* (1). Praetcrea in hac periodo per frequentes theophanias, et per facta antea praedicta Deus se naturae simul et hominum rectorem ostendit (v. Th. gen. § 94), unde firma fuit Patriarcharum in Deum gubernatorem fides, quam laudat Paulus (2). *b*) *In periodo mosaica* ipsa vocatio Moysis, liberatio populi israëlitici stupendis miraculis peracta, legislatio in monte Sinai, mirabilis esca Israëlitis in deserto subministrata, eorundemque

(1) Gen. 45, 5 etc. (2) Hebr. 11.

ingressus in terram promissam praeclara sunt divinae gubernationis argumenta. Deus etiam semper se electi populi tum protectorem, tum iudicem, modo remuneratorem, et modo vindicem ostendit, quia fata nationis laeta, aut tristia iuxta sanctionem legi appositam (3) observationi, aut praevaricationi legis accurate responderunt (v. Th. gen. § 100 - 103). Quod consilia divina ab hominibus impediri non possint, in hac epocha praeclare ostendit historia *Davidis*, qui, non obstantibus validissimis Regis *Saul* persecutionibus, ad thronum a Deo sibi destinatum pervenit. *Prophetae* denique variis temporibus missi benignam Dei sollicitudinem manifestant, corruptos mores emendandi cultumque divinum restaurandi. *c*) *In periodo christiana* ipsa Religio Christi per plurima miracula confirmata (Th. gen. § 127 etc.), celerrime per orbem terrarum propagata (ib. § 150), et mire conservata (ib. § 152) luculentissime commonstrat, quod divina Sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*. Quamvis autem Religionem Christi profitentibus copiosissimae gratiae concessae fuerint (ib. § 151), et non timoris, sed amoris lex annunciata sit; complura tamen exempla commonstrant, Deum etiam in hac periodo iustitiam suam vindicativam sat manifeste exercuisse. Hanc exercuit in Religionis suae adversarios Iudaeos, quorum urbs devastata, templum dirutum, gens dissipata fuit (ib. § 139), et in Imperatores ethnicos, Christianorum persecutores, qui omnes miserrime perierunt, uti ostendit *Lactantius* l. de morte persecutorum. Ipsi quoque Christiani propter invalescentem morum corruptionem tremenda Dei iudicia ex-

(3) Deut. 29 etc.

perti sunt. Sic maximas calamitates, quas romanum Imperium per incursiones barbarorum perpessum est, Christianorum peccatis adscribere Ss. Patres non dubitarunt, inter quos eminent S. *Augustinus* (1) et *Salvianus* (2). Graviores cunctis temporalibus aerumnis fuere hincinde spirituales poenae, ob gratiarum abusum et depravatos mores nonnullis populis inflictae, qui saluberrimo orthodoxae fidei lumine privati sunt, quod plerumque eodem fere tempore aliis nationibus affulgere coepit, iterum verificato dicto Christi de Iudaeis primum prolato: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* (3). Praecipuum vero divinae gubernationis argumentum est Romana S. Petri Sedes, quae non obstantibus dirissimis persecutionibus, et plurimis ad illam confringendam adversariorum conatibus per tot saecula immobilis persistit, divini Redemptoris promissionem adimpletam ostendens: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (4). — Haec indigitasse sufficit, ut appareat, historiam ecclesiasticam non obiter perlectam, sed attente consideratam ad divinam gubernationem cognoscendam plurimum conferre.

4. Sicuti *ratio* ex pulcherrimo, qui in toto Universo cernitur, ordine Dei existentiam probat (v. Th. gen. § 29); ita ex huius ordinis stabilitate necessario concludit, totum Universum continuo ab eodem omnipotente, sapientissimo et benignissimo Numine gubernari. Huius argumenti vis clarius patebit, si, quomodo Deus mundum gubernet, attente perpendatur.

(1) In cel. op. de Civ. Dei.
(2) In libris de gubernatione Dei
(3) Matth. 21, 43. (4) Matth. 16, 18.

II. *Gubernationis modus.*

§ 258. Non sine magna animi voluptate illustrium hominum facta pensantur, qui eximia prudentia procedentes per idonea media nobiles fines consecuti sunt. Quanto magis summa cordis laetitia perfundi debemus, infinitae Sapientiae operationes considerantes? — Verum equidem est, iudicia Dei incomprehensibilia esse, et sapientissimum divinae gubernationis modum a mente nostra limitata perfecte perspici nullatenus posse (§ 248, n. 6). Sed tamen multa hac de re per ipsam rationem cognoscere valemus, et alia per Revelationem nobis manifestata sunt, ita ut divini Gubernatoris sapientiam nunquam satis admirari possimus. Rationis ergo, et multo magis Revelationis lumina sequentibus considerare licet, quomodo divina gubernatio tam *in mundo physico*, quam *in mundo morali* sapientissime procedat.

A. *In mundo physico.*

§ 259. Per mundum physicum intelligitur complexus omnium entium creatorum ratione carentium. Entia ista pathologico modo, seu per vim necessitantem, uti astra, plantae, arbores, etc., aut etiam per instinctus, uti animalia ad fines suos partiales diriguntur, non solum ut vita hominum sustentetur, sed et ut spiritui hominum perfectiones divinae manifestentur, ut illi per hanc manifestationem ad Deum colendum amandumque excitentur, et sic finis totalis, id est, gloria Dei promoveatur. Sapientissima haec Dei gubernatio ex attenta mundi physici consideratione facile cognoscitur.

1. Si ad astra oculos extollamus eorumque motum, naturam et effectus consideremus, satis conspicua nobis redditur omnipotentia, sapien-

tia et bonitas Dei, qui *statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi; praeceptum posuit, et non praeteribit* (1). Aut quis coelestia corpora non miretur, quae licet mole maxima sint, nihilominus tali sunt ordine disposita, et ita a se distant, ut unum alteri impedimento esse non possit? — Eam perpetuo retinent ab orbe nostro distantiam, qua continuis influxibus nobis prodesse quidem, obesse autem minime valeant. Quamvis singula pernicissimo motu agitentur, praescriptam tamen propriis motibus lineam adeo constanter affectant, ut ne latum quidem unguem ab illa recedant. Singula peculiari sibi proprioque motu tum circa suum axem, tum circa corpora alia revolvuntur, nec alterum tamen impingit in alterum, aut alter alterius motum retardat. Hinc recte *M. T. Cicero* (2) ait: « Quis tam certos coeli motus, tam gratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget, in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cum autem impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias cum summa salute et conversatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam summa ratione? » — *Theodoretus* etiam in solis siderumque natura nonnulla commonstrat, quae nostram admirationem merentur; nam, ait (3), « Cum tantus circa coelum ignis volvatur, solis nimirum, lunae et reliquorum siderum, tot tamen annorum evolutionibus nec (corpus quoddam coeleste) liquefactum funditur, nec arescit, nec incensum ardet, quamvis hasce vires ignis natura a Creatore acceperit, ut aurum et argentum, ferrum, etc. quaecunque alia dissolvat. Atqui nihil horum coeli natura patitur. Nec enim quod in ea glaciale apparet, liquefactum funditur, cum tanta adsit illi ignis copia... nec sphaericam, quae in eo est, figuram difformem, vel inaequalem reddit, sed quem primo situm accepit, eundem in finem usque conservat. » Urget idem argumentum ex sole, caeterisque sideribus, « quae coelo terga vertisse, et radios suos deorsum emittere videmus, quod tamen est contra ignis naturam, qui semper sursum tendit. Creatori enim obediunt, et leges ab ipso statutas observant... » Dein, beneficos astrorum effectus recenseus, ait: « Et hic quoque Dei providentiam inspice, quae soli et lunae... non modo hominibus faces praeferre iubet, sed et temporis divisiones et spatia absolvere. Exoriens enim sol diei auctor est: occidens vero... nocti cedit, cuius caliginosas tenebras lunae et stellarum beneficio ille rerum Conditor temperat. » Imo, ut scribit *Lactantius* (4), Deus solem et sidera alia « moveri voluit, et tam varie moveri, ut non modo lucis et tenebrarum mutuae vicissitudines fierent, quibus laboris et quietis alterna spatia constarent; sed etiam frigoris et caloris, ut diversorum temporum vis ac potestas vel generandis, vel maturandis frugibus conveniret. » Praeterea, ut observat *Nemesius* (5), providentiam divinam contestatur « ordo eorum, quae sunt, perpetuo eodemque modo servatus; nec non siderum

(1) Psalm. 148, 6. (2) L. 2 de nat. deor.
(3) Serm. I de provid.
(4) L. 2 instit. c. 5.
(5) De nat. hom. c. 42.

motus varietate carens; anni circuitus; tempestatum reversio; noctium ac dierum anniversaria aequalitas, utrisque vicissim paribus intervallis, ac neque maioribus, neque minoribus, aut crescentibus, aut diminutis: haec, inquam, omnia quomodo semper eadem ratione gubernata permanerent, si nullus esset, qui provideret? » — Optime sane Propheta exclamat: *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum* (1).

2. Si ad tellurem, quam inhabitamus, oculos convertamus, tot tantaque in ea portenta conspiciuntur, ut copia et varietate mentem propemodum obruant. Sufficiat primaria elementa considerare, quae quo magis necessaria sunt, eo maiori solertia conservantur, et, ut fini suo satisfaciant, gubernantur. Quid si deficeret *ignis?* nonne aut misere viverent homines, aut interirent? igne metalla liquescunt ad artium conficienda instrumenta; igne fovetur ars medica ad corporum servandam incolumitatem; igne mensa paratur, et frigoris rigores fugantur et tenebrae. — *Aqua* ad usum quid commodius, quid aptius? plantae, arbores, prata, flores aqua servantur et crescunt; bruta hominesque sitim extinguunt; et plura natantia aquam tanquam propriam domum inhabitant. Miro etiam modo elementum istud ubique diffusum cernitur; quod observat *Theodoretus* (2), dicens: « Considera simul et fluctuum saltus, et providentiae fraenum, quod illis iniectum est, inspice, quo nimirum impediti terras inundare nequeunt, sed dum contra arenam impetuose feruntur, positos sibi terminos pertimescunt... Quis fluviorum fluenta urget? quis fontium venas impellit? Ecce enim ut illi hic quidem in summis scateant montium verticibus, et aquas deorsum ex superioribus effundant... Ne enim hanc aquarum naturam esse arbitreris, ut sua sponte in altum tendat... sed aqua Dei verbo obediens summos montium vertices facile occupat. » — Divinae providentiae argumentum est etiam *aër*, qui, cum ad respirandum et vivendum hominibus et animalibus maxime necessarius sit, Deo disponente, ubique diffusus invenitur, et quia per respirationem corrumpitur, per continuas motiones aliaque media purgatur. Optime aërem finibus suis accommodatum esse, ex eo quoque patet, quod corporum coelestium lucem et vim ad terras transmittit, ad oculos colores, sonos ad aures, ad nares advehit odores, nubes calore solis sursum advectas sustinet, easdemque in salutiferum imbrem solutas guttatim ad terrae foecunditatem remittit. Denique quanta est fertilitas *terrae?* — Haec nedum in sua superficie homines ac animalia sustinet, sed intra materna viscera, quantum satis est, semen excipiens, illud fideliter servat, amicissime nutrit et explicat paullatim, donec solis revertente calore maturos fructus in hominum ac animantium sinum effundit. Et quis varias plantarum arborumque species enumerare, quis earundem venustatem et utilitatem describere valet? — Vel ipsi considerentur flosculi, cuius generis multitudo quotidie pedibus teritur. Tanta eorum quisque solertia atque arte in singulis suis partibus formatus est, ut vel peritissimus artifex simile aliquid facere nequeat, tanta colorum venustate et lepore praeditus, ut praestantissimus pictor in imitando laboret. Quanta vero ars in tantulo fici grano, aut acino vinaceo, aut frugum caeterarumque stirpium minutissimis seminibus profusa conspicitur, in quibus immanes trunci

(1) Ps. 18, 1. (2) Serm. 2 de prov.

et rami, qui deinceps explicantur, iam omnes delineati insunt, et velut in exiguum angustumque conclusi? — Omitto caetera quae, utpote grandiora et spectabiliora per se contuentibus, admirationem ingenerant. Ex omnibus profecto omnipotentis, sapientissimi ac beneficentissimi Numinis gubernatio clarissime resplendet.

3. Maxime autem admirari debemus modum, quo Deus bruta animantia per instinctus gubernat. Quamvis enim animalia ratione careant, et scientia ac consilio non utantur, mirabilis tamen est in plerisque solertia et industria in vita tuenda, in procurando pabulo, in quaerendis, aut fabricandis latibulis, ac nidis, in evitandis periculis, in persequendis ac captandis aliis. Quae quidem uti sine summa ratione et excellenti sapientia, quae nulla, ut dixi, inest ipsis, fieri non possunt praesertim tam certo, atque constanter; ita supremum esse clamant moderatorem aliquem, cuius ad singula quaeque gubernanda et dirigenda vis et providentia pertineat. Egregie hac de re disserit S. *Ambrosius* (1), scribens: « Omnia penetrat divina sapientia, implet omnia; idque locupletius ex irrationabilium sensibus, quam ex rationabilium disputatione colligitur. Validius est enim naturae testimonium, quam doctrinae argumentum. Cuique animanti cognitum est, quemadmodum suam tueatur salutem, si virtus suppetit, resistendo; si velocitas, fugiendo; si astutia, praecavendo. Quis eas usum medendi, herbarumque docuit habere notitiam? Homines sumus, et saepe specie herbarum fallimur, et plerumque quas salubres putamus, noxias reperimus... Ferae solo norunt odore noxia et profutura discernere; nullo praevio, nullo praegustatore carpitur herba, nec laedit. Melior enim magistra veritatis natura est. » Plura, quae mirabilem instinctum animalibus inditum ostendunt, refert *S. Basilius* (2) et *Theodoretus* (3). — Quod si maxima emolumenta consideramus, quae homo ex animalibus capit, merito cum Propheta stupentes de Dei erga hominem bonitate exclamamus: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves, et boves universas, insuper et pecora campi; volucres coeli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra* (4)!

Nota. Ex dictis patet, entia ratione carentia ita a Deo gubernari, ut leges sibi praefixas necessario observent; quapropter dicitur: *Omnia haec vivunt, et manent in saeculum, et in omni necessitate omnia obaudiunt ei* (5). Necessitatem autem hanc illis imponit omnipotens et liberrima voluntas Dei, quae est suprema omnium legum physicarum causa. Deus ergo legibus, quas ipse naturae praescripsit, nullatenus subest, et per omnipotentiam suam tales effectus producere potest, qui naturali causarum secundarum ordini repugnant, et ideo *miracula* dicuntur. Haec quoque ad divinae gubernationis sapientiam pertinent, quoniam in istis Deus clare manifestat, se legibus physicis non subiici, et vires naturae uno voluntatis nutu superare posse. Perbene idcirco *Nemesius* (6) docet, « Deum sub necessitatem non cadere, neque voluntatem illius necessitati parere, cuius est auctor ipse. Cum enim potestas sit, et natura potestate praedita, nihil neque naturae agit necessitate, neque legis obligatione constrictus; eique contingentia sunt omnia etiam quae necessaria sunt.

(1) L. 9 Hexaem. c. 4.
(2) Hom. 7 et 8 in Hexaem.
(3) Serm. 5 de prov. (4) Ps. 8, 8, etc.
(5) Eccli. 42, 24. (6) L. c. cap. 38.

Quod ut monstraret aliquando cursum repressit solis et lunae, tametsi necessario et eodem semper modo ferantur; ut ostenderet, nihil sibi necessario fieri, sed omnia pro potestate esse contingentia. » Eodem modo *S. Thomas* (1) docet quidem, ordinem generalem, in mente divina ab aeterno stabilitum, mutari non posse, quia nec praescientia Dei falli, nec voluntas eius mutari potest; sed postea addit: « Si vero consideretur rerum ordo prout dependet a qualibet causarum secundarum, sic Deus potest facere praeter ordinem rerum; quia ordini secundarum causarum ipse non est subiectus, sed talis ordo ei subiicitur quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset enim et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest praeter hunc ordinem institutum agere cum voluerit, puta agendo effectus secundarum causarum, sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae se non extendunt. Unde et *Augustinus* (2) dicit, quod Deus contra solitum cursum naturae facit, sed contra summam legem nullo modo facit, quia contra seipsum non facit. »

B. *In mundo morali.*

§ 260. Mundum moralem constituunt entia intellectu et libera voluntate praedita, quales sunt Angeli et homines. Gubernatio divina, quae circa Angelos tum bonos, tum malos obtinuit, iam explicata est Sect. I, cap. 3. Hic de solis hominibus sermo instituetur. Dubitare autem non licet, quod homines etiam quoad actus suos liberos divinae subsint gubernationi. Praeclare id ostendit *S. Thomas*, qui (3) sibi obiicit: « Quicunque dimittitur sibi, non subest providentiae gubernantis alicuius. Sed homines sibi ipsis dimittuntur a Deo secundum illud Eccli. XV: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui...* ergo homines divinae providentiae non subsunt, » ac postea ita respondet: « Ad quartum dicendum, quod in hoc quod dicitur, Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo a divina providentia, sed ostenditur, quod non praefigitur ei virtus operativa determinata ad unum sicut rebus naturalibus, quae aguntur tantum quasi ab altero directae in finem, non autem seipsa agunt quasi se dirigentia in finem, ut creaturae rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur et eligunt. Unde signanter dicit: *in manu consilii sui*. Sed quia ipse actus liberi arbitrii reducitur in Deum sicut in causam, necesse est ut ea, quae ex libero arbitrio fiunt, divinae providentiao subdantur. Providentia enim hominis continetur sub providentia Dei, sicut causa particularis sub causa universali. » Difficillimum autem profecto est explicare modum, quo Deus in liberas hominis actiones influit easque gubernat, et si generatim operationes divinae a mente limitata perfecte comprehendi non possunt (§ 248, n. 6), id praecipue de divina entium liberorum gubernatione dicendum est. Interim omnino certum est, hominem in actionibus suis liberum esse, et quidem immunem non solum a coactione, sed etiam a principio interno necessitante, ac vera libertate indifferentiae gaudere (§ 199). Et certum pariter est, ut ex dictis patet, omnia divinae providentiae subesse, seu omnia a Deo conservari et gubernari. Cum autem veritas veritati opponi nequeat, amice divina providentia cum

(1) 1, q. 105, a. 6.
(2) L. 26 c. Faust. cap. 3.
(3) 1, q. 22, art. 2, n. 4.

humana libertate consistit, et ob ignorantiam modi, seu nexus intrinseci neutram ex veritatibus certis negare licet. — Imo, quamvis nexus iste seu modus perfecte explicari non possit, multa tamen hac de re per divinam Revelationem patefacta sunt, quae attente considerantes facile perspicimus, in ipsa hominum liberorum gubernatione infinitam Dei sapientiam vel maxime conspicuam reddi, quod ex dicendis apparebit.

1. Imprimis certum omnino est, Deum humanae libertatis auctorem seu creatorem esse. Voluit enim Deus, ut homo libere moralitatem exercens, felicitatem consequatur (§ 202), et sic excellentissimo modo gloriam Dei promoveat. Eadem vero voluntas Dei, quae hominem liberum constituit, et declaratum finem eidem praefixit, hominem etiam conservat et gubernat. Tantum ergo abest, ut conservatio, aut gubernatio divina humanam libertatem aut tollat, aut imminuat, ut potius ipsa hominis libertas sicut creanti, ita etiam conservanti et gubernanti voluntati divinae adscribenda sit. Sicuti ergo homo liber factus est, quia Deus creans eum liberum esse voluit, ita etiam homo viator liber manet, quia Deus conservans et gubernans eum liberum in statu viae esse vult. Ideo S. *Augustinus* (1) ait: « Voluntates nostrae tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque praescivit: et ideo quidquid valent, certissime valent, et quod facturae sunt ipsae, omnino facturae sunt; quia valituras atque facturas ille praescivit, cuius praescientia falli non potest. » Et (2) de divina gubernatione dicit: « Sic administrat omnia, quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat. Quamvis enim nihil esse possit sine ipso, non tamen sunt illa quod ipse. » Et S. *Thomas* (3) inquit: « Effectus divinae providentiae non solum est aliquid evenire quocunque modo, sed aliquid evenire vel contingenter (i. e. libere), vel necessario. Et ideo evenit infallibiliter et necessario, quod divina providentia disponit evenire infallibiliter et necessario; et evenit contingenter, quod divinae providentiae ratio habet, ut contingenter eveniat. » Divinum hunc operandi modum perfecte non comprehendimus, quoniam nos acceptam quidem indifferentiae libertatem exercere, nullatenus autem eandem in nobismetipsis, vel in aliis producere valemus: ast hac ipsa de causa confiteri obligamur, omnipotentiam et infinitam sapientiam Dei sicuti ex creatione, ita etiam ex conservatione et gubernatione libertatis humanae excellentissimo modo manifestari. — Imo cum libertas hominis per peccatum originale nullatenus quidem extincta, sed tamen imminuta et vulnerata fuerit, Deus illi subvenit per gratiam Redemptoris, quae autem, ut inferius ostendetur, liberum arbitrium non tollit, sed reparat.

2. Sicut entia ratione destituta per vim necessitantem, ita entia libera per *leges* ad fines suos diriguntur. Ideo Deus hominibus, quos modo naturae ipsorum prorsus consentaneo gubernat, leges dedit. Imprimis iam legem *naturalem* hominum cordibus insculpsit, ita ut per propriae rationis lumen bonum et malum discernere, ac praecipua sua officia cognoscere valeant. Praeterea etiam per supernaturalem revelationem hominibus consilia et mandata sua manifestare dignatus est. Patriarchas, quibus frequenter apparuit, paterna solicitudine erudivit. Per Moysen *legem scriptam*

(1) L. 5 de Civ. Dei c. 9. (2) L. 7, c. 30.

(3) 1, q. 22, art. 4, ad 1.

tulit, indoli populi israëlitici maxime accommodatam, et per Christum, Filium suum unigenitum, *legem evangelicam* promulgavit, ad quam omnes homines obligentur, et quam observantes perfectam moralitatem et summam felicitatem consequi possint. Cum autem nihil volitum sit, nisi cognitum, et leges, quae ignorantur, observari nequeant; Deus providentissime ordinavit, ut quovis tempore adessent, qui omnibus Gentibus leges divinas annuntiarent (1), hominibus autem illos audiendi grave praeceptum imposuit (2). Quis iam negabit, ex hac hominum gubernatione, naturae liberae apprime consentanea, divinam sapientiam et bonitatem clarissime relucere?

3. Ut homines recte agant, non sufficit, ut eorum intellectus, quid faciendum, vitandumve sit, cognoscat; sed ulterius requiritur, ut eorum voluntas ad bonum eligendum, malum vero respuendum moveatur. Idcirco nos quoque rem quamdam desiderantes, cuius concessio ab alterius arbitrio dependet, non nudam petitionem proferre, sed etiam *motiva* suggerere solemus, quibus praefati hominis voluntas ad concedendum impellatur. Cuique enim notum est, liberam hominis voluntatem per gravia, quae ipsi proponuntur, motiva ad assentiendum non quidem pathologice cogi, sed tamen fortiter impelli. - Ideo Deus quoque hominibus, ut liberas eorum voluntates a malo absterreat et ad bonum excitet, *motiva* proponit, et quidem talia motiva, ut Deo digniora, et in se graviora, ac efficaciora excogitari a nemine possint. Quapropter praecipue in istis motivis, quae per divinae Revelationis lumen proponuntur, infinitam Dei homines liberos gubernantis sapientiam aliasque perfectiones divinas admirari debemus. Id facile patebit, si haec motiva tum timoris, tum spei, tum amoris vel obiter perpendamus. *a*) Sicut parentes filios, magistri discipulos, principes subditos comminatione poenarum a vitiis retrahere et ad virtutes impellere conantur; ita Deus quoque eodem medio, liberae sed corruptae naturae apprime consentaneo, utitur, hominesque *salutari timore* a peccatis absterrere et ad vitam recte instituendam incitare satagit. Hinc ordinatione divina factum est, ut peccatum tanquam arbor mala malos fructus ferat, seu pessimos effectus producat, quales iam in hac vita sunt, amissio gratiae sanctificantis, inimicitia Dei, remorsus conscientiae, aliaque spiritualia et temporalia damna (§ 243). Huc pertinet etiam mors, quae sicut poena peccati est, ita etiam in remedium peccati ordinatur iuxta verba Eccli. VII, 40: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Sapientissime porro Deus horam mortis hominibus incertam esse vult, ut continuo vigilent, et parati sint, quia qua nesciunt *hora Filius hominis venturus est* (3). In eundem finem refertur iudicium tum particulare, in quo de omnibus cogitationibus, verbis, operibus, et omissionibus strictissima ratio reddenda est, tum universale, in quo omnia etiam occultissima scelera manifestabuntur. Denique Deus pro peccatis venialibus dirum purgatorii ignem; pro iis vero, qui peccato mortali onusti et impoenitentes ex hac vita migrant, in inferno atrocissimas et quidem in aeternum duraturas poenas stabilivit. — Hoc decretum equidem nonnullis obiter duntaxat illud considerantibus, **nimis**

(1) Matth. 28, 19 etc. (2) Luc. 10, 16.

(3) Matth. 24, 44.

durum et bonitati Dei contrarium videtur: ast si finis illius rite attenditur, facile id Deo hominum liberorum gubernatore dignissimum cognoscitur. Deus enim atrocissimarum et aeternarum poenarum comminatione motivum timoris efficacissimum, prouti infinitae sapientiae congruum est, hominibus proponit, ut ipsos a vitiis absterrens ad vitam recte instituendam compellat. Quodsi nihilominus libertate sua abutentes obstinate a recta via aberrant, Deus Decreti sui executione, seu praefatarum poenarum inflictione sanctitatem et iustitiam suam luculenter manifestat. *b*) Cum homines naturali desiderio felicitatem suam appetentes ad illas actiones facillime moveantur, de quibus magna emolumenta expectant, Deus quoque servientibus sibi virtutesque morales exercentibus maxima praemia promisit. In V. T. Deus Israëlitis mandata sua observantibus uberrimam benedictionem et bonorum temporalium affluentiam pollicitus est (1). Passim praedicatur beatitudo illius, *qui timet Dominum* (2). Promittitur *par multa diligentibus legem divinam* (3). Copiosam eleemosynae mercedem omnes fere Ss. Litterarum paginae collaudant, et etiam in N. T. Christus confirmat (4). Maioris pretii sunt spiritualia dona pro assiduo virtutum exercitio promissa. Christus enim iugum suum tollentibus suavissimam animarum requiem (5), donis acceptis recte utentibus gratias uberiores (6), se abnegantibus centuplum praemium (7) promittit. Maximi autem momenti est *copiosa merces* (8), quae servo bono et fideli in altera vita tribuitur (9). Deus enim servis suis in bono perseverantibus immensa et aeterna gaudia praeparavit, et quidem talia gaudia quorum amplitudinem, et dulcedinem mens humana capere non valet (10). Neque solae animae electorum, Deum *facie ad faciem* videntes (11), ineffabili beatitudine perfruentur, sed etiam eorundem corpora post resurrectionem (12) immortalia et splendida luce perfusa, *inebriabuntur ab ubertate domus* divinae, *et torrente voluptatis* coelestis potabuntur (13). Talia ergo sunt praemia promissa, qualia solum omnipotentia Dei praeparare, et infinita tantum bonitas concedere valet, et quae infinita sapientia revelat, ac ante hominum oculos ponit; ut liberae eorum voluntates ad perfectam, et constantem moralitatem per efficacissimum spei motivum incitentur. *c*) Ut homines perfectam moralitatem assequantur, opus est, ut non ex mero poenarum timore, nec ex sola spe praemiorum, sed ex charitate erga Deum mala devitent et bona perficiant. Ideo *maximum et primum mandatum* hoc est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua* (14). Gravissima quoque sunt motiva, quibus homines ad hoc mandatum observandum alliciuntur. Deus enim, per rationem, et multo magis per Revelationem, hominibus infinitas suas perfectiones manifestat, seque illis tanquam summum bonum omni amore dignissimum ostendit. Accedunt innumera beneficia divina: omnes enim creaturae, sicuti ad servitium, aut in alimentum, aut etiam ad delectationem hominum producta sunt, ita etiam amoris divini stimuli sint oportet. Et cum homo, ad imaginem Dei creatus paullo mi-

(1) Deut. 28, 1-14.
(2) Ps. 111, Eccli. cap. 31-35.
(3) Ps. 118, 165.
(4) Luc. 6, 38.
(5) Matth. 11, 29.
(6) Matth. 25, 29.
(7) Matth. 19, 29.
(8) Matth. 5, 12.
(9) Matth. 25, 21.
(10) 1 Cor. 2, 9.
(11) 1 Cor. 13, 12.
(12) 1 Cor. 15.
(13) Ps. 35, 9 etc.
(14) Matth. 22, 37.

nor Angelis effectus, gloria et honore coronatus, per peccatum e dignitate et felicitate sua delapsus esset, *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (1). — Infinite dilectioni Patris respondit immensa charitas Filii, qui *exinanivit semetipsum formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo* (2), imo qui factus est *vir dolorum* (3), *opprobrium hominum et abiectio plebis* (4); ac post innumeras ignominias et acerbissimos dolores, atrocissimam quoque mortem in cruce pro salute hominum sustinuit. Christus equidem, Deus et homo, per minimam actionem vel passionem, condignam pro nobis satisfactionem praestare potuissset: sed iuxta mandatum Patris totum amarissimae passionis calicem exhaurire voluit, ut suam charitatem erga nos ostenderet, et nostrum erga se amorem provocaret, et ut omnes de tanto divinae dilexionis excessu stupentes cum Apostolo dicamus: *Charitas Christi urget nos* (5). In eundem denique finem ordinatur instituta a Christo Eucharistia, in qua divinus Redemptor sub speciebus panis et vini ut socius semper nobiscum manet, ut sacrificium continuo pro nobis offertur, et ut cibus se nobis manducandum praebet. In hoc mysterio, ut loquitur *Conc. Trident.* (6): *Salvator noster - divitias divini sui erga homines amoris velut effudit;* quapropter *Sacramentum amoris* passim appellatur. — Haec considerantes fateamur oportet, talia tum suavissima, tum efficacissima amoris divini motiva nobis proponi, qualia humana ratio ne excogitare quidem unquam valuisset; atque ideo infinitam Dei homines liberos gubernantis sapientiam nunquam satis admirari possumus, et laudare.

4. Cum homines per vires naturales actum supernaturalem et meritorium pro vita aeterna perficere non valeant, et cum etiam naturales eorundem facultates per peccatum originale debilitatae et vulneratae sint; infinita Dei bonitas eisdem per supernaturalia auxilia subvenit, ut nobilissimum suum finem consequi possint. Talis autem gratia ipsis conceditur, per quam libertas nec tollitur nec minuitur. Nam liberum arbitrium a Deo motum et excitatum potest dissentire si velit; neque velut inanime quoddam nihil omnino agit, mereque passive se habet, sed vere cooperatur, Deo excitanti atque vocanti (7), ita ut opus bonum tum gratiae, tum etiam libero arbitrio recte adscribatur. In hac gratiae et liberi arbitrii coniunctione infinitam Dei gubernantis sapientiam eo magis admirari debemus, quo minus ipsum coniunctionis modum mente nostra limitata comprehendere valemus. — Quamvis porro Deus, etiam non invocatus, multas gratias concedat; alias tamen nonnisi petentibus elargitur iuxta effatum Christi: *Petite, et dabitur vobis* (8). Sic pariter varia media salutis - uti sacrificium et sacramenta - instituta sunt, ad quae homines invitantur, et ex quibus eo uberiores fructus colligunt, quo frequentius cum debita devotione ad illa accedant. Ex hac ordinatione divina ipsi menti nostrae limitatae iam clarius illucescit, quomodo Deus homines modo liberae eorum naturae prorsus consentaneo sapientissime gubernet. Certum enim est, assidue

(1) Io. 3, 16. (2) Phil. 2, 7.
(3) Is. 53. (4) Ps. 21, 7.
(5) 2 Cor. 5, 14. (6) Sess. 13, c. 2.

(7) Conc. Trident. Sess. 6, can. 4.
(8) Luc. 11, 9.

orantibus et media salutis ferventer adhibentibus multas gratias concedi, quae negligentibus denegantur.

5. Cum homines in agendo liberi sint et libertate sua abuti possint, videtur omnino contingere posse, ut per actiones externas fines a Deo stabilitos evertant, e. g. ut aliquem occidant, cui Deus longiorem vitam concedere decrevit. Sed absit, ut admittamus, per impias hominum actiones absoluta Dei consilia perturbari posse. Facile enim est omnipotentiae et sapientiae divinae, actus externos, consiliis suis contrarios, illaesa libertate, impedire. Sicut enim homines alios suasionibus a malo quandoque retrahere valent, ita multo magis Deus internis luminibus et gratiis malam voluntatem aut immutare, aut alio deflectere potest. Quod si homo in malo obstinatus maneat, potest Deus immediata sua efficientia actum externum impedire, aut adimendo vitam peccatori, uti in *Pharaone* et Aegyptiis Israëlitas persequentibus factum est (1), aut peccati occasionem removendo, uti in *Saule*, e cuius manibus David per fugam ereptus est (2); aut maiorem potentiam opponendo, uti *in Absalone* per validiorem Davidis exercitum profligato (3); aut sensuum usum auferendo, quod experti sunt *Sodomitae*, Angelis inique insidiantes (4); aut per miraculum vitam in periculis conservando, quod in *Daniele* misso in lacum leonum, et *in tribus pueris* in fornacem ignis proiectis evenit (5); aut aliis modis, in quibus omnibus omnipotens et sapientissima Dei gubernatio se manifestissime prodit.

6. Frequenter equidem Deus permittit, ut mali perversorum hominum actus compleantur: Sed nullatenus ideo divina gubernatio obscuratur. Nam, ait *S. Augustinus* (6): « Deus melius iudicavit de malis bene facere, quam nulla mala esse permittere. » Deus quippe etiam in peccatorum, seu perversorum hominum gubernatione perfectiones suas manifestat, nimirum patientiam, dum eos diutissime tolerat; misericordiam, dum eos benignissime ad poenitentiam vocat; clementiam, dum poenitentibus peccata remittit; aut iustitiam, dum impoenitentes punit et damnat. Imo admirabilis Dei sapientia persaepe efficit, ut ipsi actus mali, libera iniquorum hominum voluntate positi, in aliorum bonum cedant et ad consilia divina implenda conferant. Sic invidia filiorum Iacobi fratrem suum vendentium huius exaltationem promovit. Dura servitus, qua in Aegypto Israëlitae iniustissime opprimebantur, effecit, ut isti liberationem ardenter desiderantes prompto animo Moysen in desertum sequerentur. Blasphema Goliathi arrogantia occasio fuit Davidis virtutem manifestandi. Impiissimum Iudaeorum odium Christo intulit mortem, per quam genus humanum redemptum est. Immanis tyrannorum in Christianos saevientium crudelitas plurimos ad splendidissimas martyrii coronas perduxit. Praeclare ideo *S. Augustinus* (7) scribit: « Ne putetis, gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. »

Nota. Multa, quae in decursu Theologiae fusius pertractanda sunt, breviter hic indigitata fuerunt, tum ut sapientissima mundi moralis gubernatio ostendatur, tum etiam ut appa-

(1) Ex. 14, 27. (2) 1 Reg. 19.
(3) 2 Reg. 18. (4) Gen. 19, 11.
(5) Dan. 6, 21 et 3, 24 etc.

(6) Enchir. cap. 27.
(7) Enarr. in Ps. 54 ad v. 1

reat, quomodo veritates theologicae intime inter se connectantur, omnesque ad unum eundemque nobilissimum finem collineent, nimirum ad moralitatem hominis promovendam, et ultimato ad gloriam Dei manifestandam.

CAPUT II.

TRACTATIO POLEMICA DE PROVIDENTIA DIVINA

§ 261. 1. Circa doctrinam de providentia divina nonnulli turpiter aberrarunt. *Epicuraei* dictitarunt, Deum deliciis cunctis abundantem de terrenis rebus curam nullam gerere, atque ita, ut ait *Salvianus* (1), « sicut voluptatem cum virtute, sic Deum cum incuria ac torpore iunxerunt, » ac varios eventus in hoc mundo casui fortuito adscripserunt. *Dualistae,* ut bonorum et malorum originem explicarent, duo summa principia admiserunt, docentes, principium malum se Dei boni consiliis continuo opponere, opera ipsius corrumpere, et praesertim in materiam dominari: impiam et vesanam hanc sententiam (§ 61) in aevo christiano amplexati sunt *Marcionitae* et *Manichaei*, qui de Dei omnipotentia et dominio male sentientes inter divinae providentiae adversarios merito numerantur. Ad hos etiam spectant illi, qui res omnes, imo ipsum quoque Deum, *ineluctabili fato* subiecerunt: iste gravissimus error, qui ipsam divinitatem destruit, communiter tribuitur *Stoicis*, eumque clare tradit *Seneca* (2), scribens: « Scio, omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere. Fata nos ducunt... causa pendet ex causa... Quidquid est, quod nos sic vivere iussit, sic mori, eadem necessitate et Deos alligat: irrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit. » Caeterum nonnulli existimarunt, Stoicorum fatum a Christianorum providentia non differre (3). *Aristoteles* asseruit, divinam providentiam ad sublunaria se non extendere, eundemque errorem a nonnullis Christianis adoptatum fuisse, non obscure indicant Ss. Patres: sic *S. Cyrillus Hier*. (4) dicit, « quosdam potestatem Dei in coelum tantum, non vero in terram extendi existimasse » (5). — *M. T. Cicero*, quamvis caeteroquin praeclare de divina providentia scriberet, ab hac tamen humanas actiones excepit, quoniam non intellexit, quomodo, illa posita, hae liberae esse possint: « ex hac ratione, ait *S. Thomas* (6), videtur motus fuisse *Tullius*, qui res humanas, de quibus consiliamur, divinae providentiae subtraxit. » — Recentioribus temporibus divinam providentiam penitus negarunt *Thomas Hobbes* et *Voltaire*, qui asserere non veruit, homines aeque a Deo curari, ac a nobis mures, qui agris nostris discurrunt: similia etiam alii pseudo-philosophi deblaterarunt (7). His accensendi sunt *Naturalistae*, qui omni Dei influxu secluso, solis viribus et legibus naturalibus cuncta adscribunt. Huic errori affinis est sententia eorum, qui conservationem negativam tantum admittunt, eamque in eo consistere dicunt, quod Deus mundum non destruat, prout senserunt ex Arminianis *Limborchius* et *Episcopius*, ex Fanaticis *Petrus Poiret*, ex Socinianis *Osterodus* et alii (8). Inter infensissimos divinae providentiae bostes numerandi sunt *Pantheistae*, qui cum *Spinoza* omnia ex necessitate naturae evenire, cum *Schelling* Deum ipsum ex natura explicari,

(1) L. 1 de Gubern. n. 1.
(2) L. de provid. c. 5.
(3) V. Wiest t. 4, § 493. (4) Catech. 7.
(5) Cf. S. Ambros. lib. 1 de offic. c. 13. S. August. l. 5 de Gen. ad litt. c. 21.
(6) 1, q. 22, art. 2 ad 4.
(7) V. Wiest § 492. (8) V. Wiest § 490.

et in perpetuitate mundi seipsum nonnisi contiuuo producere, cum *Hegel* Deum in homine duntaxat sui conscium fieri dicunt, et sic omnem divinae providentiae ideam penitus evertunt

2. Contra doctrinam de providentia divina multae iam difficultates motae fuerunt, et quidem hincinde tales difficultates, quae primo aspectu graves videntur, et imperitos in dubia, vel errores pertrahere possunt. Sedulo idcirco iuxta Ss. Patrum et celeberrimorum Theologorum exempla adlaborandum est, ut fallacia sophismata diluantur, quibus sapientissima et benignissima Dei providentia impugnatur et obscuratur. Nam, ait *Theodoretus* (1), « decet omnino, ut nos qui et hoc ipsum, quod sumus, et quod incolumes et salvi sumus, ab ipso accepimus, impiis, quae illum conviciari audent, linguis nostras opponamus, et piis rationibus impios illorum sermones retundamus, non quidem ut tanquam indigo nostri opem feramus... sed ut nostram erga hunc testemur benevolentiam... sicut pro parentibus liberos, pro dominis servos, pro civitatibus cives, pro regibus satellites... natura pugnare iubet. » Obiectiones autem solvendae tum *ex malis in genere*, tum *ex variis aliis capitibus in specie* desnmi solent.

(1) Ser. 1 de prov.

ARTICULUS I.

Obiectio contra providentiam divinam ex malis in genere petita.

§ 262. Nemo inficias ibit, plurima in hoc mundo mala inveniri. Homines enim variis incommodis subiiciuntur, magnis quandoque calamitatibus premuntur et doloribus frequenter cruciantur, ita ut Iob XIV, 1 dixerit: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*. Praeterea numerari non possunt, quae ab hominibus patrantur, iniustitiae, furta, blasphemiae, impudicitiae, adulteria, aliaque tum leviora peccata, tum gravissima delicta. Ex hac malorum multitudine et gravitate ita arguunt adversarii: Si Deus non cognoscit haec mala, non est omniscius; si ea cognoscit et non potest tollere, non est omnipotens; si potest, sed non vult ea tollere, non est infinite bonus; quidquid dicatur, neganda est providentia, vel etiam ipsa existentia Dei. Antiquissima est haec cavillatio; iam enim *Epicurus*, ut divinam providentiam impugnaret, ita, teste *Lactantio* (2), argumentatus est: « Deus aut vult tollere mala, et non potest; aut potest, et non vult; aut neque vult, neque potest; aut et vult et potest. Si vult, et non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit; si potest, et non vult, invidus, quod aeque alienum a Deo; si neque vult, neque potest, et invidus et imbecillis est, ideoque neque Deus, si vult et potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit? » Addit hic *Lactantius*, plerosque Philosophorum, qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari solere, et invitos pene adigi, ut Deum nihil curare fateantur, quod maxime quaerit Epicurus. Eandem obiectionem proposuit *Marcion*, uti patet ex *Tertulliano* (3), et *Manichaei* variis eam modis urgere non destiterunt. Denique illam ex orco revocavit *Baelius*, et malitiosis argutiis invidiosisque exemplis sustentare conatus est, ut providentiam ac ipsam existentiam Dei dubiam redderet, et primaria Religionis fundamenta concuteret: mul-

(2) L. de ira Dei c. 13.
(3) L. 2, c. Marcion. cap. 5.

tos quoque nactus est impius auctor sectatores, qui iisdem armis Religionem impugnant, indigitatam difficultatem continuo recoquentes.

I. *Varia conamina ad obiectionem istam refellendam.*

§ 263. 1. Iam antiqui Philosophi ethnici Epicuraeis se opposuerunt, eorumque captiosa argumenta diluere conati sunt, sed irrito plerumque studio, imo, ut ab uno errore se eximerent, in alium persaepe prolapsi sunt, § 235, n. 3 (1). Feliciori successu aevo christiano adversarii oppugnati sunt. *Tertullianus*, ut Marcionitas contereret, mala moralia, ex quibus physica nata sint, naturae libertatis primi hominis tribuit, quam illi adimi, aut vi adigi, Deo indignum censet. Sine libertate negat Deum decuisse homines creare; neque, libertate posita, non dare legem. Idcirco obiicienti Marcioni: « At enim, non ita ille (homo) institui debuit, si libertas et potestas arbitrii exitiosa futura esset; » respondet (2): « Ita omnino institui debuisse. Oportebat Deum cognosci, bonum hoc utique et rationale. Oportebat dignum aliquid esse, quod Deum cognosceret... Oportebat igitur imaginem et similitudinem Dei liberi arbitrii, et suae potestatis institui: » hinc concludit, sapientiae divinae consentaneum fuisse, hominem liberum creare. Quum autem quod rationi divinae consonum est, id bonitati contrarium esse nequeat; si homo liber divinae sapientiae et rationi conformis est, est et bonitati; unde Deus, libertatem homini concedens, et propter illius abusum mala physica ordinans, tanquam invidus carpi nullatenus potest. Simili argumentatione *Origenes* Celsi obiecta refutavit. *Lactantius*, ut Epicuri dilemma solveret, hac argumentatione utitur (3): « Deus, inquit, potest quidem auferre mala, sed non vult; nec ideo tamen invidus est: idcirco enim non tollit, quia et sapientiam, qua bonum et malum discernere possit, homini tribuit: sublatis vero malis, inutilem esse sapientiam, nec ulla in homine virtutis remanere vestigia, cuius ratio in sustinenda ac superanda malorum acerbitate consistit. »

2. Providentiam divinam contra *Baelium* defendendam suscepit *Wilh. Kingius*, Archiepiscopus Dublinensis, in libro *De origine mali* (4). Hic pro principio statuit, nullam rem, quae facta est, infinitam esse posse; siquidem sunt inter se pugnantia, ab alio esse, ac infinitatem naturae habere: finitae ergo, circumscriptaeque singulae sunt mundi res. Sed et multiplices sunt distintaeque, ac mirabiliter variae, quod necessario ipsa mundi pulcritudo requirit, quae prorsus evanesceret, si omnia ex uno elemento constarent, vel unicam rerum speciem complecterentur. Hinc omnibus creaturis duplex *non entitas*, ut loquitur *Kingius*, competit, seu cunctae res duplici ex ratione finitae sunt, quod nec a se sint, singulisque ea desint, quae sunt in aliis. Ex ipsa autem rerum universi inaequalitate et varietate uno ordine, unaque totius lege ita comprehensis, ut aliae in alias agant, et aliae aliis serviant, oriuntur naturae contentiones, ictus, generationes, corruptiones, caeteraque physica, ut appellantur, mala, quae entibus creatis ita necessaria sunt, ut esse sine eis nullo modo possint; velut triangulus esse, aut concipi baud potest sine tribus angulis. Immerito ergo vel Deus ob mala physica culpatur, vel materia

(1) Cf. Ant. Genuens. Discipl. metaphys. elem. T. 5, Diss. 4 de origine mali.
(2) L. 2 c. Marcion. c. 6.

(3) L. c.
(4) Dubl. 17..

in se mala adstruitur, cum ea in entibus finitis, multiplicibus et arctissimo nexu inter se coniunctis necessario inveniantur. Idem dicendum est de malis moralibus, quae in creaturis rationalibus inveniuntur. Cum earundem mens finita sit, fieri nequit, ut ista omnes intelligendi et appetendi modos, qui infiniti sunt, perspiciat; ut omnes cum rebus omnibus respectus, ordineque comprehendat, ut in tantis infinitatibus plane aperteque semper videat, quid sibi naturaeque suae consentiat, quid adversetur: hoc creatarum rerum conditionem excedit, pugnat cum earum finitione. At haec et ignorantiae radix est et errorum scatebra: quae vero errorum causae sunt, ea sunt etiam stultarum appetitionum actionumque a natura dissidentium fontes. Accedit, quod voluntas, pariter finita, sui iuris sit, a ratione cogi nequeat, imo in hanc dominari satagat, molesta refugiat, et in iucunda feratur: unde fieri nullo pacto potest, ut non saepe extra virgulam petulans ac effraenis prosiliat. Tribus quidem modis inordinationes istae morales impediri possent; nimirum si Deus vel non conderet naturam libertate praeditam, vel omnipotentiae suae vires exsereret ad libertatis abusum impediendum, vel humanum genus in alio constituisset loco, in quo non habuisset occasionem eligendi malum. Ast hi tres modi Deo indigni sunt, qui in tota rerum universitate etiam entia libera existere, sapientissime voluit: Deo autem conveniens erat, ut per leges homines dirigeret, legibus sanctiones apponeret, et mala physica ita ordinaret, ut liberum arbitrium a recta via aberrans, coërcerent. Haec autem omnia Deus sapientissime constituit, atque ideo mala moralia et physica huius mundi divinae providentiae non repugnant, sed illam potius commonstrant. Ulterius *Kingius* asseruit, talem esse inter totius Universi entia gradationem, ut haec eo perfectiora sint, quo propinquius ipsi throno Dei, seu centro unitatis collocata fuerint; tellurem vero nostram ab illa maxime distare, in infima parte collocatam, in quam proinde vitiis et miseriis subiecti reponuntur: unde illam totius mundi cloacam, ergastulum, seu valetudinarium appellare non dubitavit. Exinde inferre studuit, ex telluris nostrae constitutione providentiam divinam diiudicari non posse, quae ex caeteris Universi partibus clarissime relucet, cum quibus terra nostra comparata velut punctum evanescit. — Haec elucubratio *Kingii* a nonnullis quidem magnis laudibus excepta fuit, sed plurimis iure displicuit, quia quaestionem de origine mali haud sufficienter solvit, sed magis implicat. Redolet etiam pelagianismum, quia mala physica non tanquam effectus peccati originalis, sed tanquam necessariam naturae finitae conditionem proponit. Affinis est etiam manichaeismo et praedestinatianismo, quia homo ex ipsa conditione naturae finitae erroribus et vitiis subiectus dicitur, et de efficacia gratiae, quae hominem rectum constituere valet, nec verbum profertur. Denique renovari videntur errores Origenis, dum vitiis dediti in hanc terram ceu in ergastulum, aut in valetudinarium reponi dicuntur (1).

3. Contra Baelium *Leibnitius* quoque Theodicaeam elaboravit, quam sequentibus principiis superstruxit. Nihil in Deo non infinitum est, ergo et bonitas et sapientia. Illa infinita sui foecunditate ac ubertate naturae

(1) V. Ant. Genuens. l. c. pag. 383-397, ed. Venet. 1786

extra se aliquid producere amat, nec nisi bonum pleneque bonum, quo nimirum bono nihil possit esse melius efficere vult. Haec interna est ac aeterna causa, qua Deus permovetur, ut rerum aliquam universitatem procreet. Sed bonitas non caeco modo, seu sine intelligentia, ratione, arte procedit, verum sapientia regitur. Iam vero ex omniscia et omnipotenti Dei natura infiniti mundi prodire possunt, quin et hic noster infinitis variisque modis. — Aeque boni perfectique omnes esse nequeunt; neque enim alias varii diversique essent: est igitur alius alio melior atque perfectior. At perfectissimum optimumque omnium spectat summa bonitas; hunc ex infinitis possibilibus eligit, hunc vult, hunc omnipotentia efficit. Dubitari ergo nequit, hunc mundum optimum esse, atque idcirco etiam sapientiae et bonitati divinae convenientissimum esse, mala illa physica et moralia permittere, quae in hoc mundo reperiuntur. Haec quidem nos non perspicimus, et non raro existimamus, multa meliora et perfectiora a Deo constitui potuisse et debuisse; sed fallimur in iudiciis nostris, quia singularia tantum obiecta considerantes integrum omnium rerum existentium ordinem, et nexum non cognoscimus, et multo minus hunc mundum cum aliis possibilibus comparare possumus. Deus autem per omniscientiam, quis attentis omnibus circumstantiis optimus sit mundus, cognoscit, ob infinitam bonitatem hunc eligit, et per omnipotentiam et sapientiam creat, ac continuo conservat et gubernat, perfectiones suas in illo semper manifestans. His principiis statutis, *Leibnitius* etiam in specie ostendit, varia, quae in hoc mundo videntur mala divinae sapientiae et bonitati non repugnare, qua in explicatione magna ex parte *Kingium* sequitur, nonnullis tamen adiunctis, quae ad gratiae divinae distributionem eiusque efficaciam referuntur. Negari nequit, Theodicaeam istam magno ingenii acumine exaratam fuisse, quapropter multi illam summis laudibus extulerunt. Sed quid de optimismo censendum sit, iam alibi (§ 151) expositum fuit. — Leibnitianae similem Theodicaeam elaboravit *D. Ant. Rosmini*, qui pro primario principio statuit, sapientiae divinae convenire, ut legem parsimoniae in totius Universi productione, conservatione et gubernatione servet, seu ut ubique et in omnibus per minimum medium maximos effectus producat. Hoc principio posito, laboriosa et subtili elucubratione conatur ostendere, legem minimi medii a Deo observari ubique, ac inde fieri, ut defectus et mala in mundo inveniantur, propter quae tamen Deus reprehendi non potest, qui ubique sapientissime agit, legem minimi medii observando, a qua lege infinita sapientia recedere nequit. — Ast in hoc systemate id merito carpitur, quod a priori determinetur, quid divinae sapientiae congruat (§ 43), Deoque ipsi *lex* imponatur, cum tamen nihil Deo prius aut superius sit, Deusque creaturis, non sibi leges praescribat (§ 44). Tota igitur argumentatio titubat, haud solido innixa fundamento.

4. Rectissime multi Theologi censent, non alia Theodicaea opus esse nisi illa, quae in divina Revelatione exhibetur, et per quam quaestio de origine mali optime solvitur. Constat enim ex divinis litteris, Deum condidisse hominem rectum, innocentem, immunem ab omni malo sive physico, sive morali, imo et eximiis tum corporis, tum animi dotibus orna-

tum et ad summam felicitatem destinatum. Ast homo praestantissimo Creatoris dono, nimirum libero arbitrio abusus, a Deo cum tota sua posteritate defecit, et sic ianuam omnibus malis tum physicis, tum moralibus aperuit, quae idcirco non Dei, sed Adami, et eorum, qui in ipso peccaverunt, culpae adscribenda sunt (1). Itaque in dogmate de peccato originali ea nobis patefacta sunt, quae Philosophi post multas inquisitiones invenire non potuerunt; causam corruptionis et miseriae nostrae cognoscimus, et providentiam divinam praeclare vindicatam cernimus. Ipsa etenim haec doctrina nobis exibet Deum ceu sanctissimum legislatorem, qui hominibus praeceptum imponit, et ceu iustissimum iudicem, qui commissum peccatum punit; imo et ceu misericordissimum patrem, qui in salutem hominum lapsorum Redemptorem mittere decernit, de quo iam mox agendum erit. Haec pro fidelibus certe sufficiunt, ut firmam in divinam providentiam fidem concipiant, et ob malorum in hoc mundo existentium multitudinem non turbentur. Verum dantur etiam increduli, qui Revelationis doctrinam amplecti renuunt, et qui in ipsa malorum existentium copia se invictum argumentum invenisse putant non solum ad Revelationem christianam impugnandam, sed et ad omnem Religionem e medio tollendam, quoniam Epicuri cavillationem sufficientem esse arbitrantur ad divinam providentiam, vel et ad Dei existentiam penitus negandam. Necesse igitur est, ut ad adversariorum obiectionem directe respondeamus, et difficultatem propositam solide solvamus.

(1) V. Klüpfel l. 1, § 103, not. 5.

II. Responsio communis Theologorum.

§ 264. Certum est, Deum omniscium et omnipotentem esse, ac omnia mala tollere, vel impedire posse: ast si Deus non omnia mala tollere, seu impedire vult, non cessat tamen esse infinite bonus. Triplicis enim generis mala dantur, nempe *metaphysica*, *physica*, et *moralia*: sed ex nullo horum malorum genere argumentum contra providentiam divinam inferri potest.

1. *Mala metaphysica* in creaturarum limitatione consistunt, seu sunt defectus a summa et infinita entitate. Defectus isti, qui necessario naturas omnes creatas consequuntur, improprie tantum mala vocantur, et in se vera mala non sunt. Nam sicut absolute impossibile est, existere duo entia summa et infinite perfecta (§ 58), ita etiam absolute impossibile est, creaturam infinitam produci. Et sicut omnipotentiae divinae nihil subtrahitur dicendo, eam non posse contradictoria, seu absolute impossibilia efficere (§ 42, n. 4) ac proinde nec entia infinita creare: ita etiam bonitati divinae nihil derogatur affirmando, eam non velle creaturis infinitas perfectiones tribuere, quae in entibus contingentibus absolute impossibiles sunt. Itaque evidenter patet, ex malis metaphysicis, seu ex creaturarum limitatione nullum prorsus adversus divinam providentiam argumentum inferri posse. — Finitae equidem creaturarum perfectiones varios gradus admittunt, et negari non potest, Deum per omnipotentiam suam maiores perfectiones entibus concedere posse, quam illae sint, quas actu tenent. Ast si illas non concedit, nullatenus ideo eius bonitas argui potest, quae non solum cum omnipotentia, sed etiam cum

infinita sapientia unita est, atque ideo tantas perfectiones creaturis attribuit, quantas stabilitus ab infinita sapientia ordo requirit. Audiendus est hac de re *Ant. Genuensis* (1), ita praeclare disserens: « Non ideo Deum minus esse bonum fateri licebit, quod cum maiorem entitatem singulis universi partibus dare potuisset (quod potuit profecto), minorem dederit. In eo potius fatebimur sapientissimum, quod eam tribuerit, quae sit et cuiusque entis fini aptata et loco, quem illa in rerum natura obtineret, consentanea. Deinde nego, maiorem entitatem animi, aut corporis humani maiorem quoque esse hominis perfectionem; tum maiorem entitatem argumentum esse maioris bonitatis et sapientiae rerum opificis, minorem vero minoris, sed maioris tantum potentiae indicium esse contendo. Scilicet rerum perfectio creaturarum, quando infinitae esse nequeunt, non in maiori entitate posita est, sed in hoc ut finibus suis aptatae sint, habeantque aptatas his finibus proprietates ac vires; ut et bonae sint, quocunque in gradu positae; et, si rationales fuerint, beatae esse possint. Quo modo horologii perfectio non illa in eo posita est, ut magnum sit, sed in hoc, ut partes singulae apte inter se cohaereant, omnesque finem, ad quem sunt factae, recta spectent et consequantur. Eodem modo non homo perfectior, quia corpore maior, mente capacior, vita longior: sibi integra constat perfectio, si par suo fini, par respectibus, quos ex universo, cuius pars est, sentire necessario debet: si iis praeditus viribus ac facultatibus, quae sui finem spectent, quibusque eum consequi possit. Creatura ergo rationalis adversus Dei bonitatem argumentum est, non si minor entitate, quam stulta illa maiorem exigit, ubi habet loco et fini suo parem; sed si suis muneribus et respectibus, ac Creatoris finibus minor sit. Bonitatem quod attinet divinam, tam commendant creaturae entitate maximae, quam minimae, si finibus, et locis suis plene respondeant. In eo creaturarum perfectio constituta est: inde ars, sapientia et beneficentia Creatoris dimetienda. »

(1) L. c. n. 10 et 11.

2. *Mala physica* sunt infortunia, temporalia damna, corporales miseriae, morbi, dolores, mors aliaeque tribulationes, quibus homines in hac vita affliguntur. Mala ista vel *in se*, vel *in relatione ad homines* considerari possunt. *In se spectata* mala non sunt, et nihil in ipsis est, quod sapientiae, sanctitati, aut bonitati Dei directe opponatur. Nam omnia, quae sunt, et vires sibi inditas iuxta stabilitum naturae ordinem exserunt, in se bona sunt: sic bonus est ignis, et bonum est lignum per ignem conflagrari; bona est aqua, et bonum est aquam etiam cum impetu decurrere; bonus est gladius, et bonum est per istum corpora secari posse; bonus est cibus, et bonum est eum in nobis corrumpi, ut pro alimento inserviat. Isti et similes effectus, si homini nec damnum, nec dolorem pariant, a nemine ut mali habentur; unde patet, eventus physicos in se spectatos divinae providentiae nullo modo repugnare. Tunc solum eventus isti mali reputantur, si homini damnum inferunt, aut dolore ipsum afficiunt, e. g. si per ignem domus comburatur, si aquarum inundationibus fertiles campi devastentur, si per gladium corpus vulneretur, si membrum corruptum, seu deordinatum dolores pariat, etc. de istis malis physicis homines conqueruntur, eaque summae Dei guber-

nantis bonitati penitus contraria esse arbitrantur. Sed facile est probare, mala physica etiam *in relatione ad homines*, qui iisdem affliguntur, considerata, divinae providentiae nullatenus repugnare. Vel enim *peccatores*, vel *innocentes, et iusti* praefata mala experiuntur. *a*) Si peccatores temporalia damna patiuntur et doloribus cruciantur, quis ob tales divinae providentiae dispositiones conturbabitur? — Ratio ipsa dictat, hominem a lege malitiose aberrantem iustissime puniri. Deus ergo peccatoribus bona temporalia subtrahendo, eosdemque doloribus et adversitatibus affligendo sapientissimam et iustissimam suam gubernationem clare manifestat. Errant, qui secus sentiunt, in eo, quod Deum infinite bonum, non autem etiam infinite iustum esse velint, cum tamen ipsa sana ratio cognoscat, Deo sicuti infinitam bonitatem, ita etiam infinitam iustitiam adscribendam esse. Errant pariter, qui per mala physica offenduntur, in eo, quod pro fine huius mundi totali felicitatem hominis statuant, non autem gloriam Dei, seu manifestationem divinarum perfectionum. Hisce erroribus sublatis (§ 48 et 141), facile est, divinam providentiam vindicare. Etenim dum peccatores malis physicis, seu adversitatibus affliguntur, Dei homines gubernantis sapientia et iustitia clare manifestatur. Imo in hac ipsa temporali iniquorum punitione etiam divina bonitas se conspicuam reddit. Deus enim homines a recta via aberrantes ideo quoque temporalibus aerumnis affligit, ut resipiscant; ut nempe terrenarum rerum caducitatem, pessimos indomitarum passionum effectus, atque dierum huius vitae inconstantiam et incertitudinem cognoscentes meliores sensus induant, et per poenitentiam ad Deum reversi moralem vitam agant. Et sane tribulationes huius vitae efficacissimum esse medium ad homines perversos e vitiorum coeno eruendos, et serio emendandos, historia et experientia testantur. Non ergo carpenda, sed maxime laudanda est bonitas divina, quae homines, i. via perditionis lascivientes, et gratiae vocanti aures suas obcludentes (quin ipsorum libertati vim inferat), per tribulationes refraenat, terret, et ad illam moralitatem perducere satagit, sine qua destinatam sibi felicitatem consequi nullatenus possunt, sed a fine suo ultimo miseri semper aberrant. — *b*) Imo etiam temporales aerumnae, quibus homines innocentes et iusti affliguntur, bonitati divinae non repugnant, sed cum ipsa apprime conveniunt. Nam homines, quomodocunque innocentes et sancti, liberi tamen, infirmi et fragiles sunt, atque, ut experientia testatur, a bonis huius mundi, ab honoribus et voluptatibus alliciuntur ac facile seducuntur: ast si igne tribulationis torqueantur, a vanitatibus huius saeculi retrahuntur, a vitiis praeservantur et ad rerum coelestium amorem impelluntur. Quis porro enarrare valet fortitudinem animi, patientiam, resignationem in divinam voluntatem, aliasque praestantissimas virtutes, quas iusti et sancti temporalium adversitatum procellis agitati exercent? - Profecto, *quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit* (1), ut eius virtus probetur, moralitas perficiatur, meritum crescat, et aeterna felicitas augeatur. Ex his iam clarissime patet, ea, quae mala physica appellari solent, neque in se, neque etiam respectu hominis vera mala esse. Nam id respectu hominis verum malum dici non potest, quod illi plus emolumenti, quam de-

(1) Hebr. 12, 6.

trimenti affert. Sed mala physica homini plus emolumenti, quam detrimenti afferunt, quoniam inania tantum et caduca bona ipsi surripiunt, aut momentanea et levi tribulatione eum afficiunt, sed ad praestantissimi boni incrementum, nimirum ad moralitatem promovendam et felicitatem augendam ordinantur: ergo vera mala non sunt, et bonitati divinae nequaquam repugnant.

3. *Mala moralia* sunt peccata, seu liberae legis transgressiones. Haec mala non sunt a Deo; sed ab humana voluntate, libere legem divinam transgrediente, originem ducunt (§ 242). Egregie in rem *S. Chrysostomus* loquitur (1): Deus, inquit, « certe malos non fecit. Unde ergo mali? inquies. Teipsum interroga: meum quippe est ostendere, illa nec ex natura, nec a Deo esse... Sed unde igitur mala? Ex eo quod est velle et nolle. Sed ipsum velle et nolle undenam? a nobis ipsis... Malum quippe nihil aliud est, quam non obedire Deo. » Itaque Deus malorum moralium auctor non est, sed illa tantum fieri permittit. Ast de hoc adversarii conqueruntur, quod Deus tot tantaque peccata patrari permittat, cum tamen per omnipotentiam suam illa impedire posset; et ob infinitam suam sanctitatem et bonitatem illa impedire deberet. Errant autem, et vehementer errant, tales querelas contra Deum moventes. Quamvis enim ultro fateamur, Deum omnia peccata impedire posse, nullatenus tamen admittimus, quod omnino absonum est dicere, nempe Deum ob infinitam sanctitatem et bonitatem suam peccata impedire debere. E contra facile ostendi potest, permissionem peccatorum divinae sanctitati et bonitati non repugnare. Nam ideo peccata dantur, quia existit lex, quia homo libero arbitrio praeditus, et quia finitus, seu limitatus est: *Ubi enim non est lex, nec praevaricatio* (2); peccatum quoque actuale sine libero arbitrio non datur, neque homo, si infinitus esset, a bono deficere posset. His praemissis, sic argumentari licet: Bonum est, Deum peccata permittere, si bonum est, existere legem, et hominem liberum, ac limitatum quidem, sed sufficientibus tamen ad legem implendam viribus instructum esse. Atqui bonum est, existere leges divinas, quibus creaturae rationales dirigantur, et quas observantes suam erga Ens supremum subiectionem ostendant: bonum pariter est, hominem libero arbitrio praeditum esse, quia haec libertas praecellens Creatoris donum, necessaria ad virtutes morales et ad merita conditio, et totius Universi maximum ornamentum est: bonum denique est, hominem finitis quidem, sed tamen sufficientibus viribus ad legem implendam instructum esse; nulla enim creatura infinita esse potest, et ex qualibet necessariis ad finem suum obtinendum viribus praedita, sapientia et bonitas divina clare elucent. Ergo bonitati divinae non repugnat, permittere peccata; neque per haec sanctitas Dei obfuscatur, quae per peccata hominum, summo odio habita, multo minus contaminatur, quam radius solaris ad sordida loca pertingens. Imo Deus in peccatoribus, quos adesse permittit, varias perfectiones suas clarissime manifestat, quod iam indigitatum est (§ 260, n. 6), et luculentius in Theologiae decursu ostendetur. Habito ergo ad finem totalem respectu, nempe ad gloriam Dei, nullatenus dicere licet, meram peccatorum permissionem divinis perfectionibus repugnare, quae

(1) Hom. 59 in Matth. n. 2 etc.

(2) Rom. 4, 15.

etiam in peccatoribus se conspicuas reddunt.

Nota 1. Mala physica in immensum augent divinae bonitatis et providentiae hostes; dolores et morbos exaggerant; miseriam hominum deterrimis coloribus pingunt: sed nec vero, nec aequo modo. Nam dolores, qui homini accidunt, in duas classes distingui possunt, in illos nempe, qui a natura sunt, et in illos, qui a libertatis et rationis abusu producuntur. Si omnes ad calculum adducamus, reperiemus, multo plures esse, quos homo homini, homo sibi consciscit, quam qui a natura sunt. Quis autem illos recta in Deum referet, quos ipse vetat, et ne inferantur, maiores minatur? — Quaestio ergo ad eos tantum dolores reducitur, qui sunt a natura, quos esse aliquos, seu iustas scelerum poenas, quia peccavimus; seu admonitiones, ut ne peccemus, ex ipsa Dei providentia et bonitate sequitur. Interim haec ipsa mala physica bonorum temporalium copia, intensitate, duratione et numero longe maiorum, non solum compensantur, sed immane quantum exsuperantur. Quis enim bona temporalia enumerare valet, quibus, Deo largiente, toto vitae tempore fruimur, cum non solum usus sensuum, rationis ac libertatis perpetuo concessus sit, sed etiam omnes creaturae nobis inserviant, et ad vitam nostram sustentandam, imo et ad multiplices delectationes nobis afferendas ordinentur? — Confidenter dici potest, mala physica, de quibus loquimur, a bonorum temporalium copia longissime superari, praesertim in iis, qui recte et sapienter vivere didicerunt. Quamobrem cum maior sit bonorum, quam malorum physicorum copia, et haec ipsa potius bona dicenda sint, quippe eo comparata, ut nos a vitiis abstrahentes ad debitam moralitatem et veram felicitatem adducant, summae profecto dementiae, aut potius ingratitudinis et improbitatis esset, divinam bonitatem criminari, aut Deum ut invidum traducere. Plura atque maiora solent esse mala, quae ex imprudentia et malitia hominum originem ducunt. Quis autem propter ista divinam providentiam culpare praesumet? Deus utique iniurias quascunque gravissime prohibendo, et charitatem proximi maxime inculcando validissimum praefatis malis aggerem opposuit. Quod si haec praecepta temere transgressi vexationum ac tribulationum auctores existunt, Deus haec fieri permittit, quoniam ex sapientissimo consilio homines liberos esse vult. Imo divinae gubernationis sapientia ex eo vel maxime elucet, quod ipsa etiam mala, ex imprudentia et improbo libertatis abusu exorta, ad bonos fines dirigat, ita ut vel iniqui puniantur, vel iusti probentur, vel altissima consilia impleantur (§ 260, n. 6).

Nota 2. Adversarii, ut argumentationem nostram enervent, in medium proferunt infantes qui peccare non possunt, et tamen frequenter doloribus crucientur, qui nec in poenam, nec in emendationem ipsorum ordinari queunt. — Ast haec difficultas solvitur per divinam Revelationem, quae nos docet, infantes peccato originali inquinatos nasci ipsosque per baptismum a peccato quidem purgari et sanctificari, sed effectibus, seu poenis eiusdem peccati nimirum concupiscentiae, doloribus mortique subiectos manere. Infantes ergo a peccato actuali immunes, et tamen doloribus cruciati revelati nobis mysterii veritatem contestantur. Caeterum si infantes mala quaedam patiuntur, multo maioribus, pluribusque bonis perfruuntur. Praeterea dolores, quorum

sibi conscii non sunt, levius perferunt, ita ut per illos saepissime multo magis parentes, quam ipsi infantes, affligantur, et dubitari non potest, Deum talem afflictionem in parentum poenam, vel probationem rectissime ordinare. Imo sapientiam et bonitatem divinam ex infantum quoque aerumnis relucere, ostendit *Ant. Genuensis* (1) ita disserens: « Ego nulla in re magis perspicua Dei bonitatis argumenta reperio, quam in malis quibus infantes subiecti sunt, id est, quibus natura humana ab origine sua exercetur. Constat enim, eos mortalium vel levissimis malis vehementissime concuti, deque ordine suo deturbari, et officiis humanae vitae inhabiles reddi, qui nullis unquam huiusmodi sunt exerciti. Quo modo novelli milites, nec ullo pacto preparati ad pugnae quoque adspectum non contremiscunt modo, sed et ordines deserunt, ac sua aliorumque officia pervertunt. Quando ergo in hanc vitam destinantur infantes, ea initiandi erant: erat eorum natura ita fingenda, ut nihil illa novi et insolentis, quo opprimeretur reperiret: ita mala et ferre fortius potest, et in suam utilitatem convertere. In ea igitur re, qua conturbantur nonnulli, magnam ego Dei erga nos providentiam agnosco. Ponamus enim ita infantes ad iuvenilem aetatem pervenire, ut praeter vitae voluptates nihil ne minimae quidem aegritudinis sint experti, quid fiet his delicatulis, si vehementiori aliquo dolore sint coërcendi? *Dio Syracusanus* filium ita corruptum potius, quam educatum, quum ad regulam revocare vellet, perdidit: is enim usque eo vitae statum commutatum ferre non potuit, ut se de superiore parte aedium deiecerit, atque ita interierit » (2).

(1) L. c. n. 32. (2) V. Cornel. Nep. in Dion.
(3) L. 7. Confess. c. 12. (4) C 13.

Nam quod alia in re gravissime *Fabius Quintilianus* pronuntiat: « franges citius, quam corrigas, quae in pravum induruerunt, » id in vita potissimum humana quotidie experimur. »

III. *Responsio iuxta principia S. Augustini et aliorum Ecclesiae Doctorum.*

§ 265. 1. *S. Augustinus* praeclare docuit, omnia quae sunt, bona esse; malum vero non esse nisi defectum seu privationem boni. Sic (3) loquitur: « Quaecunque sunt, bona sunt; malumque illud, quod quaerebam unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset, etc.; » et (4): « Et tibi (o Deus) omnino non est malum, non solum tibi, sed et universae creaturae tuae, quia extra te non est aliquid, quod irrumpat et corrumpat ordinem, quem posuisti ei: in partibus autem eius quaedam quibusdam, quia non conveniunt, mala putantur, et eadem ipsa conveniunt aliis, et bona sunt, et in semetipsis bona sunt, etc. » Hoc idem docet *S. Thomas*, qui (5) expresse negat, malum aliquam naturam esse, dicens: « Unum oppositorum cognoscitur per alterum, sicut per lucem tenebrae. Unde et quid sit malum, oportet ex ratione boni accipere. Diximus autem supra (6), quod bonum est omne id, quod est appetibile, et sic, cum omnis natura appetat suum esse et suam perfectionem, necesse est dicere, quod esse et perfectio cuiuscunque naturae rationem habeat bonitatis. Unde non potest esse, quod malum significet quoddam esse, aut quandam formam, seu naturam. Relinquitur ergo quod nomine mali significetur quaedam absentia boni, et pro tanto dicitur, quod malum neque est existens, neque bonum. Quia cum ens in quantum huiusmodi sit bonum,

(5) 1, q. 48, a. 1. (6) Q. 5 a. 1 et seq.

eadem est remotio utrorumque.» Idem (1) praeclare exponit, non omnem absentiam boni rationem mali habere, sed solum absentiam illius boni, quod in subiecto adesse deberet; ait enim: « Malum importat remotionem boni. Non autem quaelibet remotio boni malum dicitur. Potest enim accipi remotio boni et privative et negative. Remotio igitur boni, negative accepta, mali rationem non habet. Alioquin sequeretur, quod ea, quae nullo modo sunt, mala essent. Et iterum quod quaelibet res esset mala ex hoc, quod non habet bonum alterius rei utpote quod homo esset malus, quia non habet velocitatem capreae, vel fortitudinem leonis. Sed remotio boni, privative accepta, malum dicitur; sicut privatio visus caecitas dicitur: » i. e. si ens eo bono, quod ad eius ordinem, seu rectitudinem pertinet, privatur, haec ipsa privatio, seu boni absentia malum vocatur. Hoc principium ad mala physica et moralia applicari potest. Malum physicum est absentia illius boni, quod in entibus materialibus adesse deberet, sic defectus fructuum dicitur malum in arbore, et aegritudo in homine non est nisi defectus illius ordinis, seu rectitudinis, quae in corpore, aut in aliquo membro adesse deberet, et anima huius defectus conscia dolet, seu grata illa sensione privatur, quam ex bene ordinato corpore, vel membro percipit. Malum autem morale est defectus illius rectitudinis, quae debet adesse in voluntate. Ipse angelicus Doctor malo physico et morali applicat principium a se statutum; nam (2), loquens de malo poenae et de malo culpae, dicit: « Contingit ergo malum esse dupliciter. Uno modo per subtractionem formae aut alicuius partis, quae requiritur ad integritatem rei, sicut caecitas malum est, et carere membro. Alio modo per subtractionem debitae operationis vel quia omnino non est, vel quia debitum modum, et ordinem non habet. » — Cum doctrina *S. Augustini* et *S. Thomae* etiam praeclarissimi Ecclesiae Doctores consentiunt. Quidquid enim sit de illa sententia, quae omnia mala physica, cunctosque dolores, quos sentiunt homines, in absentia boni, seu in mera privatione reponit; in hoc tamen omnes conveniunt, quod nulla substantia in se mala detur, et quod ea, quae mala physica appellantur, neque in se, neque respectu hominum vera mala sint, sanctitati, sapientiae, aut bonitati divinae contraria. Mala autem moralia, seu peccata non positivam entitatem habere, sed in defectu, seu privatione debitae rectitudinis consistere, maximo consensu tradunt Ss. Patres et Doctores (§ 238, n. 1). — Per hanc sententiam, quam etiam ratio invicte probat (ib., n. 2) uno veluti ictu tota adversariorum obiectio conciditur. Perperam enim *Epicurus*, *Baelius* et alii ad ea, quae non extant, provocant ut divinam bonitatem criminentur. Omnia, quaecunque existunt, sicut a Deo sunt, ita et bona sunt et enarrant gloriam Dei.

2. Nonnulli existimant, sententiam, quae malum in absentia, seu privatione boni reponit, ad difficultatem ab adversariis motam solvendam nihil conferre. Nam sit malum non ens, sit privatio nihilum: quaestio redit in malis physicis, cur Deus defectum naturae non tollit, seu cur entibus perfectionem, seu rectitudinem ipsorum naturae convenientem non tribuit? — et in malis moralibus, cur Deus, si homines liberos, et legi suae subiectos voluit, non talibus ac tantis eos fulcit praesidiis, ut dono

(1) Ibid. art. 3. (2) Ibid. art. 5.

libertatis suae non abutantur? — Vel Deus id efficere non potest, et non est omnipotens; vel Deus id efficere non vult, et non est infinite bonus. Eadem ergo difficultas solvenda manet. Non negamus, admissa nostra sententia, eandem difficultatem mutata tantum facie moveri posse, eamque a Baelio non minus acute quam impie propositam, et saepe refrictam fuisse. Sed certum pariter est, blasphemum dilemma, sub hoc respectu propositum, facillime dissolvi, dummodo, iuxta inconcussa *S. Augustini* et *S. Thomae* principia, recta de divina bonitate notio habeatur. Ultro enim fatemur, Deum omnipotentem esse, et omnia, quae contradictoria, aut intrinsece impossibilia non sunt, creare, efficere et largiri posse. Sed prorsus negamus divinae bonitati aliquid derogari dicendo, Deum quaedam creare, efficere, seu largiri non velle: bonitas enim divina est ipsa voluntas, et ipsa essentia Dei prima et undequaque independens (§ 16). Bonitas ergo divina nec legibus subest, nec motivis ad agendum, vel concedendum incitatur (§ 50). Quomodo ergo dici potest, Deum, dum aliquid non facit, aut non concedit, a bonitate deficere, cum ad illud faciendum, aut concedendum nec lege aliqua obligetur, nec motivo ullo incitetur? — Nunquam sane a priori determinare licet, quid Ens primum et independens facere, aut concedere debeat, et qui illud praesumunt, Deum turpiter cum homine confundunt. Sed, aiunt, quamvis Deus ad nihil obligetur, bonum tamen et infinitae benignitati consentaneum esset, hoc vel illud facere, aut concedere, ex quo multa bona producerentur? — Ast, etiam qui ita loquuntur, magno in errore versantur, Deum iterum cum homine confundentes, a quo tamen infinite distat. Deus enim non ideo aliquid vult, quia bonum est; sed omnia bona fiunt, quia Deus ea vult: voluntas quippe divina est ipsa essentialis bonitas, et prima causa efficiens exemplaris et finalis omnis bonitatis in creaturis. Homines ergo ut bene agant, ad divinam voluntatem se conformare debent; de ipsis recte dicitur: bonum est, ut hoc vel illud agant, et si regulam sibi praefixam non sequuntur, a bono deficiunt et omni iure arguuntur. Ast de Deo non ita iudicare licet. Cum enim Deus, ut Ens undequaque primum, nullam regulam sibi praefixam habeat, et cum nihil boni sit nisi a Deo, inepte prorsus dicitur: bonum esset, ut Deus hoc vel illud faceret, hoc vel illud largiretur: undenam enim id bonum esset, si a Deo bonum non est? — atque ex eadem ratione omnino falsum et blasphemum est dicere, Deum aliquid negligere, quod bonum esset, ut faceret, vel largiretur. Quidquid Deus vult et facit, bonum est: si quid autem Deus facere, aut largiri non vult, ne bonum quidem esset, ut illud faceret, vel concederet: quapropter bonitas divina nunquam deficit, sed semper infinita manet.

3. Maximi profecto momenti est, ut traditae divinae bonitatis notioni, quae tum rationi tum revelationi apprime conformis est, firmiter insistamus. Pleraeque enim difficultates, quae non solum increduli contra divinam providentiam movent, sed quibus hinc inde etiam fideles Christiani perturbari solent, ex minus recto divinae bonitatis conceptu oriuntur. Ideo sane quandoque dicere non verentur: bonum esset, ut Deus hoc, vel illud faceret; putantque, Deum vel per bonum, quod videt, vel per bona consectaria, quae praevidet, vel per

ipsam bonitatem suam ad hoc, vel illud faciendum, aut concedendum impelli debere. Quantum autem talia iudicia a veritate aberrent, satis manifestum est ex certo principio, quod cum aliis Doctoribus (§ 29, n. 2) S. *Augustinus* de scientia Dei tradit (1), dicens: « Universas creaturas suas et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit: » ergo etiam quodcunque bonum creatum non ideo Deus cognoscit, quia est; sed ideo est, quia Deus illud cognoscit et cognoscendo efficit. Ex quo clarissime patet, in Deo numquam posse bonum quoddam quasi a priori tanquam motivum statui, quo ad illud efficiendum impellatur. Absonum etiam est dicere, Deum per ipsam bonitatem suam ad aliquid faciendum, vel concedendum moveri debere. Nam omnia attributa divina sunt simplicissima essentia Dei: et cum hoc idem de bonitate divina sentiendum sit, de ista inepte diceretur, quod simul se moveat, et simul a se moveatur. Neque bonitas Dei relativa, seu externa in passione, seu sensibili affectione consistit sicut in homine, sed est ipsa volitio divina, quae extra se bonum efficit, et elargitur (§ 49 Cf. 40, n. 1); repugnat autem, simplicissimam, liberrimam et independentem volitionem esse sui ipsius motivum seu causam. Constanter ergo fateamur oportet, Deum omnia, quae bona sunt, velle et efficere, et non sine maxima absurditate et impietate dici posse, eum quidpiam negligere, quod bonum esset, ut vellet, faceret, vel concederet. — Quamvis ergo Deus defectus physicos, aut morales, qui in natura finita, aut in hominibus, legibus subiectis, liberis et limitatis inveniuntur, non tollat, vel impediat; nullatenus tamen ipsemet a bonitate deficit, seu non cessat ideo esse infinite bonus.

(1) L. 15 de Trin. c. 13.
(2) Iud. v. 10.

ARTICULUS II.

Obiectiones contra providentiam divinam ex variis capitibus in specie petitae.

§ 266. Quamvis operationes divinae a mente limitata perfecte capi non possint, cum consilia Dei sint incomprehensibilia et investigabiles viae eius; tanta nihilominus haud raro est humani ingenii arrogantia, ut operationes Dei ad caecutiens suum tribunal vocare, consilia discutere, et vias investigare audeat, ac quae non intelligit, reprehendat, et quae ignorat, blasphemet (2). Exinde fit, ut fere innumerae contra divinam providentiam difficultates moveantur, quas hic non omnes recensere et refellere licet, cum id potius in decursu Theologiae dogmaticae praestandum sit. Nonnullas tamen maxime consuetas obiectiones, ex specialibus capitibus petitas, hic in medium proferre et confutare oportet. Putant enim adversarii, providentiam *divinae maiestati et beatitudini contrariam esse*, aut illam *cum sollicitudine hominum, et cum officio orandi* pugnare, ac praeterea arbitrantur, *varias inordinationes naturales*, ac praecipue *miseriam iustorum ac felicitatem impiorum* in hac vita cum divina gubernatione conciliari nullatenus posse. Ast quam vanae sint istae divinae providentiae criminationes, ex dicendis sat luculenter apparebit, non enim magni ponderis sunt allatae obiectiones, quas tamen speciatim refellere oportet, « ut tandem aliquando stultitiam magna latrantem sui pudeat, » quod ait *Boëtius* (3).

(3) L. 3 de Consol. Pr. 2.

I. *Providentia beatitudini, et maiestati Dei contraria non est.*

§ 267. Iam *Epicurus*, ut refert *Cicero* (1), ideo providentiam negavit, quia illam cum immensa Dei beatitudine consistere non posse arbitratus est; dictitare enim consuevit: « nisi quietum autem, nihil beatum est; » ex quo intulit, Deum de huiusce mundi rebus curam non gerere, « ne laboriosissimus sit, ac molestis negotiis et operosis implicatus. » Eandem obiectionem alii quoque recoxerunt, non intelligentes, quomodo Dei cogitatio tantam rerum multitudinem complecti, et omnia ac singula disponere, conservare et gubernare possit, quin beatitudo ipsius conturbetur. Hoc, admissa providentia, ex eo potissimum inevitabile esse putant, quod plurimi dentur et mali Angeli et perversi homines, qui mandata divina non exequuntur, consiliis Dei se opponunt, et scelera sceleribus accumulant, propter quae, teste S. Scriptura, Deus ad iracundiam provocatur. Denique aiunt, indignum esse Maiestate divina, res viles et minutissimas curare. Nam Rege etiam humano indignum censetur, ad vilia quaeque providendo descendere; sed sufficit, si gravioribus tantum negotiis appellat animum. De caetero ad dignitatem Regis pertinet, habere ministros, per quos negotia administrentur: ergo multo magis Dei, supremi Regis, dignitas postulat, ut non ipsemet immediate omnibus provideat, sed ministris suis inferiorum rerum curam committat. — Haec nonnulli obiectant, sed facile est illa confutare.

1. Qui talia obiiciunt, crassam de Deo eiusque attributis notitiam produnt, et divina humanis metiuntur. Nam, quia homini rerum multarum cura operosa nimis et molesta accidere solet, simile aliquid divinitati tribuunt. Deus autem, qui omnibus rebus substantia et virtute praesens est, labori et molestiae obnoxius minime est. Non enim corpore constat, ut operando defatigetur, nec membrorum utitur ministerio, sed intellectu duntaxat agit, de voluntatis imperio, et actione quidem unica ac simplicissima, qua universa complectitur et moderatur. Quanta facilitate Deus cuncta gubernet, praeclare proponit auctor Sapientiae, ita Deum alloquens: *Multum valere tibi supererat semper, et virtuti brachii tui quis resistet? Quoniam tanquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram* (2), etc. Etiam inter ethnicos Philosophos fuerunt, qui cognoscerent, quam absurde Epicuri schola asserat, per providentiam beatitudinem Dei minui, vel perturbari. Sic *Ammonius* (3) ait, absonam hanc sententiam « eorum esse, qui, quanto intervallo divina cognitio, et vis nostram superet, non intelligunt, et propter hanc inscitiam ex nostris rebus coniecturam de iis faciunt, quae ad Deum pertinent, et nostram in illum imbecillitatem transferunt. » Id dilucidat similitudine solis, qui licet corpus sit, universa tamen et singula luce complet sua. *Plotinus* quoque (4) declarat, quomodo Deus sine laboris molestia et magna et minima quaeque procuret: « Nam, ait, laborare in opere disponendo nihil aliud esse videtur, quam aliena opera tractare, id est ea, in quae potestatem non habet. At in iis, quae quis habet in potestate, et quidem solus, quanam alia re indiget, nisi seipso et voluntate sua? » ex quo infert, Deum omnipotentem solo voluntatis nutu omnia perficere. Et haec

(1) L. 1 de Nat. deor. (2) Sap. 11, 22. (3) L. de Interpret. (4) Enn. 4, l. 4, c. 12.

est genuina omnipotentiae divinae notio, qua rite attenta, difficultas allata penitus evanescit (§ 42).

2. Neque Dei beatitudo per peccata hominum minui, aut conturbari potest. Deus enim, utpote simplicissimus et perfectissimus, passionibus tangi nequit, nec proinde tedio, dolore, ira, aut ulla animi aegrimonia afficitur. Quomodo autem in S. Scriptura improprie tantum pro captu humano Deus dolere, poenitere, irasci etc. dicatur, iam declaratum est § 26, Obi. V, et § 40, n. 4. Peccatores ergo suam quidem, non autem Dei beatitudinem labefactant. Et cum finis totalis in omnibus obtineatur, et ipsi peccatores, quamvis inviti, gloriam Dei promoveant (§ 141); Deus sicut de attributis, ita et de cunctis operibus suis merito laetatur.

3. Absonum denique est, quod dicunt, indignum esse maiestate divina res viles et minutissimas curare. Nam si has creare Deo indignum non fuit, etiam non dedecet ipsum easdem conservare et gubernare. Res non ex mole corporis aestimandae sunt. In conspectu Dei nihil parvum est, quoniam coram ipso nihil magnum est. Si viliorum rerum tenuitas sufficiens ratio esset, eas divinae administrationi subtrahendi; idem de excellentioribus dicendum esset, quae, quamvis nobilissimae, infinita tamen intercapedine a divina perfectione discedunt. — Deo certe dignum est, infinitas suas perfectiones manifestare: istae autem non solum ex magnis, sed etiam ex minimis rebus relucent, quas proinde curare Deo indignum non est. Exemplum vero Regis humani paritatem nullam retinet. Nam principi terreno cura rerum minoris momenti non congruit, propterea quod ex illa distentus a graviorum providentia impediretur. Ita enim mens humana limitata est, ut, cum ad omnia cognoscenda et dirigenda non sufficiat, minutis et inanibus inbaerendo graviora ac utiliora negligat, et quandoque ex ipsa cognitione non emolumentum, sed detrimentum capiat: unde S. *Augustinus* (1) dicit: « Melius est quaedam nescire, quam scire, ut vilia etc. » Ast aliter disserendum est de Deo, qui infinita intelligentia et perfectione gaudet, ideoque perinde infinitis rebus providendo par est, quasi unam dumtaxat administraret. *S. Thomas* (2) hac de re ita disserit: « Nobis melius est non cognoscere mala et vilia, in quantum per ea impedimur a consideratione aliquorum meliorum, quia non possumus simul multa intelligere; et in quantum cogitatio malorum pervertit interdum voluntatem in malum. Sed hoc non habet locum in Deo, qui simul omnia uno intuitu videt, et cuius voluntas ad malum flecti non potest. » — Si ad dignitatem Regis pertinet, quod habeat ministros; nemo plures habet Deo, *nam omnia serviunt* ei (3). Ast si Reges humani ministris indigent, quoniam ipsimet non de omnibus curam gerere possunt; Deus e contra, ut ait *S. Thomas* (4), « inferiora per superiora gubernat non propter defectum virtutis suae, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet. » His autem agentibus semper Deus intime adest, eas conservando et gubernando, ita ut sicut de maximis, ita et de minimis recte dicatur: *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (5).

II. *Divina providentia cum solicitudine hominum et cum officio orandi non pugnat.*

§ 268. Si Deus omnia moderatur, aiunt adversarii, si ipsemet cunctis

(1) Enchir. c. 17. (2) 1, q. 22, a. 3 ad 3. (3) Ps. 118. (4) L. c. in o. (5) Rom. 11, 37.

rebus finem praefigit, et ad hunc illas dirigit, ita ut sine eius concursu nil contingat, et quilibet eventus ab eius nutu dependeat; inanis est omnis labor, et quaevis sollicitudo hominum, qui tunc potius desides et otiosi manere, omniaque solius Dei curae committere debent. Id vero tum rationi, tum revelationi repugnat, atque ideo providentia in sensu declarato admitti non potest. Experientia quoque docet. cuique sua fere negotia succedere pro ratione industriae, quam adhibet, non pro ratione iuris, quod obtinet; ex quo patet, unumquemque suae relinqui providentiae, nec aliam homini quaerendam esse. — Similiter providentia divina cum officio orandi conciliari nequit. Nam si Deus de omnibus sapientissimam et benignissimam curam gerit, ad quid homines ad orandum et supplicandum obligantur? superfluae et inanes sunt huiusmodi preces, per quas nec ordo providentiae immutari, nec sapientia, aut bonitas Dei in gubernando augeri, aut perfici potest. — Si autem oratio efficax est, et multa bona impetrare valet, quod S. Scriptura frequenter testatur, omnino dicendum erit, providentiam universalem non esse, seu divinae gubernationis sapientiam et bonitatem in multis deficere, quoniam plurima bona solum hominibus petentibus, quaerentibus et pulsantibus conceduntur. — Hisce argutiis homines arrogantes, et increduli veritates ex Revelatione et ratione certas impugnare tentant, quas tamen, cum de operationibus divinis agatur, humili et firma fide suscipere deberent, etsi intrinsecum earundem nexum perfecte perspicere non possent. Ast captiosae ipsorum obiectiones etiam directe solvi queunt. Nam inter allatas veritates pugnam, seu contradictionem non dari, facile patebit, si sequentia rite considerentur.

1. Certum est, Deum omnia moderari, sed ita ut etiam causis secundariis utatur, quae, ipso Deo disponente, vel necessario vel libere operentur. Et ideo, ait *S. Thomas* (1), quibusdam effectibus praeparavit causas necessarias, ut necessario evenirent; quibusdam vero causas contingentes (liberas) ut evenirent (libere) contingenter secundum conditionem proximarum causarum. » Ad causas contingentes, seu liberas pertinet homo, qui idcirco viribus ad agendum praeditus est, ut iuxta sapientissima Dei gubernantis consilia et mandata libere operetur. Quoniam ergo Deus hominem operari et vult, ideo homo ad operandum obligatur. Male ergo adversarii arguunt, per providentiam divinam omnem sollicitudinem humanam tolli, et homines desides et otiosos manere posse. Ex dictis enim liquet, hominis obligationem ad laborem et sollicitudinem per providentiam divinam non tolli, sed imponi ac dirigi.

2. Sicut quodlibet ens contingens nihil est, et nihil potest sine Ente absoluto, ita etiam homo in liberis operationibus suis nullatenus a Deo independens est, quia non solum in liberis actionibus suis leges divinas observare tenetur, sed in iisdem etiam divino auxilio indiget, ut recte perficiantur, et ad optatum finem perducantur. Ideo legitur: *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam* (2). Et Paulus ait: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (3). Ad omnem ergo liberam operationem hominis

(1) 1, q. 22, a. 4. (2) Ps. 126, 1 etc. (3) 1 Cor. 3, 7.

concurrit etiam providentia Dei, qui ipsam quoque libertatem, quam homini indidit, sicut et caeteras eiusdem vires continuo conservat et gubernat. Hac de causa homo non tam in suis viribus, quam potius in Deo confidere debet, et sicut vitanda est desidies, ita quoque cavenda est nimia sollicitudo, et memoria saepe repetendum, finis adeptionem non tam ex humana machinatione, quam ex Dei consilio et voluntate pendere.

3. Experientia, quae docet, communiter hominibus negotia pro ratione industriae succedere, divinam providentiam non excludit, sed potius commonstrat. Nam, ut ait Cl. *Tournely*(1), « Idcirco plerumque hominibus pro maiori quam adhibent, industria atque solertia, feliciter negotia succedunt, quia suprema Dei providentia statuit, ut res hac in vita mortali suis agantur ac permittantur motibus; quapropter ubi maior potentia vel industria, ibi plerumque successus felicior; non ubi maior iustitia, vel aequitas. » Negari autem non potest; saepe Deum etiam pro ratione iustitiae et aequitatis humanis conatibus benedictionem suam concedere, vel negare, quod contigit praesertim in Israëlitis, qui legem divinam observantes prosperitatem consecuti, ab illa vero recedentes magnas calamitates experti sunt. Caeterum Deus passim ostendit necessitatem et efficaciam auxilii sui, sine quo homines nihil, et per quod omnia perficere possunt, sicut etiam clare manifestat divinitatis consilia et decreta per conatus humanos perturbari non posse. Quam saepe enim conspicimus, humanae prudentiae et calliditatis molimina ictu oculi susdeque verti, omnemque aditum fraudulentiae artibus intercludi? Quam saepe ardua conamina validique nisus omni apparatu secundum humanam versutiam instructi incassum cecidere; contra vero exigua rerum exordia nullis suffulta adminiculis se in ingentem molem excitarunt? — Haec, quae ex historia biblica, ecclesiastica et profana confirmantur, humanam pervicaciam mire confundunt, et Dei providentiam luculento patefaciunt testimonio. In genere concludendum est, homines quidem ex immutabili Dei decreto vera in operationibus suis libertate gaudere, sed Deum ubique tanquam sapientissimum eorundem gubernatorem se exhibere (§ 258).

4. Officium orandi cum divina providentia intime connectitur. Deus enim homines orare iubet, et debito modo petentibus bona promittit atque concedit. Putant equidem adversarii, Deum pro sua infinita bonitate hominibus cuncta bona elargiri debere, quin ad eum per preces supplicationesque recurrant. Ast qui ita sentiunt, graviter aberrant, tum quia bonitatem divinam a priori determinare praesumunt, eidem leges et motiva praeponentes: tum quia primarium creationis et gubernationis finem in felicitate hominis reponunt. Haec autem nonnisi per moralitatem obtineri potest, quoniam principalis et ultimus omnium finis est gloria Dei. Sapientissime idcirco Deus praecipit orationem, per quam homo suam dependentiam et infirmitatem, Dei autem omnipotentiam et bonitatem profitetur, atque varios virtutum actus exercet. Et quamvis Deus uti caeteris creaturis ita etiam hominibus nullis precibus praeventus multa bona conferat, aliquas tamen gratias petentibus concedere decrevit, et quidem ab aeterno decrevit, sicut et omnes petentes ab aeterno praevidit: ex quo manifestum est, per humanas suppli-

(1) De Deo q. 21, art. 2, obj. 2.

cationes neque decreta divina mutari (§ 26, Obi. VI), neque sapientiam, aut bonitatem divinam incrementa capere.

III. *Variae inordinationes, quae in natura esse videntur, nil probant contra providentiam divinam.*

§ 269. Providentiam divinam multi ex inordinationibus impugnant, quae in natura esse videntur. Nam, aiunt, si infinita sapientia mundum gubernaret, omnia entia ad finem suum dirigerentur. Sed experientia contrarium ostendit. In hac enim rerum universitate plura sunt, quae a fine suo et a recto ordine deflectunt, et vel inutilia, vel monstrosa, vel etiam noxia esse comprehenduntur. Sic saepe degenerant fruges et arbores, inducitur in naturam perturbatio ventis, terrae motibus, inundationibus, grandine, fulmine, incendiis, quibus res utilissimae destruuntur; in maria locaque deserta quandoque decidit pluvia dum interea fruges in agris fertilibus siccitate arescunt; ova animalium innumera non excluduntur, et foetus pereunt multi, nec lucem vident, hinc-inde dantur partus difformes et monstra, quae a consuetis naturae legibus aberrant, dantur loca inhospita hominibus aeque ac brutis ob frigoris, aut caloris vim nimiam; herbae nascuntur venenatae, et animalia, quae non solum nullam utilitatem afferunt, sed tum caeteris bestiis, tum ipsis hominibus noxia; quot denique dantur insecta, quae ad nihil aliud inserviunt, quam ad res proficuas corrumpendas et ad homines vexandos? haec omnia satis ostendunt, naturam suis viribus relictam nullatenus ab infinita sapientia gubernari. — Haec obiiciunt adversarii, quibus sequentia respondemus.

1. A Deo omnia gubernari, ex Revelatione et ratione ita probatum est, ut de certissima hac veritate dubitare non liceat. Difficultates vero, quae hic opponuntur, solum modum concernunt, quo allata phoenomena cum sapientissima Dei gubernatione coniungantur. Sed huiusmodi ignorantia certam veritatem non labefactat; unde mentis nostrae imbecillitatem et inscitiam confiteri atque ex iis, quae Dei gubernantis sapientiam apertissime commonstrant, argumentum ducere debemus ad ea, quae non intelligimus. Recte igitur *Cl. Salvianus* (1) ad similes obiectiones respondet: «Possum quidem rationabiliter et satis constanter dicere: Nescio. Secretum enim et consilium divinitatis ignoro. Sufficit mihi ad causae huius probationem dicti coelestis oraculum. Deus a se omnia dicit aspici, omnia regi, omnia iudicari. Si scire vis, quid tenendum sit, habes litteras sacras. Perfecta ratio est, hoc tenere, quod legeris. Qua causa autem Deus haec, de quibus loquimur, ita faciat, uolo a me requiras. Homo sum, non intelligo, secreta Dei investigare non audeo, et ideo etiam attentare formido: quia et hoc ipsum genus quasi sacrilegae temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinaris. Sufficiat tibi, quod Deus a se agi ac dispensari cuncta testetur.»

2. Deus solus omnia, quae creavit, perfecte cognoscit, et totum rerum existentium nexum et ordinem perspicit. Nos autem, quorum ratio ab intellectu divino infinite distat, neque cunctarum rerum naturas variosque, ad quos ordinantur, fines cognoscimus, neque totius Universi nexum ordinemque perspicimus. Ideo erramus, dum in partibus nonnullis solum haeremus, neque eas referimus ad totum: aliqua extra ordinem suum posita arbitramur, quae tamen inter

(1) L. 3 de gubern. n. 1.

se optime connexa sunt, et totum inspicere non valentes, deformitate partium facile offendimur, et de ipsa divina gubernatione sinistre iudicare non veremur. Quanta autem sit, tali in iudicio humanae mentis temeritas et insanies aptissimo exemplo ostendit S. *Augustinus* (1) ita scribens: « Si in alicuius opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, et si multum est insipiens, superflua putat. Iam vero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia existimat ibi esse multa, quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam eius irridet, et verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quae ignorant, sed cum ea viderint, credant esse necessaria. In hoc autem mundo, cuius conditor et administrator praedicatur Deus, audent multa reprehendere, quarum causas non vident! etc. »

3. Multa quae nobis inordinate contingere videntur, providentiae divinae omnino consona esse, etiam directe ostendi potest. — Hincinde enim degenerant fruges, res utiles destruuntur, partus difformes in lucem prodeunt, ut homines, ab his infortuniis et defectibus praeservati, bona, quae a Deo acceperunt, melius cognoscant, magis aestiment et benefactorem suum ferventius collaudent. Ita ipsae apparentes inordinationes ad Universi pulcritudinem patefaciendam, et ad gloriam Dei promovendam conferunt. Praeclare ideo S. Augustinus (2) scribit: « Et *divisit Deus inter lucem, et tenebras*, ne vel ipsae privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente atque administrante. Sicut in cantando interpositiones silentiorum certis moderatisque intervallis, quamvis vocum privationes sint, bene tamen ordinantur ab iis, qui cantare sciunt, et suavitatis universae cantilenae aliquid conferunt. Et umbrae in picturis eminentiora quaeque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent. » Idem (3) ait: « Ita quasi ex antithesis quodammodo quod nobis etiam in oratione iucundum est, id est ex contrariis, omnium simul rerum pulcritudo figuratur. » — Haud raro providentia divina maxime conspicua redditur, dum per ipsam res ad optatum finem perducuntur, quamvis ordinaria media penitus deficiant, aut saltem insufficientia esse videantur. Sic, e. g., hincinde annus occurrit, in quo homines sterilitatem agrorum lamentantur, et magnis timoribus agitantur, in cuius tamen fine manifestum redditur, homines conservatos fuisse, et necessariis alimentis non caruisse. Simili modo Deus saepe res per ea, quae nobis inutilia, inepta, aut etiam noxia videntur, sapientissime res ad debitum finem perducit. Fallimur idcirco, dum praecoci iudicio sola media pensamus, cum postmodum integrum rerum eventum considerantes divinae gubernationis sapientiam admirari debeamus. Recte ideo *S. Gregorius Naz.* (4), homines consilia Dei praemature iudicantes comparat imperitis illis qui pictoris, aut alius artificis opus diiudicare, et reprehendere praesumunt, priusquam ad finem perductum est. « Nam, ait, et artificis in materia quod perturbatum et inaequale hactenus erat, artificiosis-

(1) L. I de Genes. c. Manich. c. 16.
(2) L. de Gen. ad litt. imperf. c. 5.
(3) In l. 1 de ordine c. 7.
(4) Orat. 16.

simum erat, cum ad structuram operis alicuius eam praeparabat, quod tunc animadvertimus, et confitemur, cum absolutam effecti operis pulcritudinem intuemur. » — Ova animalium, quae non excluduntur, inutilia non sunt, cum plerumque aliis pro alimento inserviant. Si loca inhospita dantur, et saepe utiles res praematurae pereunt, aut usui hominum subducuntur, ex. gr. herbae arboresque in locis inaccessis; in his omnipotentiam saltem Dei considerare decet, quae non ad ea restringitur, quibus ad hominum et brutorum conservationem opus est. Fatendum praeterea est, multa in optimos fines ordinari, quos autem mente nostra limitata assequi non valemus; nihil enim in natura inutile est, nihil redundans, cum et ipsum venenum recte adhibitum medicamentum sit. Praeclare hanc in rem loquitur *S. Ambrosius* (1): « Singula eorum, ait, quae generantur e terris, specialem quamdam rationem habent, quae pro virili portione complent universae plenitudinem creaturae. Alia ergo esui, alia nascuntur usui, Nihil vacat, nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile, aliis utile est . . . et saepe eadem, quae tibi noxia sunt, avibus aut feris innoxium ministrant pabulum . . . Non solum igitur nulla in his reprehensio Creatoris, sed etiam incrementum est gratiarum. Siquidem quod ad periculum putabas esse generatum, ad remedium tibi salutis operatur. » Vilia quidem, inutilia et molesta esse videntur insecta, et nihil ad universi pulcritudinem conferre, conferunt tamen suo modo, quod *S. Isidorus*(2), exemplo illustrat, dicens: « Si radas supercilium hominis, parvum rem demes; sed totius corporis ingeris foeditatem. Ita et in universitate creaturae est, si extremum vermiculum natura malum dixeris, universae creaturae iniuriam facis. »

4. Sapientiae omnino consonum est, ignobiliorem finem negligere, si tali modo nobilior finis promovetur. Satis manifeste ergo etiam ex hoc elucet Dei gubernantis sapientia, quod hincinde fines creaturarum particulares frustratum iri permittat, ut finis longe nobilior, nempe moralitas hominum promoveatur. — Deus enim per naturales inordinationes quandoque hominibus utilia subtrahit, aut ipsos etiam molestiis afficit, ut peccatores puniantur, iusti autem probentur, et sic amborum moralitas promoveatur. Hunc in finem naturales inordinationes et calamitates a Deo iustissime et sapientissime dirigi, sat frequenter testantur Ss. Patres. Sic *S. Paulinus*(3), cum providentiam Dei erga homines maxime solicitam laudasset, subiungit: « Sed ne ipsa potestatis nostrae licentia resolvamur, utiliter exercemur adversis, aut spiritibus daemonum, aut difficultatibus negotiorum, aut ipsorum saepe elementorum motibus, videlicet, ut exagitati curis prudentiae et metu divinitatis acuamur. » *Salvianus* (4) ita disserit: « Deus nunc asperis rebus castigat suos pro disciplina, nunc tranquillis fovet pro indulgentia. Sicut enim optimi et peritissimi medici dissimilibus morbis curas dispares praestant, atque aliis per dulcia medicamina, aliis per amara succurrunt, et quosdam curant cauteriorum adustione, quosdam malagmatum placabilitate, aliis adhibent duram ferri prosectionem, aliis blandam infundunt olei lenitatem, et tamen diversissimis licet curis eadem salus quae-

(1) L. 3 Hexaem. c. 9. n. 39

(2) L. 1, de summo bono c. 9

(3) Epist. 38.

(4) L. 6 de gubern. n. 16.

ritur; ita etiam Deus noster, si quando nos plagis austerioribus coërcet, quasi cauteriis et sectionibus curat; quando autem rebus prosperis refovet, quasi oleo ac malagmatibus consolatur. Per diversam enim medicaminum opem ad unam nos vult perducere sanitatem. » Nemo ergo per inordinationes, quae in natura videntur, offendi debet, cum iste quoque ad iustissimum et sapientissimum finem dirigantur, nempe ad hominis moralitatem et Dei gloriam promovendam. Ideo *S. Thomas*, eandem obiectionem solvens (1), dicit: «Cum Deus sit universalis praevisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat, quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. »

IV. *Ex tribulationibus iustorum et prosperitate impiorum in hac vita nil contra providentiam divinam colligi potest.*

§ 270. Si providentia esset in Deo, inquiunt adversarii, haud dubie sociam haberet iustitiam, quae exigit, ut boni remunerentur, mali vero puniantur: ergo sub Dei infinite iusti gubernatione iusti felices, impii autem infelices esse deberent. Ast contrarium plerumque in hac rerum universitate contingit. Aequa in hoc mundo bonorum distributio non est; nam pii honestique homines inopia et calamitatibus innumeris affligantur; contra flagitiosi et nequam divitiis, honoribus ac deliciis affluunt. Haec autem cum Dei providentia, quae iusta esse deberet, conciliari non possunt. Teste S. Scriptura, etiam homines sapientes et sancti hac de re querelas moverunt. *Quare impii vivunt?* interrogat Iob. XXI, 7: *Quare via impiorum prosperatur?* quaerit Ieremias XII, 1; et regius Psaltes fatetur de se: *Mei autem pene moti sunt pedes..... pacem peccatorum videns* (2); et: *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias* (3); et: *Et dixi: ergo sine causa iustificavi cor meum... et fui flagellatus tota die* (4). Ex his ergo patet, Deum res humanas, seu sortes hominum non curare, quod quidem cohaeret cum eo, quod dicitur de homine, nempe Deum ipsum *reliquisse in manu consilii sui* (5), et quod Psalmista de impiis asserit, Deum dimisisse *eos secundum desideria cordis eorum* (6). Inania ergo sunt, quae de iustissima et sapientissima Dei gubernatione iactitantur. — Trita est haec incredulorum obiectio, sed nullius roboris. Facile enim est ostendere, quod *neque tribulationes iustorum*, *neque prosperitates impiorum* in hoc mundo divinae providentiae repugnent.

1. Ex variis tribulationibus, quibus hincinde iusti exercentur, nihil omnino contra providentiam divinam inferri potest. Nam:

a) Non omnes, qui videntur iusti et probi, revera tales semper sunt. Dantur hypocritae, *qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (7). Homo cernit, quae parent, Deus vero intuetur cor, et quandoque per temporales aerumnas occulta hominum peccata iustissime castigat. — Quodsi etiam homines ab omni hypocrisi alieni, ab occultis delictis remoti, vereque iusti et pii sint, a minoribus tamen defectibus et peccatis venialibus non sunt semper immunes. Nam: *Septies cadet iustus* (8), et: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (9). Ast et-

(1) 1. q. 22, art. 2 ad 2. (2) Ps. 72, 2. (3) Ib. v. 12. (4) Ib. v. 13. (5) Eccli. 15,14. (6) Ps. 80, 13. (7) Matth. 7, 15. (8) Prov. 24, 16 (9) 1 Io. 1, 8.

tiam peccata venialia, quae Deo magnopere displicent, poenas temporales merentur (§ 243, nota 1). Deus ergo iustitiam suam manifestat, dum iustos ad leves eorum culpas puniendas temporalibus aerumnis affligit.

b) Frequenter iusti infelices reputantur, quamvis tales non sint. Tristis enim eorum sors ex eo repeti solet, quod divitiis, honoribus, et voluptatibus huius vitae non abundent, sed potius penuria, contemptu, aegritudinibus, aliisque calamitatibus affligantur. Ast, qui vere pii probique sunt, caduca terrae bona flocci faciunt, et tribulationes huius vitae tanquam vera mala non considerant, sed laeti e manu Dei recipiunt. Interim diris conscientiae morsibus non agitantur, animi tranquillitate gaudent, quae in hac vita bonorum omnium est maximum suavissimumque aerumnarum lenimentum, spe aeternorum praemiorum recreantur, et per internae gratiae suavitatem gaudia spiritualia recipiunt, « quae, ut ait *S. Hieronymus*(1), comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur. » Inde fit, ut iusti, multis licet infirmitatibus pressi, idem confiteri possint, quod de se Paulus dixit: ***Superabundo gaudio in omni tribulatione mea*** (2).— Egregie idcirco hac de re disserit *Salvianus*(3), dicens: « Nemo aliorum sensu miser est, sed suo. Et ideo non possunt cuiusquam falso iudicio esse miseri, qui sunt vere sua conscientia beati. Nulli enim, ut opinor, beatiores sunt, quam qui ex sententia sua atque ex voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt; pauperes sunt, pauperie delectantur; sine ambitione sunt, ambitum respuunt; inhonori sunt, honorem fugiunt; lugent, lugere gestiunt; infirmi sunt, infirmitate laetantur...... Itaque quidquid illud fuerit, quicunque veri Religiosi sunt, beati esse dicendi sunt, quia inter quamlibet dura, quamlibet aspera, nulli beatiores sunt, quam qui hoc sunt, quod volunt. »

c) Tribulationes temporales, quibus iusti affliguntur, maxima his emolumenta afferunt, ita ut providentia divina propter illas non carpenda, sed summopere laudanda sit. Experientia enim teste, homines per divitiarum, honorum, et deliciarum abundantiam facile seducuntur, a recta semita deflectunt, et in vitia proruunt; per aerumnas vero et huius vitae miserias ab inordinato rerum visibilium amore retrahuntur, et ad Deum recurrere compelluntur; quapropter recte *Salvianus* (4) dicit: « Qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur adversis, et quos intemperantes pax longa fecit, turbatio facit esse moderatos. » Paternam ergo Deus curam erga iustos ostendit, dum eos temporalibus adversitatibus affligit, per quas non solum a deviis retinentur, sed etiam tanquam in camino ignis purgantur, atque optimas occasiones nanciscuntur praestantissimas virtutes exercendi et maxima praemia promerendi. Ideo Ss. Patres non solum utiles, sed et necessarias tentationes et tribulationes dixerunt; nam, ait *S. Chrysostomus* (5): « Nisi tentatio, nec corona; nisi certamina, nec praemia; nisi studia, nec onores; nisi tribulatio, nec remissio... Si in peccatis sis, ea destruuntur et comburuntur facile per tribulationem: si vero virtute sis praeditus, illustraris et splendescis per ipsam. » Et *S. Augustinus* (6) inquit:

(1) L. 3 in Matth. c. 19. (2) 2 Cor. 7, 4. (3) L. 1 de gubern. n. 2.

(4) L. 6 de gub. n. 12. (5) Hom. 4 ad Antioch. n. 1. (6) L. 22 c. Faust. c. 20.

« Nullus enim hominum est tanta iustitia praeditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem. » — Praeterea sapientissime Deus iustorum aerumnas et afflictiones ideo quoque permittit, ut moralitatis studium ex puro motivo suscipiatur. Nam si semper in bac vita scelerati poena, boni autem temporali praemio illico rependerentur, facile contingeret, ut homines non amore virtutis, sed spe temporaneae felicitatis ad bene operandum allicerentur, nec pravitatis malitia, sed unice suppliciorum temporalium formidine a flagitio deterrerentur, per quod moralitas corrumperetur, aut destrueretur. Haud infrequens ergo iustorum in bac vita afflictio efficit, ut ex puriori motivo tum vitia vitentur, tum virtutes exerceantur. Recte idcirco cum *Salviano* (1) concludimus: « Nequaquam nobis dolenda est haec adflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. »

d) Denique continuo ponderandum est, post hanc vitam terrestrem et aliam dari, quae in aeternum durat. Illa pro meritis, haec pro praemiis destinata est. Ideo scribit Apostolus: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (2). Ast: *Non habemus hic manentem civitatem*, *sed futuram inquirimus* (3). In hac iusti pro meritis suis immensa, et aeterna praemia consequentur (4), et sic divinae gubernationis iustitia, sapientia et bonitas clarissime manifestabitur.

2. Etiam in prosperitate impiorum nullum prorsus argumentum contra divinam providentiam inveniri potest.

a) Iniqui felices dici solent, quia divitiis, bonoribus et voluptatibus abundant. Sed haec bona vana sunt, et cor hominis ad Deum creatum satiare non possunt, quapropter Rex potentissimus deliciis undique affluens exclamavit: *Vanitas vanitatum*, *et omnia vanitas* (5). Praeterea bona, quibus impii fruuntur, persaepe eorum vitio, et iusta Dei providentia in eorum malum cedunt. Divitiae eos continuis et amaris sollicitudinibus replent: honores sunt oneri, et invidiae suscitant furores; voluptates acerbissimos plerumque aculeos post se relinquunt. Quaelibet denique peccatoris prosperitas mutabilis, inconstans et brevis est, quod optime declarat Profeta regius, dicens: *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani: et transivi, et ecce non erat: et quaesivi eum, et non est inventus locus eius* (6).

b) Cum felicitas hominis in hac vita non tam a bonorum copia externorum, quam potius ab interna cordis pace dependeat; improbi quamvis felices esse videantur, plerumque tamen infelicissimi sunt. Non est enim pax impiis, cum internis couscientiae morsibus dilanientur, qui externis tribulationibus multo amariores sunt (§ 243, n. 5.). — His accedunt indomitae passiones quorum turbine abripiuntur. Magnas divitias possidentes alias concupiscunt, quas si non obtinent, velut *Achab* (7), indignatione et moerore conficiuntur. Eximiis in honoribus constituti ob irreverentiae defectum et levissimam offensam, ut *Aman* ira tabescunt, tristitia absorbentur, et cum omnia habeant, nihil se habere putant (8). — Voluptatibus inhiantes non raro ob foeda, quae explere nequeunt, deside-

(1) L. 1 de gubern. n. 2. (2) 1 Cor. 15, 19. (3) Heb. 13. 14. (4) Matth. 5, 12, 1 Cor. 2, 9.

(5) Eccl. 1, 2. (6) Ps. 36, 35 etc. (7) 3 Reg. 21, 4. (8) Esth. 5, 13.

ria, ad instar *Amnonis* (1), corpore et animo languescunt inordinatis proprii cordis affectibus excruciati. Et quis tales miserrimos non praedicabit?

c) Si Deus quandoque imperturbatam sanitatem et prosperitatem peccatoribus concedit, existimandum est, indignum Deo non esse, quod peccatores tolleret et beneficiis afficiat, ut ad bonam frugem adducantur. Nam si prudentia parentum commendatur, qui non semper verberibus, sed etiam blanditiis petulantes filios emendare student, et si magnanimitas et charitas illorum extollitur, qui bona pro malis retribuentes inimicorum corda per beneficia demulcere gestiunt; multo magis summi ac omnipotentis Dei patientia, longanimitas et clementia laudanda est, dum inimicos suos non solum tolerat, sed eis etiam varia bona elargitur, ut de sua ingratitudine confusi ad ipsum revertantur et salutem suam consequantur. Ideo Christus ipse hominibus ante oculos ponit exemplum Patris sui, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos* (2).

d) Quamvis Deus saepe praevideat, peccatores nec beneficiis emolliendos, nec poenis deterrendos, sed impoenitentes permansuros esse; temporalis tamen prosperitas, quam hisce concedit, singularis cuiusdam providentiae specimine non vacat. Nam etiam corrupti et perversi homines hinc inde bona quaedam opera perficere solent. At quoniam pro his peccatores impoenitentes in altera vita praemium recipere nequeunt, Deus, pro infinita sua benignitate, ipsos in hac vita temporali quadam felicitate remunerat. Ideo Christus de hypocritis dicit: ***Receperunt mercedem suam*** (3).

e) Deus iustitiam suam erga peccatores impoenitentes clarissime manifestabit in altera vita, in qua iniqui *poenas dabunt in interitu aeternas* (4). Gubernatio enim divina non ad hanc vitam restringitur, sed et ad alteram, seu ad aeternam vitam extenditur. Itaque quamvis peccatores, quod tamen vix unquam contingit, in hac terra semper impunes manerent, nemo exinde offendi deberet, cum vindictam divinam effugere non possint, sed pro quantitate et qualitate delictorum post mortem suppliciis afficiantur, uti Apoc. dicitur: *Quantum in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, et luctum* (5).

3. Querelae iustorum, quae in S. Scriptura leguntur, solum ostendunt, quod iniquorum prosperitas Sanctos interdum turbet, eisque tentatio sit, quam autem et ratio et Religio statim reprimit. Quapropter nec Iob, nec Ieremias, nec David ex dubitatione divinae providentiae, sed magis ex zelo iustitiae et amore divinae gloriae quaerunt, quare via impiorum prosperatur. Nam Iob amicos refellit, qui iustitiam Dei in dubium revocabant, et in eodem capite XXI, v. 13 de illis impiis, quibus in hac vita omnia feliciter succedunt, ait: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Ieremias V, 1 fatetur: *Deum iustum esse.* David in eodem Psalmo LXXII, 16 etc., non inutiliter se iustitiam exercuisse fatetur, dicens: *Labor est ante me; donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum:* ac postea de peccatoribus subiungit v. 19: *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.* Eccli. XV, 14 dicitur Deus hominem *reliquisse in*

(1) 2 Reg. 13. (2) Matth. 5, 45.
(3) Matth. 6, 2. (4) 2 Thess. 1, 9. (5) 18, 7.

manu consilii sui ad denotandam eius arbitrii libertatem, nullatenus autem ad significandum, eum a divina providentia emancipatum esse. Denique peccatores, qui dicuntur a Deo dimissi *secundum desideria cordis eorum* (1), non iam a generali providentia, nec a vindicta divina, sed solum ab illa speciali, ac benigna providentia eximuntur, per quam iusti et electi a malo retrahuntur. Est autem haec gravissima peccatorum poena; nam, ut ait *S. Augustinus* (2): « Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua poenalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur. »

4. Non semper iusti in miseriis, nec impii semper in prosperitate vitam terrestrem agunt. In ipsa S. Scriptura commemorantur iusti divitiis abundantes, ut *Abraham;* in magnis honoribus constituti, ut *David;* specialibus Dei favoribus et longa vita donati, ut *Noë*. E contra multi scelerati iam in hac vita debita delictorum suorum supplicia ferunt, quod Ss. Litterae multis in locis testantur (§ 243, n. 3). Deus similibus exemplis dilectionem suam erga iustos, et odium suum in peccata clare manifestat, et providentiae suae, terrestrem quoque hominum vitam gubernantis, specimina edit. Frequenter autem Deus permittit iustos in tribulationibus, impios vero in prosperitate hanc vitam transigere, ut invictum immortalitatis animae, et alterius vitae post mortem futurae argumentum habeamus (§ 200, n. 3). Ex varia ergo iustorum et iniustorum hominum sorte maxima semper elucet divinae gubernationis sapientia, quam Ss. Patres merito admirantur et extollunt. S. *Chrysostomus* (3) scribit: « Indignum est quaerere, cur boni in pressuris, mali contra in requie persistant, coelesti iam revelato regno, futurique saeculi praemio nobis ostenso... Sin autem et huius rei causam inquirere velimus, id profecto dixerim... Si nullus hic omnino puniretur malus, nullusque honoraretur bonus, plurimi ex iis, qui resurrectionem non credunt, virtutem veluti malorum causam fugerent, vitiositatem vero veluti bonorum causam persequerentur. Si rursum hic singuli iuxta merita reciperent, superfluam iam falsamque existimarent iudicii doctrinam. Itaque ne huic non crederetur, ne ingens vulgarisque turba ex contemptu deterior fieret, multos hic peccatores ulciscitur, quosdamque pro recte factis remunerat, ut et eo, quod non in omnibus facit, iudicii asserat fidem; ex eo vero, quod ante iudicium quoque malos aliquos suppliciis afficit, profundissimo quasi somno sepultos excitet. » — *S. Augustinus* (4) ita praeclare loquitur: « Patientia Dei ad poenitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Itemque misericordia Dei fovendos amplectitur bonos, sicut severitas Dei puniendos corripit malos. Placuit quippe divinae providentiae praeparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti, et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia: ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur. Interest autem plurimum, qualis sit usus vel earum rerum, quae prosperae, vel earum, quae dicuntur adversae. Nam his bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malis fran-

(1) Ps. 70, 13. (2) Ep. 138, n. 14.
(3) L. 1 de provid. n. 8.

(4) L. 1 de Civ. Dei c. 8.

gitur: malus autem ideo huiuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ostendit autem Deus saepe etiam in bis distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteretur poena, nihil ultimo iudicio reservari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus. Itemque si omnibus eas petentibus, nonnisi propter talia praemia serviendum illi esse arbitraremur: nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos, et avaros. »

Usus doctrinae de providentia divina.

§ 271. 1. Cum ex dictis pateat, omnia a Deo gubernari, cavendum nobis est, ne quid casui fortuito adscribamus, qui tum rationi, tum Revelationi repugnat. Nobis quidem multa ex casu fortuito contingere videntur, quod provenit ex limitatione mentis nostrae, quae nexum agentium causarum secundariarum, et finem, ad quem diriguntur, non perspicit; quapropter etiam eventus, quos non ipsi nos definivimus et praesensimus, fortuitos nominare solemus. Respectu Dei autem nihil fortuito contingit; Deus enim sicuti omnia intime perspicit, ita et sapientissime disponit; nam sapientia eius *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*. Firmiter ergo credendum est, nil ex fortuito casu contingere, sed omnia a divina providentia ordinata esse. Hac de re ita disserit *S. Thomas* (1): « Cum omnes causae particulares concludantur sub universali causa, impossibile est, aliquem effectum ordinem causae universalis effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicuius causae particularis effugit, dicitur esse casuale, vel fortuitum respectu causae particularis: sed respectu causae universalis, a cuius ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum. Sicut et concursus duorum servorum, licet sit casualis quantum ad eos, est tamen provisus a Domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio nesciat. »

2. Quidquid boni habemus, id Deus aut immediate, aut mediate nobis elargitur. ItaqueDeo provido pro innumeris, quibus nos iugiter accumulat, beneficiis fervidas gratias continuo agere debemus. Dolendum est, hanc gratiarum actionem a multis hominibus negligi, qui magis ad bona, quae ipsis desunt, quam ad ea, quibus fruuntur, oculos convertunt, et de sua conditione haud contenti, aliam concupiscunt. Nam, ait *Salvianus* (2), « usitatum hoc humanae mentis est vitium, illa magis semper velle, quae desunt. Et quia aliena nobis, nostra plus aliis placent, accidit quoque illud, quod generale ferme est omni homini, ut Deo semper ingratus sit, insitoque hoc et quasi nativo malo se cuncti invicem vincunt, ut beneficiis Dei detrahant, ne debitores se esse cognoscant. » Imo si quandoque hominibus omnia prospere procedunt, nihilominus persaepe ab his gratus erga Deum animus non fovetur, quoniam bona, quae consequuntur, non tam Deo, quam potius aliis tantum causis adscribere solent; de qua iterum lamentatur *Salvianus* (3), dicens: « Si quando nobis prosperi aliquid praeter spem nostram et meritum Deus tribuit, alius hoc adscribit fortunae,

(1) I, q. 22, art. 2 ad 1.

(2) L. 1 de guberu. n. 10.

(3) L. 7 de gub. n. 9.

alius eventui, alius ordinationi ducum, alius consilio, alius magistro, alius patrocinio, nullus Deo. Et miramur, si nobis coelestis manus aliqua non praestet, cui quidquid praestiterit derogamus. » Ne in tam funestam inordinationem prolabamur, sorte nostra semper contenti simus, bona, quibus fruimur Deo adscribamus, et paternae ipsius providentiae debitas gratias agere nunquam negligamus.

3. In periculis, tentationibus et calamitatibus divinae providentiae memores simus, quae omnia sapientissime disponit, quamvis nos hebetis mentis eius consilia intelligere non possimus. « Non perturbemur, ait *S. Chrysostomus* (1), propter varium humanarum rerum defluxum, nec ratiunculae humanae tempestatibus fluctuemur, sed incomprehensibilitati divinae providentiae cedentes virtutes insequamur et vitia fugiamus. » Ex sanctissimis finibus Deus nos tribulationibus affligi permittit; quapropter tempore adversitatis nos voluntati divinae penitus subiicere debemus, nam, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (2). Hoc idem observandum est, quamvis iniuste ab aliis hominibus cruciemur, quos tanquam instrumenta spectare debemus, quibus consilia sua Deus exequitur. Sic *Ioseph* non fratres, a quibus venditus fuerat, sed Deum tanquam suae in Aegyptum deportationis auctorem intuebatur, cum diceret: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum* (3). Sic *Iob* non Sabaeos, non Chaldaeos, non ignem, non tempestatem, sed Deum ut malorum, quae in ipsum irruerant, causam considerans, ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit* etc. (4). Sic *David* Semei maledictis lacessitus, ad occultum Dei hoc permittentis consilium assurgens, inquit: *Dimitte eum, ut maledicat, Dominus enim praecepit ei, ut malediceret David* (5). Ipse Christus gravissima tormenta sibi ab impiissimis hominibus praeparata e manu Patris recepit; ait enim: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum* (6)?

4. Dei omnia conservantis et gubernantis auxilio semper indigemus, ut negotia nostra prospere succedant. Nam, *nisi Dominus aedificaverit domum; in vanum laboraverunt, qui aedificant eam* (7) etc. Inutilis ergo est omnis hominum conatus, si a Domino non benedicatur. Homo equidem ex mandato Dei laborare, vires suas impendere, et media naturalia ad mala huius vitae avertenda, et ad requisita bona obtinenda adhibere tenetur; prosperum autem successum non a se, verum a protectione divina exspectare debet. Hanc igitur homo continuo implorare tenetur, quoniam Christus dixit: *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis* (8). Praecipue vero peccata, quae iram Dei provocant, vitare, et iustitiam sectari oportet, quae Dei amorem meretur; quoniam iterum Christus dixit: *Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis* (9). Haec facientes omnem solicitudinem nostram in Deum proiicere, et inconcussa fiducia omnia bona ab ipso sperare non solum possumus, sed et debemus. Deus enim *non derelinquet omnes, qui sperant in eo* (10).

(1) Hom. 76 in Matth. (2) Rom. 8, 18.
(3) Gen. 45, 8. (4) Iob 1, 21.
(5) 2 Reg. 16, 10. (6) Io. 18, 11.

(7) Ps. 126, 1. (8) Luc. 11, 9.
(9) Matth. 6, 33. (10) Ps. 33, 23.

INDEX

PARS II.

V. ex del. D. D. Archiep.
GUIRINGHELLO